PRÆLECTIONES

THEOLOGICÆ

SEMINARII SANCTI-SULPITII.

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

E TYPIS CRAPELET,
VIA DICTA DE VAUGIRARD N° 9.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

MAJORES

IN SEMINARIO SANCTI-SULPITII

HABITÆ.

DE CONTRACTIBUS

OPERA ET STUDIO

JOS. CARRIERE EJUSDEM SEMINARII PRESBYTERI

VICARII GENERALIS PARISIENSIS.

TOMUS TERTIUS.

Property of
GOSA
Please return to
Graduate Theologic
Union Library

PARISIIS

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM

NUNC

J. LEROUX, JOUBY ET SOCIOS, SUCCESSORES

FACULTATIS THEOLOGIÆ BIBLIOPOLAS

1847

212

PRÆLECTIONES

THEOLOGICÆ

DE CONTRACTIBUS.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT VIII.

DE CONTRACTU DEPOSITI.

901. « Depositum est, ait ULPIANUS, l. 1, ff., XVI, III, « *Depositi vel contra*, quod custodiendum alicui datum « est. Dictum ex eo quod ponitur : præpositio enim *de* « auget depositum, ut ostendat, totum fidei ejus com- « missum, quod ad custodiam rei pertinet. » Eo autem nomine designatur, tum in jure, tum in consueto loquendi modo, vel res ipsa quæ custodienda datur, vel conventio qua datur : cod. Civ., art. 1915, 1941, 1944.

Duplex distinguitur : depositum proprie dictum, et sequestrum : art. 1916. Istud locum habet quando res de qua est controversia alicui tertio custodienda traditur, eo fine ut postea reddatur ei cui adjudicabitur. De utroque sigillatim dicemus.

ART. 1. *De deposito proprie dicto.*

902. Depositum proprie dictum definitur : *Contractus*

3449

quo res alteri custodienda committitur et ab eo suscipitur cum onere eamdem postea reddendi.

Dicitur 1°. *Contractus*, et non simpliciter *actus*, ut legitur in codice Civili, art. 1915 : ideo ita loquitur codex, quia profert definitionem quæ includit ipsum sequestrum judiciarium, in quo non occurrit conventio proprie dicta ; DURANTON, t. XVIII, n° 2 ; DEMANTE, *Programme*, t. III, n° 655 : sed si agatur tantum de deposito proprie dicto, nulla esse potest difficultas.

Est autem contractus 1. *Realis* : necessario enim exigit traditionem rei, vel realem, vel fictam (vid. n° 708); antea non est perfectus in genere suo, quamvis possit valida esse conventio (vid. n° 11). 2. *Synallagmaticus*, seu *bilateralis*, sed tantum imperfectus ; quo sensu exposuimus, n° 8. Ita POTHIER, *Contr. de Bienfais.*, t. I, *Dépôt*, n° 21, quem sequuntur jurisperiti recentiores. 3. *Non solemnis*, quia variæ formæ non requiruntur nisi ad probationem. POTHIER, n° 18, et alii. 4. *Gratuitus*, saltem ordinarie. Docet POTHIER, n° 13, gratuitatem esse de essentia depositi, adeo ut, si detur pretium aut salarium ei qui rem custodiendam suscipit, jam adsit locatio operæ. Idem statuitur in cod. Civ., art. 1917. Attamen supponit art. 1928 posse aliquando in deposito stipulationem fieri de salario : unde concludunt DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 429, et ROGRON, ad art. 1917, non omnino accurata esse verba hujusce articuli, et gratuitatem esse tantum de natura contractus (vid. n° 7), non de essentia ; vel articulum 1917 non respicere nisi casus ordinarios, seu depositum regulare, prout loquitur DURANTON, t. XVIII, n° 20. Verum alii standum judicant articulo 1917 ; ideoque dicunt in casu salarii de quo loquitur art. 1928 jam non applicari sub eo respectu regulas depositi, bene vero locationis. Ita PIGEAU, t. II, p. 511 ; DUVERGIER, t. VI, n^os 408, 409 ; TROPLONG,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Dépôt, nis 13, 15, 80. Quidquid sit, parvi ad praxim interest : quamvis enim generatim minus stricte obligetur depositarius quam locatarius quoad præstationem culpæ juridicæ, id verum non est de depositario qui salarium recipit; æquiparatur locatario, prout exposuimus in prima parte, nis 280, 281, ac proinde est tantum quæstio de nomine, quo titulo obligatus dici debeat.

Cæterum in materia commercii depositum, quemadmodum jam vidimus circa mandatum (n° 827), non censetur gratuitum; nisi ita expresse aut tacite conventum fuerit. Vid. PARDESSUS, *Droit commercial*, t. II, n° 491.

903. Dicitur 2°. Quo *Res*, nempe mobilis : non nisi enim res mobiles possunt esse objectum depositi; art. 1918. Ideo fit depositum, ut res custodiatur eo fine ut dominus eam recuperare possit : porro id non nisi mobilibus convenire potest. Si quis igitur e domo proficiscens eam custodiendam commendet vicino, claves ipsi committendo, poterit esse depositum clavium, vel objectorum mobilium quæ in domo includuntur; sed quoad ipsam domum, erit mandatum, vel alius contractus, non vero depositum. Ita POTHIER, nis 2, 3, quem sequuntur DELVINCOURT, *Notes*, p. 428, DUVERGIER, n° 411, TROPLONG, n° 17, et alii. Non ita omnino constabat sub jure Romano; sed controversiam diremit jus nostrum : DURANTON, n° 22.

904. Dicitur 3°. Alteri *Custodienda committitur;* quia hic est finis depositi : et quidem finis essentialis, adeo ut adsit vel depositum, vel alius contractus, prout custodia rei est, vel non est, præcipuus et primarius conventionis scopus. Id pluribus exemplis ex jure Romano desumptis elucidat POTHIER, n° 9-11, quem vulgo sequuntur auctores nostri. Sic si advocato tradam instrumenta litis quibus utatur in juris mei defensionem, non est depositum, quia non custodiæ causa. Imo si cui tradam rem meam ut ad

alterum perferat, et, si iste recipere nolit aut nequeat, ipse custodiat, est mandatum, non depositum; quia præcipuus traditionis scopus non fuit rei custodia : item, si cui mandavero ut rem meam ab altero recipiat, et custodiat. Ita post POTHIER, DELVINCOURT, *Notes*, p. 427; DURANTON, n° 12-14; DUVERGIER, n° 401; TROPLONG, n° 29-31. Contra, si finis primarius traditionis sit custodia rei, erit depositum, etiamsi addatur aliqua alia conventio, v. g., quod depositarius re uti possit, si ea indigeat : puta, si vicino tradam custodiendam argenteam suppellectilem, vel summam pecuniæ, concessa utendi facultate, si opus habuerit. Attamen potius dicendum videtur in his casibus duplicem successive adesse contractum. Quando agitur de summa pecuniæ, agnoscit ipse POTHIER stare non posse depositum statim ac depositarius ea usus est, sed exinde esse merum mutuum : sed aliud ait de argentea suppellectili, non existimans per ejus usum depositum transire in commodatum. Verum existimamus cum DELVINCOURT, *Notes*, p. 427, idem dicendum in utroque casu; scilicet per usum rei depositæ nec primo usu consumptibilis induci verum commodatum : quod perseverare putamus donec res eadem moraliter censebitur usui destinata. Ob similem rationem, nobis videtur in prioribus exemplis modo allatis, nempe de re ad alterum perferenda vel ab eo recuperanda, fieri verum depositum quando mandatarius rem recuperatam vel ab altero non acceptatam ipse custodiendam retinere incipit : nihil tunc deest ad depositum.

905. Dicitur 4°. *Et ab eo suscipitur*, quia necessarium est ut utriusque consensus concurrat, vel expresse, vel saltem tacite. Et quidem requiritur ut uterque consensus feratur in eumdem contractum depositi : alioquin nullus aderit contractus (vid. n° 37). Sic si unus intendat depositum, et alter commodatum aut mutuum, neuter aderit contractus. Ita POTHIER, n° 15, ex jure Romano : tunc

qui rem tradidit poterit eam repetere, non vi contractus, sed vi dominii, et quia alter eam sine titulo detinet. Requiritur etiam ut utriusque consensus concurrat circa rem custodiendam et reddendam, id est, ut deponens velit obligare depositarium ad reddendam præcise rem in individuo quam ipsi tradidit, et ut depositarius velit circa eamdem se obligare. Sed licet alteruter, aut etiam uterque erraverit circa qualitatem aut quantitatem rei, parvi interest : sufficit ut consenserint de reddenda ipsamet re tradita. Ita POTHIER, n° 16 ; DELVINCOURT, *Notes*, p. 428; DURANTON, n° 9. Observat tamen DUVERGIER, n° 398, fieri posse ut ex tali errore oriatur facultas rescindendi contractum ante tempus præfixum ; v. g., si detegat depositarius custodiam rei exigere curam aut laborem ad quæ noluit se obligare. Pariter si res talis sit naturæ, ut propter vitium depositario incognitum, ipsi nocitura sit, poterit eam ante tempus reddere vel ad sequestrum recurrere, ut monet DELVINCOURT, *ibid.* Idem dici potest de errore circa personam. Vid. POTHIER, n° 17 ; DURANTON, n° 10 ; DUVERGIER, *ibid.* ; TROPLONG, n° 38.

906. Dicitur 5°. *Cum onere eamdem postea reddendi*, scilicet non tantum rem similem aut ejusdem speciei, sed eamdem *in individuo*, seu, ut loquitur codex Civilis, art. 1932, *identice*. Facile id intelligitur ex fine depositi, qualem mox exposuimus. Illudque verum est, etiamsi agatur de summa pecuniæ, vel de aliis rebus fungibilibus : reddi debent eadem corpora, seu eædem species, sive earum valor interim imminutus, sive adauctus fuerit; art. 1932. Hinc si quis summam pecuniæ, quam apud se non satis in tuto positam reputat, amico committat, cum onere reddendi, non eadem corpora, sed eamdem summam, agnoscit POTHIER, n° 82, contractum illum differre a vero deposito, quia censetur transferri dominium corporum in depositarium, qui potest iis uti, eorum pe-

riculum in se suscipit, et remanet tantum debitor summæ acceptæ : unde contractum hunc vocat *depositum irregulare*. Fatetur, n° 83, et post eum TROPLONG, n^is 115, 116, eum parum differre a simplici mutuo : discrimen est quod mutuum fiat in gratiam mutuatarii, istud autem depositum in gratiam deponentis; sed in praxi fere ad nihilum reducitur illud discrimen, nisi dicatur, prout dici potest, cum PARDESSUS, n° 514, et TROPLONG, n° 117, mutuantem non posse statim summam repetere, posse autem deponentem. Verum prorsus evanesceret illud discrimen, si in deposito illo assignatus fuisset terminus restitutionis; tunc fore verum mutuum judicavit Curia suprema 26 apr. 1810, prout refert PIGEAU, p. 516, 517, et TROPLONG, n° 119. Imo dici potest cum DURANTON, n° 23, et DUVERGIER, n° 404 et seq., pure et simpliciter ibi adesse mutuum; quia etiam admisso quod ille qui pecuniam recepit teneatur eam reddere statim ac expostulatur (quod negat DELVINCOURT, *Notes*, p. 428, existimans tunc applicari art. 1900), non ideo tollitur mutui natura.

Ex his concludunt jurisperiti dominium, imo et possessionem rei depositæ remanere penes deponentem, non vero transferri in depositarium, qui rem solummodo detinet loco et nomine deponentis. Ita POTHIER, n° 12; DURANTON, n° 11; DUVERGIER, n° 412 : deest *animus domini*, quo constituitur possessio qualem intelligunt jurisperiti, quam scilicet plures vocant possessionem civilem, ut distinguant a possessione naturali quæ est mera rei detentio.

907. Duplex in jure distinguitur depositum, voluntarium nempe, et necessarium : de utroque sigillatim dicemus.

§. 1. *De deposito voluntario.*

908. Depositum voluntarium illud est quod efformatur

per consensum mutuum deponentis et depositarii; art. 1921. Tria circa illud expendi possunt : quæ cum generatim vix ullam difficultatem patiantur, ea breviter indicare satis erit.

I. *Inter quas personas locum habere possit depositum.*

Duo principia statuit codex Civilis. — 1°. Depositum regulariter fieri potest a solo domino rei depositæ, vel de ejus consensu expresso aut tacito; art. 1922. Admittunt tamen auctores nil obstare quin fiat depositum rei alienæ : cum enim per depositum non transferatur rei dominium aut usus, sed simplex custodia, alterius quam domini interesse potest eam custodiam committere; et exinde profecto orietur actio depositi. Sensus ergo articuli iste est : Si dominus cujus res absque illius consensu fuit deposita ipse eam repetat, profecto est ipsi restituenda; ac proinde depositarius jam liber est ab obligatione erga deponentem. Ita DURANTON, n° 27. Referri potest etiam articulus ad casum quo res a fure deposita est, de quo statuit art. 1938, prout modo videbimus. Sed si depositum fiat ab eo qui jus habet re utendi aut fruendi, censetur factum cum consensu domini, qui proinde non potest illud rescindere. TROPLONG, n° 40.

2°. Depositum fieri nequit nisi inter personas habiles ad contrahendum; art. 1925 : si sint inhabiles, non poterunt subjici obligationibus quæ ex contractu depositi exsurgunt. Si alteruter tantum sit inhabilis, hæc statuuntur. Si deponens sit inhabilis, depositarius habilis qui depositum accipit subjicitur omnibus obligationibus veri depositarii; non potest excipere ex inhabilitate illius quocum contraxit; hic applicatur principium articuli 1125 : obligationis exsecutio urgeri poterit a tutore vel curatore deponentis. Ita art. 1926. Si contra inhabilis sit depositarius, deponens habet tantum jus vindicandi rem, quamdiu remanet penes depositarium, vel illius pretium quatenus ex eo ditior iste effectus est; art. 1926 : orta est obligatio ratione rei, non vero ratione conventionis. Si

tamen ex parte depositarii adfuerit delictum, id est, dolus vel fraus, tenebitur compensare damnum illatum, quia inhabilitas non impedit hujusmodi obligationem, prout de minoribus expresse statuitur art. 1310 (vid. nis 190, 4°; et 192, 5°). Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 429; DURANTON, n° 35; DUVERGIER, nis 394, 396; TROPLONG, n° 58.

909. II. *De obligationibus depositarii*. Duplex distinguitur obligatio, nempe rem custodiendi, et postea restituendi. Utraque evidenter cessat, si probet depositarius se esse dominum rei; art. 1948. Sed requiritur ut habeat plenum dominium; si enim deponens haberet hujus usum, ipsi restituenda foret: DELVINCOURT, *Notes*, p. 429, 430; DURANTON, n° 70. Si autem obligationi suæ defuerit depositarius, non admittitur ad beneficium cessionis, de quo supra, n° 410; art. 1945.

1°. Quoad *custodiam rei*, tria includit. 1. Debet curam rei habere eamdem ac rerum propriarum; imo aliquando majorem : art. 1927, 1928. Sensum et vim horum articulorum in prima parte, speciatim n° 281, jam exposuimus. 2. Non potest re deposita uti sine deponentis licentia expressa aut legitime præsumpta; art. 1930. Si uteretur, non solum teneretur compensare damna quæ exinde pateretur deponens, sed posset plecti variis pœnis quæ decernuntur per art. 408 codicis Pœnalis. Quandonam autem præsumi possit licentia, determinari poterit tum ex natura rei depositæ, tum ex mutuis deponentis et depositarii relationibus, tum ex variis circumstantiis : sed observant auctores non facile præsumendam esse licentiam quando agitur de summa pecuniæ; alioquin brevi locus daretur multis abusibus. Vid. POTHIER, n° 34-37; DUVERGIER, n° 442 et seq.; TROPLONG, nis 99, 103. — 3. Non debet depositarius investigare qualis sit res deposita, quando ipsi tradita fuit in arca occlusa, vel sigillo obsignata; art. 1931. Si violando secretum deponentis ipsi damnum aliquod inferret, illud reparare teneretur.

910. — 2°. Quoad *restitutionem rei*, obligatio depositarii spectari potest sub multiplici respectu.

1. De *re restituenda*. Restitui debet res omnino eadem, ut jam diximus. Sed quomodo constabit quænam res tradita fuerit? Scripto quidem, si adsit; vel ex probatione testimoniali, si valor depositi non superet 150 fr. Sed si superet, nec adsit probatio scripta, standum erit declarationi depositarii, sive circa ipsum factum depositi, sive circa rem quæ erat illius objectum, sive circa restitutionem; art. 1923, 1924 : deponens sibi imputare debet quod sibi non satis consuluerit, ait POTHIER, n° 41. Vid. etiam TROPLONG, n° 42-45.

Res reddi debet qualis nunc est : si deterior facta fuerit sine facto depositarii, deterioratio cadit in deponentem; art. 1933 : sed si produxerit fructus, quos perceperit depositarius, tenetur illos restituere; art. 1936 : secus vero, si non perceperit; TROPLONG, n° 131.

Quid vero, si rem amplius non habeat? — Videndum qua de causa id evenerit. 1°. Si absque culpa depositarii, v. g., quia periit casu fortuito, ad nihil tenetur depositarius. Si ablata fuerit per vim majorem, et ejus loco receperit depositarius pretium, vel aliquid aliud, debet istud restituere; art. 1929 et 1934. Pariter si hæres depositarii bona fide vendiderit rem quam depositam ignorabat, tenetur tantum restituere pretium, vel, si illud nondum receperit, delegare actionem suam contra emptorem; art. 1935. In isto casu, olim poterat deponens rem suam sibi vindicare ab emptore; illud saltem supponit POTHIER, n° 45. Sed hodie docent jurisperiti aliud dicendum esse ex art. 2279, ex quo circa mobilia possessio æquivalet titulo : cum non agatur de re furtiva, sed bona fide vendita, emptor, nisi fuerit malæ fidei, id est nisi cognoverit rem non esse venditoris (art. 1141), potest eam retinere, et tenetur tantum pretium solvere. Ita DELVINCOURT, *Notes*,

p. 431; DURANTON, n° 48; DUVERGIER, n° 466; ROGRON, ad art. 1935; TROPLONG, n^is 106, 130. Id extendunt illi auctores ad casum quo res vendita fuisset mala fide; quia licet tunc adfuerit furtum in sensu morali, non adest in sensu legum, nec proinde applicari potest secunda dispositio articuli 2279, ex qua dominus rei furtivæ potest eam per triennium sibi vindicare. Verum illud pendet e sensu quo intelligenda est secunda illa pars: de quo vid. quæ diximus in Compendio *de Justitia*, edit. II, n° 157 et seq. 2° Si ex dolo vel culpa depositarii factum sit ut rem amplius non habeat, tenetur ejus pretium restituere, et damna compensare, juxta principia generalia exposita in prima parte: quæ quidem obligatio extenditur ad ipsum rei emptorem, si particeps doli vel culpæ fuerit. Ulterius progreditur POTHIER, n° 43: si depositarius rem depositam vendiderit, eamque postea redimat, et res sine ejus culpa tandem pereat, docet eum teneri ad restituendum pretium, quia rem vendendo furti reus effectus est; fur autem tenetur de re furtiva, nec quoad illum distinguitur an similiter peritura fuisset apud dominum, nec ne. Eam decisionem confirmat ex jure Romano, l. 1, §. 25, ff, XVI, III, *Depositi*: eamque veris principiis innixam judicat DURANTON, n° 48, in fine; item, DUVERGIER, n° 465. Verum non ita sentiendum putamus. Esto enim quod reus furti effectus sit: sed rem redimendo furtum reparavit, seu abstulit, si ita loqui fas est; ac proinde jam res perit apud eum qui fuit fur, sed amplius non est. Cæterum etiam admisso quod adhuc nunc furi æquiparandus esset, non statim sequeretur eum teneri ad restitutionem: vid. quæ diximus de *Possessore malæ fidei*, in Prælect. *de Justitia*, n° 1064 et seq.

911. — 2. *Cui facienda restitutio.* Res restitui debet tantum ei qui deposuit, vel cujus nomine deposita fuit, vel ei qui fuit ad eam recipiendam designatus; art. 1937.

Non potest depositarius exigere ut deponens probet se esse dominum rei : si tamen detegat rem esse furtivam, et dominum agnoscat, debet hunc præmonere ut rem repetat intra quoddam tempus determinatum ; quo elapso, si dominus non repetat, liberabitur depositarius rem reddendo ei qui tradidit. Ita art. 1938. Idem dicendum, si agatur de re amissa, cujus dominum cognoscat depositarius. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 433 ; DURANTON, n° 58 ; DUVERGIER, n° 476 : quibus tamen contradicit TROPLONG, n° 144, quia art. 1938 non æquiparat rei furtivæ rem amissam, quemadmodum art. 2279, 2280.

Si deponens mortuus sit naturaliter aut civiliter, res reddi debet tantum ejus hæredi : illudque veru messe etiamsi aliquis alius designatus fuisset ad recipiendum depositum, fuse ostendit TROPLONG, n° 146-151, et judicatum refert a Curia suprema, 16 aug. 1842 : excipitur tantum casus quo hæc designatio facta fuisset in actu in forma coram lege valido. Vid. dicta, n° 556. Si plures sint hæredes, et res dividi possit, restitutio fiet singulis, pro rata eorum parte ; si sit indivisibilis, hæredes inter se convenire debebunt ad eam recipiendam : art. 1939. Si status deponentis mutatus fuerit, ita ut non possit rem recipere, quia amisit administrationem bonorum, restitutio fieri debet ei cui commissa est hæc administratio ; art. 1940. Pariter si depositum factum fuerit a tutore, curatore, etc., qua tali, et finem acceperit hæc tutela aut administratio, restitutio fiet ei quem repræsentabat ille tutor ; art. 1941.

912. — 3. *De loco restitutionis.* Si locus assignatus fuerit in contractu, depositarius debet rem huc transferre ; si faciendæ sint expensæ, recident in deponentem : art. 1942. Officium a depositario præstitum non debet ipsi esse damnosum. Si locus non fuerit designatus, restitutio fit in ipso depositi loco ; art. 1943. Id intelligit DELVINCOURT, p. 432, de loco in quo factum est depositum ; et argu-

mentum educit ex art. 1247. Sed alii putant id intelligendum de loco ubi nunc reperitur depositum, seu res deposita : ita, post POTHIER, n° 57, DURANTON, n° 67; DUVERGIER, n° 488; ROGRON, ad art. 1943; TROPLONG, n° 168. Illudque videtur magis æquitati consonum.

913. — 4. *De tempore restitutionis.* Res reddi debet statim ac eam repetit deponens, etiamsi terminus assignatus fuerit; art. 1944. Cum depositarius re uti nequeat, nihili ipsius interest retentio rei : terminus id efficit ut deponens non teneatur antea rem recipere. Ita DELVINCOURT, p. 429. Excipitur casus quo facta fuisset oppositio judiciaria, vulgo *saisie-arrêt;* art. 1944. Possunt occurrere quædam aliæ exceptionis causæ : vid. POTHIER, n° 59.

914. — III. *De obligationibus deponentis.* Ex contractu depositi non exsurgunt, ex dictis in definitione, ullæ obligationes directæ et immediatæ ex parte deponentis : sed obligatur indirecte, seu *ex post facto*, ad compensandas impensas factas a depositario ad rei conservationem; item et damna quæ occasione depositi passus est depositarius; art. 1947. Id omnino postulat æquitas. Hinc potest depositarius rem retinere, donec ipsi persolutum fuerit quidquid debetur ratione depositi; art. 1948 : sed privilegium illud non extenditur ad debita alterius generis : ita saltem jurisperiti. Sed vid. quæ diximus *de Justitia*, n° 1006.

§. 2. *De deposito necessario.*

915. Depositum necessarium locum habet in duplici casu. — I. In casu *incendii, ruinæ, naufragii,* etc. : dicitur necessarium, quia tunc non eligitur depositarius, ut patet; sed res committitur primo occurrenti. Vocatur etiam a jurisperitis depositum *miserabile.*

Dispositio peculiaris est, quod probatio testimonialis admitti possit, etiamsi valor superet 150 fr.; art. 1950 : ratio est, quia probatio scripta haberi non potuit. Sed aliæ

regulæ depositi voluntarii applicantur deposito necessario; art. 1951.

II. Huic deposito miserabili æquiparatur per legem depositum quod fit apud caupones seu stabularios (*les aubergistes ou hôteliers*), quoad objecta nempe quæ afferunt viatores qui apud ipsos hospitantur; art. 1952. Quamvis non adsit necessitas ejusdem generis, occurrit eadem fere ratio : viator nonnisi apud caupones hospitari potest, neque ei vacat inquirere de moribus et probitate cauponis ad quem divertit. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 435, et alii. Juxta quosdam jurisperitos, initur in eo casu quasi-contractus inter cauponem et viatorem : potiori forsan jure diceretur adesse contractum tacitum seu implicitum. Vid. TOULLIER, t. XI, n° 248 et seq. Quidquid sit, hæc duo statuuntur quæ applicari docent jurisperiti, non solum cauponibus stricte sumptis, sed et similibus, v. g., *logeurs en garni, baigneurs publics, teneurs de billards et de cafés, restaurateurs*. Vid. TROPLONG, n^is^ 228, 229.

1°. Admittitur probatio testimonialis, licet valor superet 150 fr.; art. 1348. Moraliter impossibile fuit habere probationem scriptam. Vid. TOULLIER, t. IX, n° 202.

2°. Caupones tenentur de furto vel alio quocumque detrimento rerum ad viatores pertinentium, sive furtum vel detrimentum auctores habuerit domesticos, sive extraneos per domum vagantes; art. 1953. Eatenus excusantur, quatenus probant furtum factum fuisse cum armis vel per vim majorem; art. 1954 : sed non admitterentur ad probandum non adfuisse ex sua parte ullam culpam, ut advertit DELVINCOURT, *Notes*, p. 435. Possent tamen aliquando excusari, si probarent damnum ortum esse ex imprudentia ipsius viatoris seu hospitis. Vid. TROPLONG, n° 237-239.

Advertendum autem has legis dispositiones respicere non tantum objecta commissa cauponi aut ejus famulis,

sed et simpliciter illata in domum : *apportés par le voyageur*, ut dicitur in art. 1952. Aliud olim docebat POTHIER, n° 79 : sed aperta sunt verba articuli. Vid. DELVINCOURT, *Notes*, p. 434; TOULLIER, t. XI, n° 249-251; TROPLONG, n° 218. Id quidem durum videri potest : sed valde utile, et quasi necessarium visum est ad securitatem viatorum : alioquin cauponibus materia daretur coeundi cum furibus adversus eos quos recipiunt, ut dicitur in jure Romano. TOULLIER, n° 252; TROPLONG, n° 216. Cæterum rigor ille aliquatenus temperatur in praxi. Nam 1. requiritur ut viator probet objecta allata fuisse in cauponam : probatio autem relinquitur æstimanda judici. 2. Requiritur ut probet objectorum valorem : hic etiam concurrit arbitrium judicis juxta qualitatem personæ et facti circumstantias. 3. Si declaret objecta vulgo occulta et maximi valoris, v. g., *des bijoux ou autres objets précieux*, nec ante ea manifestaverit, non statim ei fides est adhibenda ; sed ex circumstantiis, et ex qualitate personarum ferendum erit judicium : lex non absolute exigit manifestationem præviam etiam quoad hujusmodi objecta, neque tamen in mente legislatoris fuit cauponem subjicere quoad ea obligationi absolutæ. Vid. TOULLIER, n° 253-256 ; DELVINCOURT, *Notes* 2 et 6, p. 434, 435 ; DUVERGIER, n° 519 ; et præsertim TROPLONG, n° 219-225.

ART. 2. *De sequestro.*

916. Quando res litigiosa, seu de qua movetur controversia, apud aliquem deponitur ea lege ut ei qui vicerit reddatur, genus illud depositi vocatur *sequestrum*, *sequestrarium*, *sequestratio* : ille autem apud quem res deponitur dicitur *sequester*. Apud nos, vox Gallica, *séquestre*, aliquando pariter designat personam, ut in art. 2060 cod. Civ., et art. 681 cod. Judicialis : sed plerumque sumitur pro ipso contractu.

Duplex distinguitur : quando nempe res deponitur voluntate contendentium seu litigantium, vocatur *voluntarium*, seu *conventionale* ; quando autem deponitur auctoritate judicis, dicitur *judiciarium*.

1°. Sequestrum *conventionale* dicitur in art. 1956 cod. Civilis, fieri posse ab uno vel a pluribus. Sed observant jurisperiti non satis accurata esse illa verba : cum enim agatur de re litigiosa, requiritur ut concurrant saltem duo contendentes; alioquin erit depositum simplex, et deponenti reddi poterit absque consensu alterius contendentis : unde præfata verba in eo tantum sensu verificari possunt quod aliquando traditio rei fieri possit ab uno e contendentibus, scilicet ab eo qui possidet.

De eo deposito hæc statuuntur. — 1. Potest non esse gratuitum ; art. 1957. Addit art. 1958, quando est gratuitum, illud subjici regulis depositi ordinarii, cum exceptionibus mox afferendis : quæ verba indicare viderentur, in alio casu, quando nempe non est gratuitum, non iisdem regulis subjici. Reipsa dici potest cum Pigeau, t. II, p. 522, esse tunc locationem operarum, et subjici regulis quæ statuuntur de isto contractu. Sed nil vetat dicere cum Delvincourt, *Notes*, p. 436, etiam tunc sufficere regulas depositi, quatenus nempe, juxta dispositionem articuli 1928, sequester debet ob salarium quod percipit majorem curam adhibere in rei custodia : quod in idem recidit.

2. Potest pro objecto habere etiam bona immobilia ; art. 1959. Cum enim lites moveri queant de hujusmodi bonorum proprietate aut possessione, expedire potest ut interim donec controversia dirimatur nullus e contendentibus possessionem retineat. Differt ergo ex hac parte a deposito ordinario.

3. Sequester non potest rem reddere antequam controversia soluta fuerit, nisi consentiant ii omnes quorum interest, vel nisi judex permiserit ex causa legitima ;

art. 1960. En aliud discrimen a deposito ordinario. In isto, depositarius non proprie rem possidet, sed tantum detinet, ut diximus (n° 906) : sequester vero possidet; sed judicio lato, ille cui res adjudicatur censetur toto tempore possedisse, et potest uti beneficio possessionis. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 436 ; DURANTON, n° 88.

917. — 2°. Sequestrum *judiciarium* fit auctoritate judicis. Non est ergo proprie contractus, juxta DOMAT, l. I, tit. VII, *Introduct.*, p. 79, et plures alios. Sed multi dicunt nil obstare quin dicatur contractus, cum post mandatum judicis partes consentiant saltem tacite : ita HAUNOLDUS, t. IV, tr. X, n° 791. Quidquid sit, cum in omni sententia iisdem fere regulis subjiciatur ac sequestrum conventionale, ideo in jure eodem ordine reponitur : eumdem scopum habet, ut facile intelligitur. Locum habere potest in casibus quos assignat art. 1961 : sed illa assignatio non est limitativa : assignantur enim alii casus in codice Judiciali, art. 597, 681, etc.; imo relinquitur arbitrio judicis sequestrum præscribere quotiescumque expedire judicaverit ad servanda jura partium, vel ad decisionem causæ. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 436; quem tamen ulterius progredi existimat TROPLONG, juxta quem judex non potest præscribere sequestrum nisi in casibus prævisis sive in art. 1961, sive in aliis quibusdam dispositionibus legis; n° 293-300. Potest etiam judex abstinere a sequestro præscribendo : ROGRON, ad art. 1961.

Sequester eligitur sive ab ipsis contendentibus, quo casu facile intelligitur adesse contractum, sive a judice : in utroque casu, subjicitur iisdem obligationibus ac in sequestro conventionali; art. 1963. Sequestrum hujusmodi non est ex natura sua gratuitum; salarium determinatur ab ipsa lege (*Tarif*, art. 34) : sequester tenetur adhibere in rei custodia curam boni patrisfamilias ; art. 1962. Vid. supra n° 280.

CAPUT IX.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

918. Contractus aleatorii, sic dicti ab alea (*coup de dé*), ii sunt, juxta POTHIER, *Contr. aléat.*, n° 1, in quibus illud quod ab uno datur aut promittitur alteri est pretium periculi ab isto suscepti : vel, ut dicitur in codice Civili, quorum effectus, quoad lucra vel damna, ex parte utriusque aut saltem alterutrius contrahentis, pendent ab eventu incerto. Ita art. 1104 et 1964. Dicitur *Ex parte utriusque aut saltem alterutrius*, quia supponit art. 1104 aleam versari ex utraque parte, art. vero 1964 supponit fieri posse ut versetur ex una tantum parte. Porro certum est in nonnullis e contractibus quos indicat art. 1964, nempe in ludo, sponsione, et censu vitalitio, aleam existere ex utraque parte. In aliis vero, nempe in contractu assecurationis et in eo qui dicitur *prêt à la grosse aventure*, videtur non adesse aleam nisi ex parte assecurantis, cum ideo præcise fiat contractus ut alea removeatur ab assecurato. Hinc dicunt quidam jurisperiti, prioribus contractibus applicari art. 1104, posterioribus autem art. 1694, cujus proinde definitio est magis accurata. Ita DURANTON, t. XVIII, n° 95-98; DEMANTE, *Programme*, t. III, n° 705. Verum juxta alios, adest ex utraque parte alea etiam in posterioribus contractibus, si spectentur ab initio, quando ex consensu contrahentium exsurgunt, prout jam ab initio diximus (n° 9) : unde cum definitio vulgo spectet ad contractum quando initur, anteponendam judicant definitionem articuli 1104. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 417; ROGRON, ad art. 1964. Quidquid sit, certum est contractus aleatorios fieri in gratiam utriusque contrahentis, sicque differre a contractibus beneficentiæ seu gratuitis : differunt

autem a contractibus stricte commutativis in eo quod non detur præcise res pro re, sed *periculum pecunia æstimetur*, ut loquuntur jurisperiti.

919. Jam vero, art. ille 1694 quinque contractus aleatorios recenset, e quibus duos ad leges maritimas remittit, nempe assecurationem et contractum nautici fœnoris quem nos dicimus *contrat à la grosse*, et de tribus aliis, scilicet ludo, sponsione, et censu vitalitio pauca statuit. Sed hi quinque non recensentur nisi exempli gratia, *tels sont*, etc. : unde per hæc non negatur adesse posse alios contractus aleatorios : modo nil in se injustum includant, nec reprobentur per legem, erunt validi et obligatorii, ut advertit Toullier, t. VI, n° 182, *Note*, in fine, p. 191. Sunt pariter multi contractus quibus admiscetur alea, v. g. emptio jactus retis, vel juris litigiosi, etc. : admisceri potest etiam locationi, mutuo, commodato, etc., quatenus pro certo pretio periculum ab eo suscipitur in quem attenta horum contractuum natura non recideret. In commercio præsertim sæpe ineuntur conventiones quibus includitur aliquid aleatorium. Vid. Troplong, *Contr. aléatoires*, n° 17-24. Unde operæ pretium est tradere principia quibus regi debent hujusmodi conventiones.

920. Agemus 1°. de ludo, quia hujus occasione principia ponunt theologi et quæstiones expendunt quæ ad omnes contractus aleatorios referuntur; 2° et 3° de sponsione, et loteria, quæ sunt species ludi; 4° de assecuratione; 5° de contractu nautici fœnoris, qui cum præcedenti magnam habet connexionem; 6° de transactionibus, quæ aliquid aleatorium involvunt. Quamvis autem sub præsenti titulo de censu vitalitio agat codex Civilis, nos de eo non loquemur nisi ubi de censu generatim spectato, juxta ordinem quem sequuntur theologi, et quem secutus est ipse Pothier. Et revera, ut observat Troplong, n° 209, licet census vitalitius aliquid aleatorium

includat, ideoque habeatur ut quoddam sponsionis genus, attamen alea non est præcipuum ejus elementum, si ita loqui fas est, sed potius referendus est ad contractum venditionis, quemadmodum de contractu censuali generatim spectato videbimus (n° 1041), et intelligi poterit ex iis quæ de ipso censu vitalitio dicemus (n° 1071) : hinc art. 1971 loquitur de *pretio* census vitalitii.

ART. 1. *De ludo.*

921. Ludus generatim dicitur quodcumque ad animi relaxationem seu delectationem ordinatur : si consistat in verbis, dicitur jocus ; si in factis, potius vocatur ludus ; si agatur de exercitiis puerilibus aut juvenilibus, et absque spe lucri, vocantur lusus, dum ludus potius intelligitur de exercitiis gravibus et honestis. Ita saltem distinguunt plures auctores : sed in communi loquendi modo hæc varia verba satis indiscriminatim adhibentur.

De ludo sic generatim spectato hic proprie non agendum habemus : de eo agunt theologi ubi de virtute temperantiæ, secuti S. THOMAM, 2. 2, q. 168. Communiter statuunt ludum esse in se licitum, imo aliquando necessarium. Cum enim, ut ratiocinatur S. Doctor, virtus tam animi quam corporis sit finita, diuturnitate aut vehementia laboris fatigatur : et sicut fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita fatigatio animi solvitur per animæ quietem ; quies autem animæ non tam in cessatione ab omni opere consistit, quam in delectatione. Hinc docent in defectu ludi posse esse peccatum ; sive aliquis propter hunc defectum imparem se reddat officiis suis rite adimplendis, sive aliis onerosum se exhibeat, puta nihil delectabile exhibens, et aliorum delectationes impediens. Sed multo sæpius peccatum adest in excessu, quia, ut ait Aristoteles quem citat S. Thomas : « Parum de delectatione « sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de

« sale sufficit in cibo. » Si quis ergo ludo ita incumbat ut *totaliter gravitas animæ resolvatur*, secundum verba S. Doctoris, manifeste peccat; item, si non serventur debitæ circumstantiæ, v. g., si ludus adhibeatur in temporibus, vel locis indebitis, vel ultra convenientiam personæ : a fortiori, si quæratur delectatio in actibus vel verbis turpibus, aut injuriosis et proximo nocivis; vel si ludentes videantur finem suum ultimum quasi constituere in ludo, quales sunt ii qui sic affecti sunt ut Dei et Ecclesiæ leges transgredi malint, quam a ludo abstinere.

Ludum igitur moderari, ne a medio rationis recedat per defectum vel per excessum, pertinet ad virtutem quam S. Thomas, Aristoteli inhærens, et post eum satis vulgo theologi vocant *eutrapeliam*, seu urbanitatem. Ita etiam S. Franciscus Salesius, *Introd. à la vie dévote*, part. III, c. XXVII. Verum propugnat Bossuet, *Maxim. et réflex. s. la comédie*, n° XXXI, Oper. t. XXXVII, p. 600 et seq., theologos non esse omnino assecutos mentem Aristotelis, eosque recessisse a modo loquendi veterum Patrum. Illud discutere non est præsentis loci. Plurima Patrum testimonia et conciliorum statuta exhibet Thiers, *Tr. des jeux et des divertiss. qui peuvent être permis, ou qui doivent être défendus aux chrétiens selon les règles de l'Église et le sentiment des Pères*, 1 vol. in-12, 1686. Multa etiam traduntur in opere inscripto : *Conversations morales sur les jeux et les divertissements*, auct. Fr. du Tremblay, 1 vol. in-12, 1685 : item in alio, *Résolution sur le jeu de hasard, faite en Sorbonne le 25 juin 1697*, cui subscripserunt septemdecim doctores, 1 vol. in-12.

922. Ludus ab uno solo fieri potest : sed plerumque fit inter plures, et sæpe inter eos initur aliqua conventio : quo posito, jam pro contractu haberi debet, et ad præsentem materiam pertinet, si pretium aliquod adjunctum habeat. Sub eo respectu definiri potest : *Contractus quo*

ludentes inter se conveniunt de aliquo pretio victori cessuro. Quamvis victor pretium recipiat nihil dans ex sua parte, non illud recipit gratuito, sed in compensationem periculi quod subiit pretium illud solvendi, si alter fuisset victor. Hinc contractum illum non inter gratuitos, sed inter onerosos vulgo reponunt jurisperiti. De eo disserunt hic communiter theologi. Exstant peculiares quidam tractatus, e quibus indicabimus : BARBEYRAC, *Tr. du jeu*, 2 vol. in-12, 1709; LA PLACETTE, *Div. traités sur des matières de conscience*, 1 vol. in-12, 1699; tertius tractatus est de ludo, et seorsim postea editus est cum defensione, sub hoc titulo : *Tr. des jeux de hasard défendu contre les object. de M. de Joncourt*, 1 vol. in-12, 1714; POTHIER, *Contr. aléatoires*, *Tr. du jeu*. Duo priores auctores, licet protestantes, plura utilia exhibent. Videri possunt etiam jurisperiti qui explanaverunt cod. Civ. lib. III, tit. XII; speciatim, TROPLONG, *Dépôt et Cont. aléat.* in-8°.

923. Triplex distinguitur hujusmodi ludorum species. Prima est ludorum qui mere pendent a ludentium industria, vel corporali exercitatione, et nihil aut fere nihil a fortuna seu casu fortuito, ut ludus pilæ (*la balle ou la paume*), globulorum (*les boules*), latrunculorum (*les échecs*), etc. Secunda eorum qui omnino pendent a casu, et vix aut ne vix quidem ab industria, ut ludus taxillorum (*de dés*), multi ludi chartarum, etc.: hi omnes vocantur alea, Gallice *jeux de hasard*. Tertia demum mixta est eorum qui reguntur partim industria, partim fortuna, ut ludus scruporum et tesserarum (*le trictrac*), et multi ludi chartarum. Si industria et fortuna concurrentibus, alterutra notabiliter prævaleat, ludus ad primam vel secundam speciem referendus est.

His præmissis, tria hic expendemus. 1°. An et quatenus diversi illi ludi sint liciti; 2°. quænam in eis existere debeant conditiones; 3° qualis obligatio inde exsurgat.

§. 1. *An et quatenus liciti sint ludi cum pacto lucri pro victore.*

924. Quæstio illa spectari potest vel ex jure naturali, vel ex legibus positivis.

I°. *Ex jure naturali.* Nulla adesset difficultas, si ageretur tantum de ludo in quo exponitur summa modica, et qui esset vel meræ industriæ, vel mixtus. Sed si agatur de ludo aleæ, et in quo intendatur lucrum magni momenti, non pauci propugnarunt esse in se malum. Plures citat et sequitur COMITOLUS, *Respons. moral.*, l. III, q. VII, n° 2 et seq. Supponit La Placette hanc fuisse opinionem communiorem casuistarum protestantium[1]. Arguit Comitolus tum ex pessimis consectariis quæ inducit hujusmodi ludus, tum ex eo quod ludus a fine suo naturali avertatur. Alii, prout refert POTHIER, n^is 4, 7, arguunt tum ex eo quod profanetur sors quam esse aliquid in se religiosum probant, sive ex eo quod sæpe in Scripturis adhibita fuerit ad indicandam Dei voluntatem, sive ex his *Proverb.*, XVI, 33 : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur;* tum ex eo quod irreverenter postuletur interventus Dei in re tam levi, quod est tentare Deum. Sed his non obstantibus cum plerisque theologis recentioribus tenendum est ludum, etiam omnino aleatorium, non esse per se illicitum. 1°. Non est illicitus quatenus ludus præcise, ut facile intelligitur ex prænotatis : ex eo enim obtineri potest animi oblectatio; referri potest etiam ad vitandum otium, et mala quæ ex otio sæpissime sequuntur. 2°. Non quia adest pretium. Si enim habeatur ut contractus gratuitus, sicut possum dare gratis bonum meum, ita dare possum sub conditione eventus

[1] Ad eam opinionem satis accedere videtur S. FRANCISCUS SALESIUS, *Introd.*, part. III, c. XXXII; ipsum tamen non intendisse existimamus ut verba sua in sensu rigoroso sumerentur.

futuri : si autem ut contractus onerosus, adesse potest æqualitas, ut modo exponemus, nec proinde læditur justitia. Insuper, ut observat MOLINA, D. DX, n° 3, pretium inservire potest ad oblectationem sumendam : languent enim ludentium animi, quando nullum victori propositum est præmium, aut saltem minus oblectantur, ut testatur experientia. De hoc redibit sermo, ubi *de Conditionibus ludi.* 3°. Non quatenus aleatorius. Nam 1. alioquin essent damnandi omnes contractus aleatorii, ut assecuratio, et plura alia pacta quæ passim fieri solent, et pro licitis habentur; item ludi mixti : quod tamen non admittunt theologi quos impugnamus. 2. Nullius roboris videntur argumenta quæ illi afferunt. Etenim potest quidem sors adhiberi ad aliquid religiosum, prout sæpe adhibitam reipsa videmus in sacris Scripturis; sed non inde sequitur eam esse in se aliquid religiosum, quod ad usus profanos adhiberi nequeat. Et revera quotidie ad eam recurritur in divisione hæreditatum et multis aliis circumstantiis : nec quisquam existimat ideo committi profanationem. Pariter verum est per providentiam sortem dirigi; sed non aliter quam quoscumque alios eventus, seu modo generali : si quando adsit interventus peculiaris ut, v. g., in electione S. Matthiæ, illud est prorsus extraordinarium, nec debet ad alios casus extendi, aut ludo applicari. Ergo nihil extraordinarium a Deo expetunt ludentes, neque irreverentiæ erga Deum accusari possunt, nec dici potest eos velle tentare Deum. Hæc breviter indicat POTHIER, n^is^ 5 et 7 : et fusius evolvunt BARBEYRAC, l. I, c. II, et præsertim LA PLACETTE, *tr.*, c. II et seq., et *Déf.*, c. IX et seq.

Non dissimulandum tamen multa mala sæpe e ludo oriri, ideoque esse valde periculosum : sæpe enim non servantur conditiones quas ad honestatem ludi necessarias esse indicabimus in paragrapho sequenti. Hinc lusores

sæpissime peccant tum erga Deum, cui vix ullam partem sui temporis consecrant, cujus nomine sæpe abutuntur, et contra quem non raro in blasphemias erumpunt; tum erga proximum, sive erga pauperes quibus non succurrunt, sive erga creditores quos suo jure sæpe frustrant, sive erga eos sub quorum potestate sunt, et quorum bona dissipant, sive erga collusores, quibuscum sæpe rixantur, etc.; tum erga seipsos, sive fortunam suam disperdendo, ut plerumque accidere ostendit experientia, sive animæ suæ ruinam inducendo : quodque pejus est, id habet ludi habitus commune cum ebrietate et impudicitia, quod crescat in dies; unde vetus adagium : *Qui a joué, jouera.* Hæc omnia ludi incommoda et pericula pluribus evolvit La Placette, c. vii-ix; item du Tremblay, *Convers.* iv, p. 99 et seq.; vehementibus increpationibus prosecuti sunt multi SS. Patres et doctores, imo et plures ethnici, quorum testimonia longo agmine exhibet Thiers, c. xiii et seq. Videri potest etiam Dusaulx, *de la Passion du jeu,* in-8° : inter multa confuse exposita, quædam utilia extrahi possunt. Hinc non mirum quod doceant theologi denegandam esse absolutionem iis qui, non solum ludunt, sed alcæ deserviunt, id est, sunt impense dediti : præsertim si subjiciantur legibus de quibus modo. Vid. Habert, *de Contract.*, part. iii, c. xix, §. 2, q. 6°, p. 379.

925. II°. *Ex jure positivo.* In jure occurrunt dispositiones tum generales erga quascumque personas, tum speciales quoad clericos.

I. *Erga quascumque personas.* 1°. In jure Romano, vetitum erat in pecuniam ludere, præterquam certis ludis, qui fiunt exercitationis corporalis causa : non solum nulla dabatur actio victori ad exigendum quod lucratus fuerat, sed actio tribuebatur victo ad repetendum quod solverat. Quamvis enim generatim non competeret facultas repetendi quod solutum fuerat ob turpem causam quando

turpitudo versatur ex utraque parte, aliud statuebatur in præsenti casu *odio aleæ*, seu in pœnam, et ne spes lucri ad aleam induceret. Vid. TROPLONG, n^is 37, et 171-174. Has dispositiones non solum confirmavit JUSTINIANUS, sed insuper statuit ut actio ad soluti repetitionem non præscriberetur eodem spatio temporis quo cæteræ actiones, sed tantum post quinquaginta annos; utque, victo solutum non repetente, liceret præsidibus et defensoribus civitatum illud repetere, et in opera publicæ utilitatis expendere. *Cod.*, l. III, tit. XLIII. Vid. POTHIER, n° 39-44; *Répert. de jurispr.*, v° *Jeu*, n° 1, t. VIII, p. 640. Sic præcavebat legislator ne lucri cupiditas aleatores alliceret.

2°. In jure Gallico veteri, multæ etiam latæ fuerant leges contra aleatores. Præcipuas indicat POTHIER, n° 45-48; plures in extenso referuntur *Répert., ibid.*, n° II, p. 649 et seq. Quædam ex illis, præsertim antiquiores, videntur attingere quoscumque ludos, iis tantum exceptis quos leges ipsæ indicabant: sed postea restrictæ fuerunt ad ludos aleatorios, et eos præsertim in quibus exponebantur summæ notabiles, Gallice *gros jeux*. In his variæ pœnæ decernebantur, præcipue contra eos qui domos subministrabant quo convenirent aleatores, et speciatim in junioribus et filiisfamilias fovebant ludendi libidinem. Sed quod magis ad scopum nostrum confert, in edicto Ludovici XIII, ann. 1629, sic statuebatur, art. 138: « Déclarons toutes « dettes contractées pour le jeu, nulles, et toutes obliga- « tions et promesses faites pour le jeu, quelque dégui- « sées qu'elles soient, nulles et de nul effet, et déchargées « de toutes obligations civiles et naturelles.» Et in edicto Ludovici XVI, 1 martii 1781, art. 10: « Déclarons « nuls et de nul effet tous contrats, obligations, promes- « ses, billets, ventes, cessions, transports, et tous autres « actes de quelque nature qu'ils puissent être, ayant pour

« cause une dette de jeu, soit qu'ils aient été faits par des « majeurs ou par des mineurs. » De vi illarum dispositionum nonnulla dicemus in paragrapho tertio. Non tamen dabatur condictio indebiti post solutum pretium, quia prævalebat principium generale ex quo, posita turpitudine ex utraque parte, potior habetur ille qui est in possessione. TROPLONG, n° 176.

3°. Ex jure Gallico novo, non prohibetur ludus, etiam aleatorius; sed statuit codex Civilis, art. 1965 : « La loi « n'accorde aucune action pour une dette de jeu, ou pour « le payement d'un pari. » Art. 1967 : « Dans aucun cas, « le perdant ne peut répéter ce qu'il a volontairement « payé, à moins qu'il n'y ait eu, de la part du gagnant, « dol, supercherie ou escroquerie.» In codice autem Pœnali, art. 410, 475 et 477, decernuntur pœnæ contra eos qui instituerint forum aleatorium (*qui auront tenu une maison de jeux de hasard*), vel qui ludos publice instituerint in vicis et plateis : et fisco addicuntur summæ quæ reperientur ludo expositæ, instrumenta et utensilia variaque objecta mobilia ad instruendam vel ornandam domum inservientia.

926. — II. *Quoad clericos.* Multas esse et gravissimas SS. Canonum sanctiones quibus clerici a ludo et aleis removeantur nemo ignorat. Plurima testimonia occurrunt ap. THIERS, *op. cit.*, speciatim cap. XX, p. 218 et seq., ubi eorum veluti summarium exhibet. His accessit auctoritas concilii Tridentini, sess. XXII, cap. 1, *de Reform.* Ea omnia evolvere non est præsentis loci. Sufficiat observare tria esse in quibus generatim prohibendis satis concordant canones et ecclesiastica decreta : 1°. quoad ludos publice initos : imo observant auctores generatim non decere ut clerici cum laicis ludant, etiam ludis non prohibitis; 2°. quoad ludos aleatorios, ad quos præcipue referuntur leges ecclesiasticæ; 3° quoad ludos chartarum : quamvis

non videatur ullam legem generalem Ecclesiæ prohibuisse clericis quoscumque chartarum ludos, peculiares tamen occurrunt prohibitiones in multis variarum diœceseon statutis. Vid. de tota hac materia *Dissert. touchant le divertissement convenable et bienséant aux ecclésiastiq.*, 1 vol. in-12, 1684, art. III, V et seq.; *Confér. de Langres*, tom. III, conf. LXVII, p. 435 et seq.; COLLET, *Tr. des devoirs d'un pasteur*, c. VIII, n° IX et seq.

§. 2. *De conditionibus in ludo requisitis.*

927. Quædam conditiones requiruntur ut ludus sit justus, quædam vero ut sit honestus et licitus : de utrisque seorsim dicemus.

I°. Ad JUSTITIAM LUDI quatuor præcipue requiruntur conditiones.

I^a^. Conditio est ut ludentes *possint disponere* de iis quæ ludo exponunt. Per se satis patet hujus conditionis necessitas.

Hinc 1°. si unus exponat ludo rem furtivam, aut ad se non pertinentem, et alter eam lucretur, non potest iste eam retinere, sed debet domino restituere, ut patet. Sed ex communi doctrina, ait DE LUGO, D. XXXI, n° 14, qui eam ludo perdidit tenetur erga ipsum de evictione. Posita autem hac obligatione, contractus non habetur ut irritus; ac proinde, ut docent auctores, *ibid.*, n° 15, si ille qui rem alienam exponebat ipse lucretur, poterit lucrum retinere. Aliud tamen dicendum, juxta MOLINAM, D. DXVIII, si exponens rem alienam non habebat unde redderet illius valorem in casu evictionis : cum enim tunc non exponeretur periculo aliquid perdendi, non potuit juste lucrari. Ita etiam DE LUGO, n° 15, et HAUNOLDUS, t. IV, tr. X, n° 1071.

Merito observat Haunoldus, n° 1070, in casu quo ludus ita est prohibitus ut ex eo non oriatur obligatio, eum

qui rem perdidit non teneri erga alterum de evictione. Hinc aiebat JUENIN, *Cas de consc.*, t. II, tr. XIV, §. IV, p. 299, obligationem illam assecurandi contra evictionem non vigere in Galliis, quia irrita decernebantur debita ex ludo contracta : de quo infra (n° 938).

Hinc 2°. si quis ludat cum minore, uxore, aut aliis qui non habent liberam bonorum dispositionem, non potest lucrum retinere, sed debet restituere (nisi agatur de summis modicis quæ censeantur eorum dispositioni omnino permissæ ab iis a quorum auctoritate pendent). Ita POTHIER, nᵇ 9, 10, 11; *Collat. Andegav.*, *Contrats*, conf. XI, quest. I, p. 780, et alii communiter.

Sed si minor ipse, v. g., lucretur, poterit-ne retinere lucrum? — Ita videri posset, cum lex quæ eum inhabilem declarat in ejus favorem tantum lata sit, ut vidimus in part. I, n° 187 : et revera affirmat BEUSCH, c. III, n° 70, p. 185, quia alter debet sibi imputare quod cum minore lusu congressus sit; idem docet AZOR, quem citat et sequitur *Collat. Ambian.*, t. IV, conf. LX, quest. III, p. 248, quia ille qui scienter ludit cum minore voluntarie se exponit periculo perdendi absque spe lucrifaciendi, ac proinde ipsi non fit injuria. Alii tamen negant. Cum enim ludus sit contractus onerosus, debet adesse æqualitas : porro in præsenti casu non adfuit, cum minor nullum subierit periculum; ergo nullum habet titulum, vi cujus possit lucrum illud retinere. Ita POTHIER, n° 12; *Collat. Andegav.*, *ibid.*, p. 781; BARBEYRAC, l. II, c. IV, §. V, p. 161; JUENIN, *ibid.*, §. VII, p. 319. Et revera, ut observat POTHIER, n° 14, iste contractus valde differt a contractibus commutativis : in istis, quando minor obligat alterum contrahentem ad standum contractui, ipse ex sua parte dat æquivalens, sicque non læditur æqualitas; in ludo autem semper verum remanet ipsum non subiisse periculum, nec proinde adfuisse æqualitatem. Id satis certum videtur si

alter non cognoverit conditionem minoris; sed si cognoverit, magis dubium est, ob rationes prioris opinionis. Attamen non videtur, saltem regulariter, ibi adesse ex parte illius qui cupiditate allicitur ad ludendum cum minore condonationem sufficientem ut iste lucrum retinere possit. Vid. S. Liguori, l. 3, n° 875.

928. — II^a. Conditio est ut adsit *liber ludentium consensus*. Id evidenter sequitur ex principiis generalibus.

Hinc 1°. si quis ludat cum semiebrio qui non est capax consensus pleni, irritus est contractus : igitur, si lucretur, debet restituere : Pothier, n° 13. Si vero lucretur semiebrius, existimat idem auctor, n° 14, quem sequitur *Collat. Andegav.*, p. 782, eum debere etiam restituere, quia cum non subierit periculum, nullum titulum habet ad lucrum retinendum. Applicari possunt quæ modo diximus.

Hinc 2°. si unus alterum injuste cogat ad ludendum, non concordant auctores. Juxta Molinam, D. dxvi, n° 3, quem sequitur S. Liguori, l. 3, n° 880, dignus quidem est aliqua pœna, et debet aliquam satisfactionem pro injuria illata, sed non tenetur lucrum restituere : contractus enim fuit validus, et in se justus et æqualis. Neque hic applicari potest quod statuitur generatim de contractibus initis ex metu, scilicet eos esse rescindibiles ad nutum læsi (n° 72). Nam in iis, qui postulat rescissionem restituit quod recepit, ut recipiat quod ipse dedit : sed in ludo nihil tale fieri potest; uterque dat alteri spem lucrandi, et ludo transacto jam talis spes non potest alteri reddi; ergo locus non est rescissioni.

Juxta plures alios, neuter potest retinere lucrum. Non quidem metum incutiens, qui non debet lucrum percipere ex sua injustitia. Sed neque alter : quia læderetur æqualitas contractus, si lucraretur ille qui perdere non poterat. Hanc decisionem admittit Pothier, n° 16, quem sequi-

tur *Collat. Andegav.*, p. 781, 782, excipiens casum quo ille cui metus incussus est non potuisset vel noluisset impedire alterum ne lucrum reciperet, si sors ei favisset; tunc enim qui subiit periculum potest percipere lucrum.

Tandem juxta communiorem et veriorem sententiam, qui metum incussit non potest retinere lucrum; potest vero alter. Hanc ita probat DE LUGO, D. XXXI, n° 29, quem sequuntur HAUNOLDUS, n° 1074, COLLET, *de Contract.*, part. II, c. XIII, n° 73, p. 664, JUENIN, §. V, p. 302. Qui injuriam alicui intulit tenetur reparare damna quæ ex ea secuta sunt, et quæ prævidit forte secutura: atqui damnum amissionis secutum est ex ludo ad quem injustus metus impulit; ergo reparandum est. Sed nihil tale occurrit quoad alterum : unde eum non teneri restituere si lucratus fuerit ita patet ex omnium sensu, ut non credam, inquit Haunoldus, inventum iri ullum qui ea de re scrupulum habeat. Igitur contractus ludi habendus est ut in se validus, et obligatio pro uno restituendi oritur tantum ex damno injuste illato; quæ ratio non alteri applicatur.

Hinc 3°. si unus e ludentibus habeat intentionem non solvendi, posito quod vincatur, et utendi beneficio legum, censet POTHIER, n^is 17, 18, eum non posse lucrum retinere, tum ex defectu consensus, tum ex defectu æqualitatis in contractu : deceptum vero posse retinere, si lucretur, quia consensus fictus deceptoris censetur validus contra illum, et deceptus incurrit periculum solvendi, si victus fuisset. Idem docent LESSIUS, c. 26, n° 31; JUENIN, §. VII, p. 317; et alii quidam.

Alii tamen docent nihil obstare, quin ille qui talem habuit animum possit retinere lucrum, quia ut ab initio vidimus (n° 26) ad validitatem contractus non requiritur animus implendi obligationem, sed solum eam suscipiendi. Ita DE LUGO, n° 54; HAUNOLDUS, n° 1081.

Nobis videtur distinguendum esse cum BILLUART, D. VI, art. V, §. II, p. 369 : si leges omnino irritent ludum, non valet contractus, quia non exsurgit obligatio; et qui non potest perdere, non potest lucrari : si vero denegent tantum actionem, standum principio generali, juxta quod non requiritur ad contrahendam obligationem animus eam implendi.

929. — III^a. Conditio est ut fideliter observentur *ludi leges*. Si enim adhibeantur fraudes, committitur injustitia, ut patet : unde, ait POTHIER, n° 27, debet deceptor restituere non solum lucrum quod percepit, sed illud quod alter alioquin fuisset percepturus. Ita etiam DE LUGO, n° 33 : et in hoc conveniunt auctores, inquit AZOR, quem citat et sequitur *Collat. Ambian.*, t. IV, p. 252. Si dubium sit quis seposita fraude lucraturus fuisset, restituendum erit quanti valebat spes victoriæ in eo qui deceptus est. Ita COLLET, n° 58, p. 660, quem sequitur S. LIGUORI, n° 882.

Sunt tamen quædam astutiæ in se licitæ, et passim in ludis quemadmodum in bello receptæ seu toleratæ. Ut secernantur ab illicitis, recurrendum est ad leges ludi, ad consuetudinem, ad conventiones ludentium, et ad judicium peritorum in hac materia. Si meus adversarius erret in suum damnum, non teneor illum monere, quia, inquit BILLUART, p. 369, et DAELMAN, q. III, *obs.* I, p. 164, quem citat nec improbat COLLET, n° 60, p. 660, quisque in ludo suas partes agit. Id verum putamus quoad errorem in modo ludendi. Sed non existimamus extendi posse ad casum quo error versatur, v. g., circa modum numerandi puncta, et alia hujusmodi : qui enim tot puncta obtinuit, jam vere lucratus est, nec magis error ei nocere debet quam error mercatori aut emptori in numeranda pecunia, etc. Ita BARBEYRAC, l. II, c. III, §. VI, p. 149; POTHIER, n° 28; JUENIN, §. VI, p. 308. Excipiendum

tamen cum Barbeyrac, si aliud ferant leges ludi, aut consuetudo : sunt enim quidam chartarum ludi in quibus errores aut inadvertentia ludentium partem aleæ constituunt.

930. — IV^a. Conditio est *æqualitas* inter ludentes. Hujus conditionis necessitas sequitur ex eo quod ludus sit contractus onerosus, in quo uterque emit spem lucrandi periculo perdendi. Ita POTHIER, n° 19, et alii vulgo. Illa autem æqualitas triplici ex parte spectari potest : 1°. ex parte conditionum ; requiritur ut ambo ludant iisdem conditionibus, nisi unus in gratiam alterius cedat jure suo in nonnullis : de hoc nulla videtur difficultas ; 2°. ex parte pretii expositi : debet esse idem ex utraque parte, nisi unus censeatur alteri facere condonationem, vel nisi aliunde inæqualitas compensetur, ut modo dicemus : de hoc etiam nulla difficultas ; 3°. ex parte peritiæ : generatim videtur satis certum periculum debere esse ex utraque parte æquale ; quod locum non habebit, si ambo ludentes non sint moraliter ejusdem peritiæ. Sed de hujus principii applicatione ad varios casus non ita constat. Ratio habenda est triplicis ludorum speciei quam ab initio memoravimus (n° 923).

1. In ludis *mere aleatoriis*, numquam deesse potest illa æqualitas, ut patet.

2. In ludis *mixtis*, si unus sit notabiliter peritior altero, non adest æquale periculum, ut patet. Potest autem compensari inæqualitas, si peritior vel augeat pretium, seu summam a se expositam, vel alteri concedat quædam commoda. Ita POTHIER, n° 22. Sed si non instituatur hæc compensatio, adest injustitia, et peritior tenebitur ad restituendum, si lucretur : illudque verum est licet alterum præcise non deceperit ; quia sicut in venditione et in aliis contractibus onerosis qui damnum passus est ex inæqualitate contractus eo ipso jus habet ad compensationem,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ita in præsenti casu. Id negant graves quidam auctores, quia imperitus sibi imputare debet quod non exploraverit peritiam alterius. Sed affirmat communis opinio, teste DE LUGO, n° 44 : eam tenent MOLINA, D. DXVII, n° 2; HAUNOLDUS, n° 1079; JUENIN, §. VII, p. 314; BILLUART, §. II, p. 368. Si autem imperitus moneatur de alterius peritia, et nihilominus ludere velit, iste retinere poterit lucrum quando præsumi poterit condonatio, ut si agatur de re parva, vel de viro generoso qui velit delectationem ludi tali jactura quærere. Sed si agatur de re magni momenti, neque circumstantiæ ostendant animum donandi, potius præsumendum erit eum non credidisse excessum peritiæ qualis erat, et ideo affectu experiendi lusisse, nec proinde illud sufficiet ut peritus possit lucrum retinere. Ita DE LUGO, n° 50, quem citat et sequitur COLLET, n° 66, p. 662; POTHIER, n° 22; JUENIN, p. 316. Observat tamen POTHIER, n° 23, quem sequitur *Collat. Andegav.*, p. 784, in eo casu non esse restituendum totum lucrum, sed locum esse tantum reductioni proportionatæ, ita ut, v. g., si periculum duplo minus fuerit ex parte peritioris, possit retinere dimidiam partem : quoad illam adfuit æqualitas.

3. In ludis *mercæ industriæ*, notabiliter peritior vix ullum periculum moraliter incurrit; nihil igitur videtur retinere posse, ne minimam quidem summam : differt iste casus a casu ludi mixti, in quo verum periculum subiit ludens peritior. Ita POTHIER, n° 25.

931. Quid vero, si ludant duo sibi invicem ignoti, et unus sit longe peritior altero? — Censet POTHIER, n° 24, quem citat nec improbat *Collat. Andegav.*, p. 785, semper esse restituendum, quia cum in rei veritate non adfuerit æqualitas, contractus fuit in se injustus, licet bona fide initus. Idem est igitur ac si res bona fide vendita fuisset ultra vel infra justum pretium. Aliter sentit

Barbeyrac, l. II, c. II, §. XV, p. 137 : item de Lugo, n° 43, testans auctores in hoc consentire; Collet, n° 68, p. 663; Juenin, p. 313 : et merito quidem, ut videtur. Ratio est, quia uterque exponitur pari periculo inveniendi lusorem peritiorem : ergo adest æqualitas. Sed advertunt illi auctores, peritiorem, cognita veritate, non posse ludum prosequi, nisi compenset aliquo modo inæqualitatem.

Observandum superest ea quæ diximus de inæqualitate peritiæ inter ludentes non esse applicanda quando agitur, non de ludo inito præcise ad lucrandum vel perdendum, sed de lucro aut præmio proposito victori, ut fit, v. g., in concursu, seu ludis aut certaminibus publicis : tunc potest procul dubio præmium retinere is qui scit se esse omnibus aliis peritiorem. Nam præmia ista ad hoc præcise proponuntur ut dentur iis qui cæteris præcellunt, et ludus est quasi examen ad inveniendum digniorem : unde nulli fit injuria. Ita de Lugo, n° 45; Billuart, p. 368; Juenin, p. 315.

932. II°. Ad honestatem ludi variæ pariter requiruntur conditiones, quas breviter indicabimus, quia minores patiuntur difficultates, nec tam directe spectant ad scopum nostrum.

1°. Ex parte *finis*. Debent ludentes intendere oblectationem, seu potius animi aut corporis levamen : qui est finis legitimus ludi, ut ab initio diximus. In ludo gratuito, potest intendi honesta recreatio post laborem, vel corporis exercitatio, vel alterius sublevamen, etc. : sed non est debitus finis si quis intendat tantummodo terere tempus, quod destinatur labori. Hæc evolvit Pothier, n° 30-33. In ludo non gratuito, saltem si exponantur summæ magni momenti, non possunt reperiri aut saltem communiter non reperiuntur iidem fines; neque enim lucrum confert ad exercitationem corporis, nec prodest, imo sæpe nocet

oblectationi animi, qui graviter commovetur et perturbatur ex metu amittendi. Multa sæpe etiam adjunguntur mala : huic enim potissimum applicantur ea quæ supra (n° 924) diximus de periculis ludi. Vid. etiam POTHIER, n° 34 et seq., quem sequitur *Collat. Andegav.*, p. 785, 786.

Quid vero, si quis in ludo intendat unice aut saltem præcipue lucrum? — Dicunt plures theologi esse peccatum, sive quia ludus avertitur a fine suo naturali, sive quia est actus prodigalitatis exponere pecuniam fortunæ, sive quia id pertinet ad avaritiam, sive quia contra charitatem et æquitatem est velle cum alieno damno ditari : imo quidam docuerunt esse peccatum mortale, quia intenditur notabile detrimentum proximi. Verum ostendunt MOLINA, D. DXI, et DE LUGO, n° 4, nullius roboris esse hanc ultimam assertionem, siquidem intenditur lucrum via justa, ut supponitur; cæteras autem rationes, quæ ad summum probarent peccatum veniale, non semper et necessario applicari, cum desiderium lucri, si non sit nimium, possit esse honestum et habere legitimum finem, v. g., sustentationem familiæ, etc. : unde concludit de Lugo, si concurrant debitæ circumstantiæ, non esse cur damnetur peccati etiam venialis qui ludit principaliter propter lucrum. Ita etiam DAELMAN, q. III, obs. 1, p. 157. Attamen de facto evenit ut sæpe desint illæ debitæ circumstantiæ, in iis præsertim qui ita ludo sunt dediti ut ex eo quasi ex quadam arte seu commercio lucrum quærant : et tunc plerumque tot adjuncta habet mala, ut vel ipsis paganis aleatores despectui fuerint, et repositi inter sordidum quæstum sectantes. Hæc pluribus evolvit BARBEYRAC, l. III, c. 1, §. VII, p. 183 et seq. Vid. etiam POTHIER, n^is^ 37, 38, et *Collat. Andegav.*, p. 786. Non mirum igitur quod aliquando admisceantur peccata etiam mortalia : quod facile dignoscetur, si in casibus specialibus attendantur variæ circumstantiæ; quod semper accurate

præstandum est, quia, ut merito observat COLLET, n° 57, p. 659, practicæ hujusmodi quæstiones non abstractim definiendæ sunt, sed ex circumstantiis.

933. — 2°. Ex parte *summæ* quæ exponitur. Non debet exponi nisi summa modica proportionate ad uniuscujusque vires, adeo ut nec familia, nec creditores, nec ipsi pauperes detrimentum inde patiantur : alioquin læditur justitia aut charitas, ut facile intelligitur. Sed etsi nemini ullum immineat detrimentum, certum est ex experientia, in iis præsertim ludis in quibus summa major exponitur, qui Gallice dicuntur *gros jeu*, illa mala et pericula occurrere de quibus modo loquebamur. Vid. BARBEYRAC, l. III, c. II, p. 198 et seq.

Ea occasione, quæritur quid sentiendum, si ludantur preces sacræ, quas victus teneatur recitare pro victore, pro animabus purgatorii, etc.? — Usum illum redarguit THIERS, c. XXXI, p. 425, veluti, ut ipse ait, *un rafinement de dévotion hétéroclite ou irrégulière* : item DU TREMBLAY, *Convers.* VII, p. 242. Ulterius progreditur BARBEYRAC, l. II, c. IV, §. II, p. 156, qui ibi deprehendit sacrilegium et simoniam, cum res sacræ non possint esse objectum contractus, ut pote extra commercium positæ. Judicat etiam HABERT, c. XIX, §. II, q. 2°., p. 374, 375, sancta sancte tractanda esse, nec ipsi videntur satis religiose misceri sacra cum ludicris.

Verum aliter sentiunt DE LUGO, n° 5, et alii plures, quos citat et sequitur COLLET, n° 82, p. 662; et merito. Nulla enim ibi adest irreverentia. Preces non constituuntur in ludi pretium, sicut cum deponitur pecunia, neque sunt finis intentus in ludo : sed quæritur animi levamen et adjicitur onus precum veluti quidam stimulus ad victoriam obtinendam. Sic e ludo desumitur occasio aliquid sacrum adhibendi quo aliquatenus ludus ipse sanctificetur : et decet, inquit quidam theologus, ut qui honestam

in Ecclesia militante recreationem sumunt, aliquod Ecclesiæ patienti levamen procurent. Hinc talis est usus multorum piorum, et præsertim communitatum.

Duo tamen observanda monent allati auctores. Primum est, ne desit reverentia in sacris orationibus peragendis: meminerint victi jam non agi de ludo peragendo, sed de sanctis sancte tractandis. Secundum, ut oratio sit ex utraque parte solvenda : si enim unus deberet preces fundere, alter vero aliquid temporale solvere, jam posset esse periculum simoniæ; imo ait S. Liguori, n° 882 in fine, hoc fore certe simoniam : sed nullum est periculum, si spirituale detur pro spirituali.

A fortiori ludi potest in gratiam pauperum, id est, eo pacto ut victus aliquid iis erogare teneatur. Quamvis illud reprobet Thiers, *ibid.*, p. 426, nihil apparet inordinatum : contra, sic præciditur lucri cupiditas in ludentibus, et fovetur charitas quæ sollicitam se ostendit in procurando, qualibet data occasione, pauperum sublevamine. Ita Barbeyrac, l. III, c. II, §. X. p. 210.

934. — 3°. Ex parte *temporis*. Nimium ne impendatur ludo cavendum est, præsertim ne illud impendatur quod necessarium est implendis obligationibus et negotiis quibus unusquisque pro suo statu vacare debet. Cæterum quale præcise tempus impendi possit, per certam et uniformem regulam determinari nequit : id pendet a qualitate personarum et a variis in quibus versantur circumstantiis. Vid. Barbeyrac, l. III, c. IV, p. 230 et seq.

935. — 4°. Ex parte *personarum*. Sunt quædam ludorum genera, inquit Habert, c. XIX, §. I, p. 365, quibus vacare licet, quæ nonnullas tamen personas minime decent. Conceditur viris ad ludendum materies, qua nonnisi indecore uterentur mulieres, et contra. Quædam sunt quæ in laicis nihil habent offensionis, habent vero plurimum in clericis. Quis nesciat parochos in animis populorum aucto-

ritatem omnem deperdere atque opinionem, si quando intelligant populi coire inter se ac congregari pastores ad oblectationem et ludum? Hæc ille : quibus addi potest non posse aut vix posse permitti personis in tali statu fortunæ, aut in tali conditione positis ludos qui absque ulla difficultate in diverso statu ac conditione permitterentur.

936. — 5°. Tandem habenda est ratio *circumstantiarum* loci, temporis, etc. Quædam, inquit HABERT, *ibid.*, permittuntur privatim et clam, quæ in publico et coram aliis vitio verterentur, aut certe minime probarentur. Idem de temporis opportunitate dicendum. Ludi quidam sunt qui certis quibusdam diebus nulla ratione adversantur, qui tamen omnino abhorrent ab aliis diebus pœnitentia, aut pietate publica consecratis.

Hæc omnia, et plura alia quæ, ut ait idem auctor, p. 366, non studio vel præceptis discuntur, sed nativo sentiuntur pudore, facile intelligentur et in praxi applicari poterunt, si hæc tria attendantur, quæ observanda esse monet, p. 360, ut ludus instituatur ad normam virtutis : primum, an liceat; secundum, an deceat; tertium, an expediat, scilicet ad salutem et ad seria opera peragenda. Videantur quæ affert ad hæc explicanda et evolvenda. Multa etiam occurrent in opere citato, *Conversat. sur les jeux*, speciatim *Convers.* II et VIII.

§. 3. *Qualis obligatio exsurgat ex ludo.*

937. Si agatur de ludo licito, nulla videtur esse difficultas : solvere tenetur qui victus est, nisi obstent dispositiones legum. Illud certum est, ait BILLUART, §. IV, p. 373 : idem ait DE LUGO, n° 69; nullus est qui dubitet, ait MOLINA, D. DXIII, et aperte sequitur ex eo quod ludus sit contractus justus, ac proinde obligatorius.

Si vero agatur de ludo prohibito, quæstio est an victus

teneatur solvere, et an victor possit non solutum exigere vel solutum retinere? De quo magna est opinionum conflictatio : juxta COMITOLUM, l. III, q. VIII, nis 1, 4, luctatio est recentibus scriptoribus cum antiquis : antiqui universe docent restituendum esse lucrum ex ludo perceptum; sed contrarium tenent alii non pauci. Varias opiniones exponit COLLET, nº 88 et seq., p. 667. Alii enim nullo modo obligant victum ad solvendum, et si solverit obligant victorem ad restituendum. Alii ita sentiunt quidem de gravi summa, sed aliud omnino statuunt de summa levi. Alii pure et simpliciter obligant victum ad solvendum. Alii demum docent lucrum actu ex ludo perceptum tuta conscientia retineri posse; sed non adesse obligationem solvendi debitum ex ludo contractum. Ut quæstio solvatur, expendendum quænam sit legis ludum prohibentis dispositio.

1°. Si lex ludum irritet, adeo ut conferat actionem victo ad repetendum quod solvit, nulla videtur difficultas: non adest obligatio solvendi, quia lex illa lata ex motivo ordinis publici videtur obligare in conscientia. Ita *Collat. Ambian.*, q. IV in fine, p. 260, 261, dicens in hoc concordare doctores; JUENIN, §. VIII, p. 321; POTHIER, nº 59; LA PLACETTE, c. XII, nº V. Contradicit quidem BARBEYRAC, l. III, c. IX, nº XV, p. 532 et seq., quia lex illa obligat quidem judicem ad admittendam actionem victi, sed non istum obligat ad eam intentandam : si ergo renuntiaverit juri aut intentioni eam intentandi, exigit bona fides ut ad eam non recurrat. Sed non æquum videtur ut contrahentes possint ita legis dispositioni renuntiare, quia alioquin lex inutilis esset. Et revera cum dispositio lata sit propter bonum commune, eam renuntiationem invalidam pronuntiant DE LUGO, nº 65, HAUNOLDUS, nº 1082, JUENIN, §. VIII, p. 323, S. LIGUORI, nº 891, et alii.

2°. Si lex ludum prohibeat tantum, denegando actionem tum victori, tum victo qui jam solvit, major adesse potest difficultas, ut evolvit POTHIER, n° 55-57, ubi varias rationes pro utraque parte affert. Attamen dicendum videtur cum sententia communiori tunc adesse obligationem solvendi. Etenim cum ex hypothesi lex non irritet obligationem, sed tantum deneget actionem, eatenus tantum tolleretur obligatio, quatenus oritur ex contractu illicito, seu de re turpi. Porro illud non sufficit. Nam 1. si admittatur sententia magis communis, quæ tenet contractum sub conditione turpi validum esse post impletam conditionem, non videtur ullam adesse rationem cur non valeat ille de quo hic agitur. 2. Etiam admittendo aliam opinionem, prout admisimus in parte I (n° 333), iste contractus non est irritus : tum quia agitur de re extrinsece tantum mala ; tum quia lex non supponitur nisi prohibens, ac proinde subsistere debet contractus qui est ex natura sua validus, nisi dicatur contractum prohibitum eo ipso irritari, quod nemo admittit.

Attamen monent communiter auctores sæpe opportunum esse ut confessarius eos qui summam notabilem per ludum obtinuerunt obliget, per modum pœnitentiæ, ad eam erogandam pauperibus, vel etiam iis qui eam perdiderunt, si indigeant. Ita ipse POTHIER, n° 58.

3°. Si quis juravit se soluturum quod ludo perderet, dicunt communiter theologi eum teneri solvere, nihil impedientibus juribus civilibus. Est omnium sententia, inquit MOLINA, D. DXV, n° 9, nisi in ipsa solutione sit aliquod peccatum, v. g., quia esset in detrimentum bonorum uxoris, aut alia ratione : juramentum enim servandum est quotiescumque servari potest absque peccato. Quatenus illud certum sit et quousque extendi debeat, jam generatim expendimus, n° 371 et seq.

938. His præmissis, si deveniamus ad factum, id est,

si expendamus quænam sint dispositiones legum, ut judicetur qualis reipsa obligatio exsurgat ex ludo, hæc observare possumus.

1°. Ex *jure Romano*. Satis communiter docent theologi victum non teneri solvere, sed posse uti exceptione per legem concessa, quia frustra solvitur quod statim repeti potest; sed si solvit, victor non tenetur reddere nisi interveniat sententia judicis. Ita multi quos citat et sequitur MOLINA, quoad priorem partem, D. DXIV, n° 8, et quoad posteriorem, D. DXIII, n° 2, dicens esse sententiam communem inter doctores; DE LUGO, n° 60; DAELMAN, q. III, obs. I, p. 166 et seq.; COLLET, n° 92 et seq., p. 668 et 669; JUENIN, §. VIII, p. 322; S. LIGUORI, n^is 890 et 887. Illudque omnino consentaneum est iis quæ supra (n° 925) diximus, quod nempe actio tribueretur victo in pœnam aleæ. Majorem quidem vim legi Justiniani tribuere videtur POTHIER, n^is 44 et 59, et agnoscere obligationem restituendi etiam ante sententiam judicis. Sed, quidquid sit, dicunt plures auctores, si talis fuerit sensus legis, eam fuisse consuetudine contraria abrogatam. Dubium relinquit ipse POTHIER, n° 60, an lex Justiniani vigeret in nostris provinciis juris scripti.

2° Ex *jure Gallico veteri*. Multi distinguebant inter pretium statim solutum, et debita contracta ex ludo. Primum a victore retineri poterat, nec ulla actio ad repetendum competebat victo qui solverat : nisi tamen ageretur de minoribus, quorum parentibus aut tutoribus actio tribuebatur ex art. 59 edicti Molinensis an. 1566, et art. 140 edicti an. 1629, ad repetendum quod illi solverant. Quoad debita vero, erant omnino irrita, etiam naturaliter, ex edicto Ludovici XIII, cui consentaneum erat edictum Ludovici XVI, prout supra retulimus. Ita HABERT, §. II, p. 386, 387; *Collat. Ambian.*, q. IV, p. 259, et q. V, p. 262; COLLET, n^is 95, 98, p. 669; JUENIN, §. VIII,

p. 324. Ratio autem hujus discriminis inter pretium jam solutum et debita (quod quidem etiam in quibusdam aliis regionibus vigebat), hæc affertur a pluribus auctoribus ap. *Collat. Ambian.*, p. 264 : « Postquam semel colluso-« rum animus ludo incaluit, si ludatur pecunia credita, « ludunt sine modo et termino et in magna quantitate, in « qua non luderetur si pecunia esset præsens. » Attamen *Collat. Andegav.*, p. 789, propugnabat edictum Ludovici XIII non esse usu receptum quatenus tollebat in debitis ex ludo contractis obligationem naturalem. Et revera edictum illud non memorabat POTHIER, et satis aperte supponebat, n^is^ 55, 58, stare obligationem naturalem et denegari tantum actionem in foro externo. Illud hodie parvi ad nos interest.

Cæterum observabat POTHIER, n° 51, in ludis qui, utpote informandis ludentibus ad exercitia militiæ idonei, expresse permittebantur a lege, actionem dari ad exigendum pretium conventum : nisi tamen ageretur de summa nimia, arbitrio judicis. Ita etiam *Répert. de Jurispr.*, v°. *Jeu*, n° VI, t. VIII, p. 646.

939. — 3°. Ex *jure novo*. 1. Non datur actio victori ad exigendum quod ex ludo debetur; art. 1965. Unde irriti declarantur chirographi, non solum si in iis exprimatur hæc causa, sed si, alia expressa, nihilominus probetur hanc esse veram causam. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 418; CHARDON, *Du Dol*, t. III, n° 561; TROPLONG, n° 60 et seq.

Excipiuntur quidam ludi exercitationis corporalis, qui indicantur art. 1966 : in quibus non includi ludum qui dicitur *le billard* pluries judicatum refert DURANTON, t. XVIII, n° 110; item TROPLONG, n° 57 : quibus tamen contradicere videtur CHARDON, t. III, n° 558. Sed etiam in iis ludis si summa sit immodica, judices possunt rejicere postulationem : tunc enim satis patet ludentes intendisse

lucrum, non vero exercitationem corpori utilem; ac proinde applicanda est regula generalis : ideoque non est locus reductioni, sed denegatur actio. Ita DELVINCOURT, *ibid.;* DURANTON, n° 111; CHARDON, t. III, n° 557; BOILEUX, ad art. 1966; TROPLONG, n° 51.

2. Si pretium ludi jam voluntarie solutum sit, non datur locus repetitioni, nisi adfuerit dolus aut injustitia ex parte victoris; art. 1967. Juxta DELVINCOURT, *ibid.*, ita statutum fuit duplici ex ratione : primum quia ex ludo oritur obligatio naturalis; deinde quia, si obligatio habeatur ut orta ex causa illicita, turpitudo versatur ex utraque parte, ideoque potior est conditio possidentis. Priorem rationem admittit TOULLIER, t. VI, n^is^ 381, 382, qui ideo observat non declarari ut olim irritas obligationes ortas ex ludo : eam rejicit BOILEUX, ad art. 1967, quia si esset obligatio naturalis, posset esse objectum fidejussionis, quod tamen non admittitur. Juxta TROPLONG, n° 182-191, in discussione articuli modo agnita fuit, modo rejecta ea obligatio naturalis : in ipso autem articulo nihil de ea pronuntiatur. Unde ipse distinguendum putat, n^is^ 189, 190 : si ludus sit moderatus, est honestus, et producit obligationem naturalem; ideoque tantum denegatur actio, quia oblectamentum non debet verti in actum commercii : si vero ludus sit immoderatus et inordinatus, jam nullam obligationem producit, quia ludens non ratione ducitur, sed sola cupiditate; unde si non possit repetere solutum, ratio est quia non debet obtinere patrocinium legis quam transgressus est.

His præmissis, cum semper verum remaneat legem nihil aliud efficere quam denegare actionem, dicendum est, quotiescumque servatæ sunt leges ad justitiam ludi requisitæ, juxta principia jam exposita, victum teneri in conscientia ad solvendum, nec victorem obligari ad restituendum quod recepit. Et ita docent D. BOUVIER, p. 377;

Theolog. Tolosan., p. 535; LOGEROT, p. 294; D. RECEVEUR, p. 300; novus editor *Collat. Andegav., Observat. prélim. sur les Contrats*, n° XIII, p. 239. Unde applicari potest solummodo quod supra diximus de opportunitate aliquando imponendi restitutionem per modum pœnitentiæ.

Cæterum non semper satis constat quandonam censeri debeat jam facta solutio. Docet DURANTON, n° 116, quem sequitur BOILEUX, ad art. 1967, ita esse quando pecunia jam ab initio fuit deposita in mensa (*l'Enjeu mis sur table*), vel in manu tertiæ personæ : est tunc solutio facta sub conditione victoriæ; qua posita, pecunia non tantum debetur victori, sed in ejus dominium transiit, adeo ut actio ipsi competeret ad eam vindicandam, si depositarius eam tradere nollet, vel si victus eam retraxisset. — Sed illud difficile admitti posse judicat TROPLONG, n^is 201, 202 : semper verum est agi de ludente qui id repetit quod ludo lucratus est, ac proinde tribui nequit actio.

ART. 2. *De sponsione.*

940. Sponsio (Gallice, *gageure*, *pari*) est *contractus quo duo vel plures de veritate aut eventu rei alicujus contendentes, conveniunt de præmio ei cessuro qui veritatem fuerit assecutus.* Itaque, inquit HAUNOLDUS, tr. X, n° 1085, in hoc contractu unus affirmat, alter negat : et vicissim se obligant ad dandum præmium alteri, qui veritatem attigerit. Non est autem necesse ut præmium sit idem respectu utriusque : nec etiam est necesse ut consistat in aliquo positivo, aut in re corporea; potest enim consistere in negativo, v. g., obligando se ad aliquid non faciendum, vel non exigendum, item in re incorporea, v. g., in aliquo jure. Dicitur autem *de veritate aut eventu rei*, quia contentio potest esse vel de re præterita aut præsenti sed ignota; vel de eventu futuro, sive sit omnino contingens

et independens a facto contendentium, v. g., quod intra tot dies pluet, sive ibi interveniat factum aut industria unius aut utriusque contendentis, v. g., quod unus intra tale tempus talem metam cursu attinget, vel quis prior attinget, etc. In isto ultimo casu, recidit in ludum de quo jam locuti sumus.

Ex his intelligitur sponsionem esse 1° contractum *aleatorium* : ea species ludi quam aleam vocant (n° 923) nihil aliud est quam sponsio. 2°. Est contractus *consensualis*, in eo sensu quod non exigat traditionem rei seu præmii, sed solo consensu perficiatur. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 418. In alio autem sensu quæstionem expendit HAUNOLDUS, n° 1089. Scilicet quando sponsio fit de eventu independente ab operatione spondentium, certum est contractum perfici solo consensu, ac proinde neutrum contrahentem posse resilire sine consensu alterius. Si vero agatur de aliqua operatione spondentium, v. g., Petrus spondet cum Paulo quod ipsum cursu superabit, quæstio est an possit Petrus non currere, sicque impedire ne Paulus ipsum superet? Respondet Haunoldus id pendere ab intentione spondentium, an nempe spoponderint tantum sub conditione, si currerent; an vero voluerint se obligare ad currendum : dicit autem illud judicandum ex circumstantiis; sed putat plerumque præsumi animum se obligandi. Docet pariter COLLET, n° 131, p. 677, adesse obligationem quando agitur de sponsione jam perfecta, seu deposito jam pignore vel data fide de eodem : secus, si quis aliquale duntaxat spondendi desiderium exhibuerit; nihil enim apud garrulos quosdam familiarius est quam dicere : *Spondeo aureum vel nummum*, qui tamen si se sentiant tantillum urgeri, demittunt aures, et non spondent. Juxta DE LUGO, n° 89, quem hic ut in aliis multis non citat sed tamen sequitur JUENIN, tr. XIV, c. II, p. 332, distinguendum est : si hæc concertatio fiat per modum

sponsionis, solo consensu perficitur, et ea facta neuter potest resilire; si autem per modum ludi, non potest unus ludo incœpto resilire, sed eo non incœpto resilire potest, quia concertantes non censentur habuisse animum se obligandi ad ludendum. Variæ illæ opiniones non sibi invicem adversantur, sed possunt simul conciliari et pro diversis casibus inservire. 3°. Est contractus *non solemnis*, qui nulli speciali formæ subjicitur.

941. His præmissis, duo investiganda habemus.

I. *Utrum contractus sponsionis sit licitus?* — Negaverunt quidam auctores, iisdem moti rationibus quas attulimus circa ipsum ludum (n° 924). Sed affirmant communiter auctores, propter rationes *ibidem* allatas. Adest ex utraque parte periculum amittendi, et spes lucrandi. Ait quidem S. Liguori, l. 3, n° 869, in sponsionibus esse plerumque peccatum veniale, quia deest motivum cohonestans licitæ recreationis, sicut in ludo. Sed illud est extrinsecum naturæ ipsius contractus, et est per accidens. Insuper dici potest cum Collet, n° 111, p. 672, 673, id boni habere sponsionem, quod contentionibus de veritate aliqua finem imponat : addit quod et petulans genium juventutis, quæ nihil se nescire credit, ad modestiæ et debitæ cautionis limites reducat.

Ex jure civili, olim non concordabant jurisperiti : vid. Troplong, n° 85-87. Apud nos ex sponsione oriebatur actio coram lege, quando objectum bonum erat, causa honesta, et spondentes contrahendi capaces; secus vero, quando deficiebat quædam ex his conditionibus. Vid. *Répert. de Jurisp.*, v°. *Gageure*, n° II, t. VII, p. 124. Hodie vero idem de sponsione statuitur ac de ludo : nulla conceditur actio; art. 1965. Visum est legislatori ex sponsione eadem timenda esse incommoda ac ex ludo. Vid. Troplong, n° 93-95. Applicanda sunt proinde quæ supra diximus (n° 939). Si sponsio pro objecto haberet ludum

lege permissum, art. 1966, actio ex ea oriri posset. Vid. TROPLONG, n° 96.

942. II. *Quænam requirantur conditiones ut justa sit sponsio?* — Tres præcipuæ assignari possunt.

I^a. *Conditio* est, ut res seu eventus de quibus spondetur eodem sensu sumantur seu intelligantur ab utroque spondente : alioquin consensus duorum non ferretur in idem placitum, nec certo sciri posset cuinam victoria obtigisset.

943. II^a. *Conditio* est, ut eventus utrique incertus sit : nam uterque debet incurrere idem periculum; hic applicantur quæ diximus (n° 930) de æqualitate in ludo requisita. Hinc oritur dubium utrum spondere possit ille qui certus est de re de qua spondetur? — De quo plura statui possunt. 1°. Consentiunt omnes, ait DE LUGO, n° 78, eum non posse regulariter spondere : quia læderetur æqualitas, nec adesset ex ejus parte periculum quod vidimus esse sponsionis objectum. 2°. Consentiunt pariter, ait idem auctor, n° 79, eum qui, se credens certum, ex negatione constanti alterius incipit dubitare, posse spondere; quia tunc in sua opinione se exponit periculo, sicque restituitur æqualitas. 3°. Demum, consentiunt eum qui se certum credidit, et postea comperit se reipsa certum non fuisse sed vere expositum periculo, posse retinere pretium sponsionis. Ita MOLINA, D. DVIII, n° 2; DE LUGO, n° 80; COLLET, n° 119, p. 674; BILLUART, §. V, p. 375. Peccavit quidem spondendo, ration esuæ conscientiæ : sed ex parte rei fuit æqualitas et justa sponsio; nil ergo vetat quin rei dominium vere translatum sit ad victorem.

Sed difficultas est, quando ille asserit alteri se esse certum, et iste nihilominus vult spondere. — Quidam admittunt tunc licitam esse sponsionem, quia ei qui versatur in errore non infertur injuria, et ipse sibi imputare debet. Verius alii universaliter negant, ait DE LUGO, n° 81. Ita MOLINA, D. DVIII, n° 1; HAUNOLDUS, n° 1088; COLLET, n° 122,

p. 675; JUENIN, p. 329. Ratio est, quia alter non credit ordinarie : alioquin non sponderet. Deinde semper verum est non adesse in contractu æqualitatem : deest materia seu objectum, nempe periculum amittendi ex una parte, et spes lucrandi ex altera. Idem ergo est ac si quis vitrum pro gemma venderet : etiamsi monitus fuisset emptor, non ideo valeret contractus; ita et in præsenti casu. Ut ergo lucrans retinere posset, requireretur condonatio alterius, ut ait BILLUART, p. 375 : quæ quidem condonatio præsumi forte potest quando agitur de modica summa; sed vix aliter.

944. Quid ergo si quatuor, v. g., pro cathedra vel aliquo officio concurrant, et aliquis cum unoquoque spondeat eum non obtenturum? Tunc contra tres certe lucrabitur, cum unus tantum possit obtinere : poteritne lucrum retinere? — Negant quidam, quibus adhæret COLLET, n° 129, p. 676 : tum quia non adest tunc eventus incertus; tum quia saltem fit injuria illis spondentibus, quatenus majus pretium exponere deberet sponsor, qui minori periculo exponitur, cum tres sortes ipsi faveant, et una tantum singulis aliis. Affirmat tamen DE LUGO, n° 87, quem hic etiam sequitur JUENIN, p. 330. Etenim quilibet ex iis contractibus est in se justus, cum adsit eadem spes lucrandi et idem periculum amittendi. Neque si simul spectentur, ideo fiunt injusti : nam per secundum non tollitur justitia primi, et sic deinceps; nulla injuria fit sponsoribus, quorum quilibet habet eamdem spem lucrandi et periculum amittendi, et parvi uniuscujusque interest quod ille quocum contraxit contrahat postea cum aliis, nec ne. Quod autem sponsor certus sit de lucro, id est omnino per accidens, et obtinetur sine cujusquam injuria. Revera aliquid satis simile occurrere videbimus in contractu assecurationis, qui a variis societatibus cum tot privatis initur, ut moraliter certum sit damnum quoad quosdam subeun-

dum plusquam compensandum fore per lucrum erga plures alios obtinendum.

945. — III[a]. *Conditio* est, ut sponsio fiat de re licita, et non ad crimen ex se inductiva. Cum enim dari non possit obligatio ad illicitum, evidens est sponsionem esse invalidam in eo sensu quod spondentes teneantur abstinere ab opere de quo spoponderunt. Unde, ut ait DE LUGO, n° 73, reprobandæ sunt sponsiones circa ingluviem aut potum, ut lucretur qui plus comedet aut bibet, quæ sunt gravissimorum peccatorum causa.

Sed utrum, opere posito, teneatur victus pretium solvere, non ita constat. Hæc quæstio solvenda est ex iis quæ diximus ubi de *Contractu sub conditione turpi:* unde, etiam impleta conditione, non aderit obligatio solvendi pretium sponsionis, juxta ea quæ ibi docuimus (n° 333).

Diximus : *Non ad crimen* EX SE *inductiva*, quia si res de qua spondetur non directe, sed occasionaliter tantum ad crimen inducat, non ideo contractus haberi debebit ut irritus, aut in se illicitus, ut intelligitur ex iis quæ diximus *ibidem*. Et revera nisi id admitteretur, condemnandus esset census vitalitius, in quo adest periculum ne detur occasio exoptandæ mortis. Attamen periculosum est etiam meram occasionem peccati præbere : unde hujusmodi contractus poterit esse illicitus, si satis proxima sit talis occasio, nec aliunde honestis et gravibus causis excusetur. Vid. DE LUGO, n[is] 74, 75; COLLET, n° 115, p. 673.

946. Sunt nonnulla de quibus per leges speciales prohibentur sponsiones, sive ob periculum mox memoratum, sive ob alias causas. Sic Pius IV et Gregorius XIV prohibuerunt ne sponsio fieret super electione futura S. Pontificis, aut etiam cardinalium. Vid. DE LUGO, n° 90; JUENIN, p. 332; COLLET, n° 128, p. 676. Sic olim apud nos prohibitum fuisse dicitur ne sponsio fieret de gravidi-

tate cujusdam mulieris, vel de sexu prolis ex ea nascituræ. *Répert. de jurispr.*, v° *Gageure*, n° VI, t. VII, p. 124. Sic hodie variis pœnis plectuntur, cod. Pœn., art. 421, 422, *les paris sur la hausse ou la baisse des effets publics*; de quibus plura olim jam statuta fuerant : sed difficultas est, quandonam præcise fieri censeantur hujusmodi sponsiones, utrum et quatenus ab iis distinguantur variæ conventiones quæ quotidie in foro argentario (*à la Bourse*) iniri solent. De his opportunius dicetur ubi de *Negotiatione censuum*. Generatim quando vigent hujusmodi leges, videndum est quid præcise statuant, ut judicium feratur de sponsionibus quæ, his non obstantibus, factæ fuissent : applicari possent ea quæ supra diximus de ludo.

ART. 3. *De lucro per sortem seu loteria.*

947. Lucrum per sortem illud est quod ex jacta sorte alicui cedit, seu, ut loquuntur alii theologi, quod obtinetur ex contractu sortium. Illud autem pluribus modis contingit. 1°. Quando res est inter plures dividenda, et illi sortiuntur quamnam partem debeat unusquisque accipere. 2°. Quando plures conveniunt ut sorte experiantur ad quem pertinere debeat res communis seu ad quam omnes jus habent, sed quam dividere non possunt, aut non volunt. 3°. Quando multi dato pretio ad rem certam obtinendam, sorte experiuntur ad quem ea res pertinere debeat. De ista ultima ludi specie, quæ loteria dici consuevit, speciatim dicendum habemus.

Itaque loteria seu lotria, a multis theologis dicta *ludus ollæ* (ratione vasis unde olim extrahebantur schedulæ), diverso modo institui potest. Antiquis temporibus, apud Romanos adhibebatur per modum donationis gratuitæ : scilicet in quibusdam circumstantiis distribuebantur schedulæ, quas qui obtinebant, vel saltem plures ex ipsis varia objecta lucrabantur in his schedulis enuntiata. Aliquid

simile factum est sub Ludovico XIV. Vid. *Répert. de jurispr.*, v° *Loterie*, §. 1, n° 1, t. x, p. 250. Loteria autem de qua hic agimus, quæ fit per modum ludi seu contractus onerosi, duplici præsertim modo instituitur. Aliquando agitur de unico objecto, pro quo obtinendo omnes concurrentes quamdam pecuniæ summam deponunt aut promittunt, et sortiuntur cujusnam schedulæ possessor sit illud obtenturus, dum cæteri nihil accipient. Aliquando plura sunt objecta, et e concurrentibus varii varia objecta lucrantur, vel quidam multum, quidam parum, quidam nihil.

948. Loteriarum quadruplex genus distinguit Collet, n° 134, p. 677 : aliæ dici possunt *politicæ*, quæ ad imminuendas regni necessitates ; aliæ *charitatis*, quæ ad paupe-rum levamen ; aliæ *commercii*, quæ ad distrahendas merces, gemmas, quandoque domos ; aliæ demum *ludi*, quæ seu a principe ad publicam oblectationem, seu ab amicis ad privatam animi recreationem ordinantur. Jam vero ex his, præter ultimam, nullam olim fuisse quæ non indigeret auctoritate principis, asserit quidam auctor *ibid.* citatus : quod intelligi puto, pergit Collet, si loteriæ illæ certam ad usque quantitatem assurgant ; nemo enim sibi regio diplomate opus esse credit ut inter vicinos loteriam decem aut viginti nummis constantem, et illico transituram instituat.

Revera hæc est series legum quæ apud nos circa loteriam latæ sunt. Olim nulla institui poterat sine auctoritate Regis. Plures institutæ fuerant, et quidem modo permanenti, ad subveniendum variis necessitatum publicarum speciebus. Anno 1766 per edictum regium omnes suppressæ sunt, et unica instituta fuit quæ dicta est *Loterie royale*, et multa fuerunt pro ejus administratione sancita. Hæc abrogata fuit 25 brum. an. II (15 nov. 1793). Sed denuo instaurata sub titulo loteriæ nationalis per legem 9 vendem.

an. VI (30 sept. 1797), in qua simul prohibetur institutio alterius cujuscumque loteriæ privatæ aut extraneæ : multa deinde fuerunt præscripta sive quoad illius loteriæ administrationem, sive quoad hanc prohibitionem, quæ confirmatur per art. 410 cod. Pœnalis. Vid. *Répert. de jurispr.*, v° *Loterie*, §. I, n° VIII, et §. II, n° I-VII, t. X, p. 256 et seq. Tandem post sæpe repetitas reclamationes, ortas e magnis abusibus quibus locum dabat illa loteria, diu tamen effectu suo frustratas propter ingens emolumentum quod inde percipiebat ærarium publicum (quinque circiter milliones fr.), hæc per legem 21 maii 1836 statuta fuerunt : « Art. 1. Les loteries de toute espèce sont « prohibées. — 2. Sont réputées loteries, et interdites « comme telles, les ventes d'immeubles, de meubles ou « de marchandises, effectuées par la voie du sort, ou aux- « quelles auroient été réunies des primes ou autres béné- « fices dus au hasard, et généralement toutes opérations « offertes au public pour faire naître l'espérance d'un gain « par la voie du sort[1]. » Art. 3 et 4 decernuntur pœnæ contra eos qui loteriis cooperarentur. Art. 5 sic habet : « Sont exceptées des dispositions des art. 1 et 2 ci-dessus « les loteries d'objets mobiliers exclusivement destinées à « des actes de bienfaisance ou à l'encouragement des arts, « lorsqu'elles auront été autorisées dans les formes qui « seront déterminées par des règlements d'administration « publique. » Illæ autem formæ fuerunt determinatæ per edictum regium 29 maii 1844 : facultas requisita conceditur Parisiis a præfecto politiæ, alibi a præfectis, proponentibus majoribus (*les maires*) ; sortitio fit sub inspectione auctoritatis municipalis, quæ invigilat ut omnes

[1] Juxta D. PARDESSUS, t. II, n° 305, p. 84, 85, per hanc legem prohibitæ videntur operationes quæ dicuntur *Emprunts avec lots et primes*, quæ tamen satis frequenter adhibentur, præsertim a variis urbibus quibus per legem specialem id conceditur.

summæ perceptæ impendantur ad usum propter quem loteria fuit permissa. Vid. *Journ. des Conseils de fabriq.*, t. x, p. 321 et seq., ubi hæc exponuntur, et plura adducuntur de historia et legislatione loteriarum.

949. His præmissis, expendendum est quid sit sentiendum de loteriis, an ut licitæ haberi possint. Quidam auctores eas omnino reprobarunt. Ita Sainte-Beuve, *Cas de consc.*, t. II, cas LXXXIV, edit. in-8°, et præsertim auctor operis inscripti : *Dissert. théolog. sur les loteries*, 1742, 1 vol. in-12 (l'abbé Coudrette, jansenianorum sectæ addictus)[1]. His præsertim nituntur. 1°. Illæ loteriæ fovent cupiditatem, avaritiam, necnon et otiositatem. 2°. Cum loteriæ administratores sibi tribuant summam aliquam, titulo, ut dicitur, *de préciput*, jam tollitur æqualitas ludi, ac proinde inducitur injustitia. Ita ratiocinatur auctor præclari operis, *Logique de Port-Royal*, part. IV, c. XVI. 3°. In loteria occurrit sortis abusus et profanatio ; et hic applicantur quæ supra allata sunt contra ludum omnino aleatorium.

Sed hæc ultima ratio jam confutata fuit. Cætera vero non ostendunt loteriam quamcumque esse illicitam aut injustam. Contra docent vulgo theologi eam nihil in se vitiosi includere, ac proinde licitam esse, modo serventur debitæ conditiones. Ita plures theologi, etiam doctrinæ rigidioris, quos citat et sequitur Collet, n° 135, p. 678, qui his nititur. 1°. Talis est pene unanimis etiam timoratorum sensus, sive hi ludo huic identidem vacent, sive numquam, quod multis contingit. 2°. Loteria fit ex pacto

[1] Multum invehitur contra loteriam institutam a D. Languet, parocho S. Sulpitii Parisiensis, qui sic multas pecuniæ summas collegit ad perficiendam suam ecclesiam ; et ait, p. 127, 128 : « Nous savons par « voie très-sûre, qu'en 1713 M. Tisseran, qui faisoit dans le sémi- « naire de S. Sulpice les conférences, prouvoit aux séminaristes que « les loteries ne sont pas permises. » Factum istud pro certo nollemus assumere ; si verum esset, explicari posset ex modo dicendis.

mutuo, eoque spontaneo; tantum datur quantum promissum fuit; nec quisquam pecuniam suam conferre cogitur : ergo nulla fit injustitia, nec læditur charitas. 3°. Loteria spectari potest vel ut ludus, quo ludentes aliquid exponunt iis cessurum quibus felix schedula obtigerit; vel ut contractus emptionis, quo pecuniam conferentes jus emunt sortiendi, et acquirendi illud quod sorte contigerit; vel ut donatio conditionalis, quam omnes faciunt sive in gratiam eorum qui aliquid consequentur, sive in gratiam eorum quorum utilitas in loteriæ institutione intenditur. Porro sub illo triplici respectu facile ostendi potest loteriam nihil habere in se vitiosi.

Dicitur 1° : *In se*, seu spectata tantum natura ipsius intima : quia agnoscendum est occasione loteriæ publicæ et permanenter institutæ multos irrepere abusus, et mala induci gravissima, eadem nempe quæ indicavimus ubi de ludo generatim spectato (n° 924). Hinc audivimus a confessario prudente et multæ experientiæ, eos qui ad hanc loteriam recurrere solebant habendos fuisse tamquam in occasioneproxima peccati constitutos et proinde absolutione indignos. Hinc etiam non mirum quod ad mores publicos interesse visum fuerit ut loteria abrogaretur : quamvis sentiant non pauci non ideo malum e medio sublatum esse, sed lusorum libidinem ad alia divertisse, v. g., ad ludos clandestinos, loterias extraneas; ita saltem pluries evenisse jamdiu multiplex edocuit experientia. Vid. *Journ. des Cons. de fabriq., loc. cit.* p. 322 et seq.

950. Dicitur 2°. *Modo serventur debitæ conditiones*, quæ nunc paucis exponendæ sunt.

I°. *Conditio* est, ut non violetur dispositio legis. Jam vidimus quid apud nos sancitum fuerit. « Attamen, inquit « D. Bouvier, p. 379, ubique quædam instituuntur lote- « riæ ad sustinenda pia opera destinatæ, ex consensu ex- « presso vel tacito magistratuum. A fortiori non prohibentur

« loteriæ parvi momenti, quæ per modum ludi fieri so-« lent. » Hæc ultima observatio consentanea est iis quæ supra ex Collet retulimus. Nihilominus opportunum est, prout monet diarium mox citatum, p. 321, ut parochi et viri ecclesiastici perspecta habeant legis civilis statuta, et ad ea attendant, ne varia incommoda incurrant ex parte magistratuum qui non raro sunt erga ipsos parum benevoli.

II^a. *Conditio* est, ut non adsit fraus sive in schedis educendis, sive in solvendo id quod promissum est. Si enim minuantur aut permutentur præmia lucrantibus proposita, si schedulæ ita disponantur, vel alia media adhibeantur ut tollatur æqualitas inter concurrentes, etc., facile intelligitur committi injustitiam, quæ resarcienda erit ab eo qui hanc commiserit.

III^a. *Conditio* est, ut loteriæ institutor non recipiat ultra valorem rei in præmium propositæ nisi ex consensu plane libero concurrentium. Scilicet si quis loteriam instituat commercii causa, non debet plus moraliter ea via lucrari quam si alio modo rem venderet aut pecuniam impenderet : sane, inquit Collet, n° 144, p. 680, contentus esse debet qui per loteriam summo pretio et intra modicum tempus distrahit id quod minutim vendendo vix infimo pretio distraxisset. Sed quando loteria instituitur ad indigentiæ levamen, vel ad bonum aliquod opus, potest, imo et debet, ne inutilis fiat, res distrahi supra suum valorem : sed tunc consentiunt concurrentes, qui intendunt ut promoveant bonum opus. Idem dicendum de loteria instituta ad publicum bonum, seu ad necessitates regni : quo in casu, concurrit insuper auctoritas principis quasi tributum imponentis; quamvis satis dubium sit an deceat ille modus tributa obtinendi.

Huc demum referri possunt plures ex conditionibus supra assignatis ubi *de Ludo* (n° 927 et seq.).

Art. 4. *De contractu assecurationis.*

951. Quando aliquis alterius periculum in se suscipit, sicque illud ab eo avertit seu eum securum reddit, dicitur *assecuratio*. Hic contractus nunc receptissimus, veteribus olim incognitus fuisse videtur. Quædam ejus vestigia apud Ciceronem, Titum Livium, et Suetonium occurrere existimarunt recentiores jurisperiti : sed omnino ambigua[1]. In jure Romano nihil de eo statuitur, saltem quod sit omnino expressum : sed non pauca leguntur, ff., XXII, II, et cod. IV, XXXIII, de contractu *Nautici fœnoris*, qui cum assecuratione magnam habet analogiam, ut infra (n° 1012) exponemus[2].

Contractus assecurationis, qualem nunc spectamus, originem multi referunt ad Judæos, ex Gallia aut aliis regionibus expulsos, vel ad quosdam ex iis qui inter bellorum medii ævi tumultus sæpe regionem mutare cogebantur, speciatim ad eos qui in historia adeo noti sunt sub nomine *de Guelfes et de Gibelins*[3]. Alii autem dicunt hujus occasionem ortam esse ex legibus Ecclesiæ contra usuram. Cum scilicet sub eo obtentu reprobaretur contractus nautici fœnoris, qui erat commercio valde utilis, variæ initæ sunt viæ ad præcavendam hanc prohibitionem. Primum quidem dictum fuit auctuarium exigi, non vi mutui, sed propter susceptum periculum; deinde excogitatus est contractus qui aliud non haberet objectum quam susceptionem periculi[4]. Quidquid sit, assecuratio potissimum

[1] Vid. Boulay-Paty, *Tr. des assurances d'Émérigon*, 1827, 2 vol. in-4°, *Préf.*, p. IV et seq.; Lemonnier, *Commentaires sur les principales polices d'assurance maritime usitées en France*, 1842, 2 vol. in-8°, *Préf.*, p. XXXVI et seq.; et præsertim Alauzet, *Tr. général des assurances*, 1844, 2 vol. in-8°, t. I, n° 9 et seq.

[2] Lemonnier, *ibid.*; Alauzet, n° 14-17.

[3] Estrangin, *Traité du contr. d'assur. de* Pothier, 1810, 1 vol. in-8°, *Préf.*, p. X.

[4] Vid. Lemonnier, p. XLIII, et seq.; Alauzet, p. 29 et seq.

inducta est circa merces transvehendas, et quidem quoad pericula maris. Hinc tunc præsertim invaluit, quando commercium maritimum majorem obtinuit extensionem. Hinc etiam hujus regulæ sancitæ fuerunt per leges quæ versabantur circa commercium maritimum, et speciatim olim apud nos per edictum regium anni 1681, quod dicebatur *Ordonnance de la marine*, « la plus belle, sans con-« tredit, de toutes celles de Louis XIV, » inquiunt Émérigon, *Préf.*, p. II, et illius editor, Boulay-Paty, *Avertiss.*, p. I; « laquelle, inquit Estrangin, p. XIX, XX, a jus-« tement fait époque dans la législation maritime; obli-« gatoire pour les seuls Français, elle est devenue, presque « dès sa promulgation, le droit commun de l'Europe. Au-« jourd'hui encore, inquit Lemonnier, *Préf.*, p. LXXII, « citée et appliquée en Angleterre comme raison écrite, « elle est invoquée comme loi par la jurisprudence Russe. » Hodie etiam codex Civilis, art. 1964, quoad assecurationem remittit ad leges maritimas, quæ leguntur in codice Commercii (art. 332 et seq.), cujus auctores profitentur se in omnibus fere inhæsisse edicto regio mox citato; Estrangin, p. XXI et seq. Attamen paulatim mos invaluit hunc contractum ineundi circa multo plura alia objecta, et generatim circa ea omnia quæ alicui periculo exponuntur. Satis notum est quot hodie efformatæ fuerint et quotidie efformentur societates, quæ vulgo dicuntur *Compagnies d'assurance*[1]. Ea de causa plures prodierunt de hac materia tractatus, quorum præcipui mox a nobis fuerunt in notis indicati : iis addendi sunt Quenault, *Tr. des assur. terrestres*, in-8°, 1828; Grün et Joliat, *Tr. des*

[1] Seriem variarum societatum quæ post edictum an. 1681 fuerunt efformatæ exhibet Alauzet, part. I, cap. IV; qui et indicat, cap. V, plura alia objecta ad quæ extendi posset contractus assecurationis. Juxta Lemonnier, *Préf.*, p. LXXVIII, apud nos, ab anno 1830, societates octoginta efformatæ sunt et fuerunt a gubernio approbatæ.

assur. terrestres et de l'assur. sur la vie des hommes, in-8°, 1828; et D. PARDESSUS, qui in IV^a^. et V^a^. editione sui operis, *Cours de droit commercial*, tom. II et III, multo fusius quam in prioribus editionibus de variis assecurationum speciebus disseruit.

952. His præmissis, assecuratio definiri potest cum postremo isto auctore, t. II, n° 588 : *Conventio qua unus e contrahentibus erga alterum pro certo pretio se obligat ad compensanda damna rebus designatis forte obventura in tempore et casibus per hanc conventionem prævisis.* Qui se obligat seu periculum in se suscipit dicitur assecurator, *l'assureur*, alter vero assecuratus, *l'assuré* : pretium autem vocatur præmium, Gallice *prime*. Ista contrahentium nomina, sicut et hæc definitionis verba, *Damna compensanda*, indicant verum et directum contractus scopum esse aversionem periculi, seu damni reparationem, ac proinde requiri ut assecurati res aliquatenus intersit (*qu'il ait intérêt à la chose*) : et in hoc differt iste contractus a mera sponsione, cujus scopus est lucrum assequendum ex eventu qui spondentium non interest; unde magnum inter utrumque discrimen, cum assecuratio habeat causam rationabilem et vere utilem, sponsio autem in sola alea fundetur : proinde non mirum quod leges assecurationi faveant, sponsioni vero nullam protectionem concedant. Vid. ESTRANGIN, *sur Pothier*, n° 11; QUENAULT, n° 3-6; GRÜN et JOLIAT, n° 18.

Cum, ut diximus, hujus contractus mentio non fiat in jure Romano, nec proinde ibi occurrant regulæ in eo servandæ, investigarunt veteres theologi et jurisperiti ad quamnam speciem contractuum referendus esset. Alii reducebant ad locationem, alii ad fidejussionem, alii ad sponsionem; alii dicebant esse contractum innominatum : *Do ut facias*. Sed communius revocabant ad contractum venditionis, quatenus certo pretio venditur susceptio pe-

riculi, seu obligatio ad illud præstandum. Ita inter theologos MOLINA, t. II, D. DVII, n° 2, et alii quos citat et sequitur GIBALINUS, *De universa rerum humanar. negotiatione*, t. II, l. IV, c. XI, art. I, n° 5 : inter jurisperitos, POTHIER, *Contr. aléat.*, *Contr. d'assur.*, n° 4. Verum observant jurisperiti recentiores frustraneam esse et parum accuratam hujusmodi investigationem : potius dicendum est assecurationem esse contractum sui generis, seu natura sua et propriis qualitatibus constantem sicut reliquos contractus, quibuscum confundi non debet; *c'est un contrat tel qu'il a été créé par la nature des choses*, inquit ÉMÉRIGON, c. I, sect. II, p. 11, quem sequuntur alii. Certe differt a sponsione, ut modo diximus. Differt etiam a fidejussione, quæ est conventio accessoria, seu supponit aliam conventionem sine qua non potest existere, dum assecuratio est conventio principalis, conditionata quidem, sed per se subsistens : discrimen agnoscunt omnes jurisperiti, qui varias alias hujus rationes afferunt. Vid. ALAUZET, t. I, n° 110. Videndum igitur quænam sit hujusce contractus natura, et exponenda principia quibus regitur, necnon conditiones requisitæ ut in eo non lædatur justitia et æquitas.

953. Jam vero docuit CONRADUS in septipertito opere *de Contractibus*, 1 vol. in-fol. 1515, quæst. LXXI, eatenus licitum esse posse contractum assecurationis quatenus assecurator ponit operas suas pro vitandis periculis seu pro conservatione rei, v. g., si sit rector navis per quam transvehuntur merces, etc.; secus vero, si nihil per se vel per suos mandatarios faciat : quia in priori casu est locatio operarum, et ad id inservit assecuratio ut præstans operas majori diligentia impleat officium suum, unde est utilis bono privato et publico; in posteriori autem, est mera concertatio seu ludus, qui fit ex sola spe lucri, et ad nihil aliud inservit nisi ut hujusmodi assecuratores

domi manentes otiosi locupletentur, quod neque æquitati, neque bono publico consentaneum est.

Verum aliud sentiunt omnes theologi : ut in præsens manus Conradi, inquit COLLET, part. II, c. XII, n° 5, p. 639, est contra cæteros omnes, ita et omnium manus contra eum esse debent. Et revera nulla ibi reperitur injustitia : periculum enim quod in se suscipit assecurator est pretio æstimabile, neque ullus est qui lubens aliquid non conferat ut periculum hujusmodi a se amoveat. Neque est mera concertatio seu sponsio, Gallice *Pari* : uterque contrahens æqualiter lucro et damno obnoxius est : rei dominus, qui exponitur periculo eam amittendi, hanc quidem æquivalenter recipiet, si perierit; at, si non pereat, pretium pro assecuratione tunc frustra datum amittet : assecurans autem potest lucrari pretium sine labore; sed forsan tenebitur totum rei valorem solvere. Ergo est contractus vere aleatorius. Et multum abest quin sit reipublicæ inutilis : secura enim reddendo commercia, medium suppeditat quo multa negotia utilia instituantur quæ alioquin vix ullus tentare vellet, imo nec prudenter posset. Pariter extra materiam commercii assecuratio contra casus fortuitos aut eventus noxios præcavet multorum privatorum, imo et familiarum ruinam, et quidem sine ullius damno, imo plerumque cum assecurantium lucro, ut in decursu videbitur (n° 971) : quod multum conferre ad bonum publicum facile perspicitur.

954. Ut autem servetur in tali contractu justitia, has conditiones vulgo requirunt theologi : 1°. ut pretium sit justum, seu proportionatum periculo quod suscipitur; 2°. ut apud utrumque contrahentem dubium sit de eventu : si enim assecurans sciat rem jam esse in tuto repositam, vel si assecuratus sciat eam jam periisse, irritus est contractus; 3°. ut assecurans habeat unde solvat, si res perierit : alioquin insignis est nebulo, qui perdere non valens,

agit ut lucretur; 4°. ut assecuratus nihil agat unde res majori periculo exponatur, ac exspectare debuit assecurans sive ex conventione inita, sive ex consuetudine et circumstantiis.

955. Verum in his plura sunt quæ majori explicatione indigent. Ratio insuper habenda est eorum quæ per leges positivas fuerunt statuta : tum quia, ut sæpe dictum est, servandæ sunt leges quæ nihil habent injusti; tum quia contrahentes censentur pacisci juxta legum tenorem. Advertendum tamen quasdam legum dispositiones, et præsertim plura ex iis quæ in earum expositione asserunt jurisperiti, nihil aliud esse quam consectarium eorum quæ statuta fuerunt circa sponsiones (n° 941), ex quibus scilicet non oritur actio, sed quæ nihilominus vim habere possunt in conscientia : quando igitur eatenus tantum reprobatur assecuratio, quatenus recidit in sponsionem, consectarium non debet extendi ultra principium ex quo educitur, sed hujusmodi assecurationi applicanda sunt quæ diximus de sponsione.

Sed in eo quod spectat ad legum statuta, major exsurgit difficultas. Apud nos, ut diximus, de facto leges non existunt nisi quoad assecurationes maritimas : quæri potest utrum et quatenus applicari possint et debeant aliis assecurationum speciebus? — Ex una parte, leges positivæ extendi non debent ultra objectum pro quo latæ sunt : ex altera, in silentio legis pronum est recurrere ad analogiam, et eamdem ferre decisionem ubi eadem est decisionis ratio. Igitur ad legislationem existentem recurri potest tanquam ad rationem scriptam, seu regulam æquitatis quam judices sequi debent in silentio legis positivæ, ut ait Pardessus, t. II, n° 589, 1°. Sed simul accurate attendendum an perfecta adsit analogia : quemadmodum enim multa sunt principia omnibus assecurationibus communia, ita nec pauca reperiuntur assecurationibus maritimis

peculiaria pro diversa objectorum et periculorum natura, ut observat QUENAULT, n° 3, quæ proinde non debent ad alias species extendi. Ita etiam PARDESSUS, n° 589, 3°. Imo si agatur de dispositionibus mere positivis, et quæ a voluntate legislatoris omnino pendent, non sufficit analogia ut extendantur ad materiam pro qua latæ non fuerunt. Talis est, juxta BOULAY-PATY, *op. cit.*, t. II, *Avert.*, p. III, competentia jurisdictionis : cum hæc sit ordinis publici, non debet determinari nisi ex legis expressa dispositione; unde concludit ea quæ spectant ad assecurationes terrestres non esse de foro tribunalium commercialium, quamvis esse judicaverint quædam curiæ regiæ.

956. Ut ea omnia fusius exponantur, eorumque legitima applicatio fiat, loquemur 1° de rebus quæ assecurationis objectum esse possunt, seu de materia assecurationis; 2°. de iis inter quos iniri potest contractus assecurationis; 3°. de forma contractus assecurationis; 4°. de obligationibus assecurati; 5°. de obligationibus assecuratoris; 6°. de dissolutione contractus assecurationis.

§. 1. *De rebus quæ assecurationis objectum esse possunt, seu* DE MATERIA *assecurationis.*

957. Assecurari possunt generatim quæcumque possunt esse materia contractuum et commercii, juxta ea quæ diximus in parte I. Sed advertendum est verum et directum assecurationis objectum aliquando non esse rem ipsam quæ in vulgari loquendi modo dicitur assecurari, sed esse periculum damni quod ejus rei occasione exoriri potest. Hinc, ut observat PARDESSUS, t. II, n° 589, 2°., necessarium non est ut id quod assecuratur sit corporeum et venale. Sic, inquit, quamvis solvabilitas debitoris vendi non possit, nil obstat quin creditor hujus assecurationem obtineat : quo tamen casu, dici potest cum ALAUZET, t. I, n° 149, non tam solvabilitatem assecurari quam

ipsum creditum, quod est quidem aliquid incorporeum, sed omnino venale. Illud melius elucidabitur ex dicendis de *Assecuratione libertatis et vitæ* (nis 960, 961). Hic uno verbo dicere sufficiat, ubicumque occurrit periculum damni pretio æstimabilis, ibi locum esse posse assecurationi : nisi tamen lex assecurationem prohibuerit, quemadmodum reipsa de nonnullis prohibuit ad præcavendos abusus.

Ut hæc omnia exponantur quantum ad scopum nostrum interest, nonnullas ex conditionibus ad contractum requisitis ex parte objecti breviter percurremus, ea indicantes quæ contractui assecurationis peculiaria esse possunt.

958. I°. *Utrum et quatenus materia assecurationis debeat* EXISTERE. — 1°. Non concipitur assecuratio sine re quæ sit illius objectum, quæ proinde existat, et periculo contra quod assecuratur sit exposita. Quando tamen ad applicationem et consectaria illius principii deveniendum est, non modicæ exsurgunt difficultates.

Præcipua est, quid sit dicendum, *si res quæ assecuratur jam perierit* tempore quo initur contractus? Eadem est difficultas, *si res jam sit extra periculum posita.* — Ex jure naturali, inquit POTHIER, nis 11, 12, irritus esset contractus, quemadmodum irritus est contractus venditionis in simili casu, ut antea vidimus (n° 213) : attamen in assecurationibus maritimis jus civile statuit ut, si neuter e contrahentibus sciret nec scire posset eventum, contractus pro valido habeatur; censetur eventus locum non habuisse nisi eo tempore quo cognitus est aut cognosci potuit. Ita ex legibus et ex usu communi receptum fuit: et ita statuitur in codice Commercii, art. 365-368. Per has leges variæ pœnæ infliguntur ei qui tempore contractus jam cognoscebat eventum. Imo, cum fieri possit ut habita fuerit ea cognitio, neque tamen id probari possit, lex statuit præsumptionem, quæ sufficit ut irritus sit

contractus : simulque determinat quandonam adsit ea præsumptio; quæ desumitur ex distantia inter locum in quo accidit eventus vel ad quem perlatus est ejus nuntius, et eum in quo initus est contractus. Possunt tamen contrahentes huic præsumptioni se subtrahere, contrahendo, ut dicitur, *sur bonnes ou mauvaises nouvelles :* tunc irritus non declaratur contractus nisi probetur habitam fuisse eventus notitiam. In praxi ordinarie fit ea renuntiatio : clausula qua excluditur illa præsumptio quasi in stylum transiit, inquit Lemonnier, t. II, n° 396. Hinc fere evanescit dispositio legis quoad hujusmodi præsumptiones. Unde, sive propter hanc causam, sive ob quasdam alias, legem indigere reformatione existimat Alauzet, t. I, n° 157, p. 297, 298.

Quidquid sit, cum articuli citati codicis Commercii non spectent nisi ad assecurationes maritimas, investigandum superest an extendi possint ad assecurationes terrestres. Porro id negant jurisperiti : ita Pardessus, t. II, n° 589, 3°; Quenault, n° 21; Grün et Joliat, n° 131; Alauzet, t. I, n° 157. Ex una parte, dispositio legis quæ aliquid statuit præter jus naturæ non debet extendi ultra materiam quam respicit : ex altera, non adest utrobique eadem ratio; ubi enim agitur de assecurationibus maritimis, distantia locorum et ipsa rerum natura efficiunt ut sæpe incertus sit eventus diu postquam accidit, nihil autem tale vulgo occurrit in aliis assecurationibus. Insuper in assecurationibus maritimis adest reciprocitas; res enim sicut forsan periit, ita forte est jam in tuto posita : in assecurationibus autem terrestribus nihil tale occurrit, cum periculum ordinarie non desinat nisi post elapsum tempus in conventione determinatum. Igitur in istis potius ratiocinandum est quemadmodum de censu vitalitio, qui declaratur irritus si mortua sit persona in cujus favorem constituitur; art. 1974 cod. Civilis.

Verum existimamus falsum esse principium ex quo proficiscuntur varii illi jurisperiti, quando nempe supponunt ex jure naturæ irritum esse contractum de quo agimus. Illud principium rejicit LEMONNIER, t. II, n° 394 : et antea rejecerant theologi, qui docent cum MOLINA, D. DVII, n° 6, satis esse ad justitiam contractus ut eventus sit incertus seu ignotus quoad contrahentes. Hoc enim posito, uterque se exponit lucro et damno, quod sufficit ut contractus sit æqualis et justus. Scopus hujus contractus, inquit TROPLONG, *Contr. aléat.*, n° 261, est removere ab assecurato omnia pericula, etiam præterita, modo ignota; unde, inquit, pro axiomate habetur : *Periculum censetur tale, quale bona fide æstimatur.* Et revera nisi ita esset, satis mirum foret in omnium fere gentium legibus pro valido et legitimo admissum fuisse talem contractum. Ideo igitur verisimiliter aliter judicarunt multi jurisperiti, quia ipsis visum est hunc verti in meram sponsionem. Hinc concludimus nil obstare quin valeat, saltem in foro interno, assecuratio terrestris in casu de quo agitur.

Sed observant jurisperiti aliquando irritam esse posse etiam in foro externo assecurationem maritimam eo quod jam perierit res quæ esse deberet illius objectum. Sic, v. g., assecuravi navim pro sex mensibus : iis elapsis, novam assecurationem ineo cum altero assecuratore. Postea cognoscimus navim periisse intra præfatos sex menses. Pretium debetur a priori assecuratore, non vero a posteriori. Ita ÉMÉRIGON, t. II, c. XV, sect. II, p. 156. Merito præsumitur intentionem contrahentium hanc esse ut non valeat in isto casu posterior hæc assecuratio : quæ quidem intentio multum confert ad solvendam quæstionem in casibus specialibus. Pariter si assecuretur navis quæ existimatur committi mari, et de facto non committatur, irrita est assecuratio.

959. — 2°. Res nondum existens, sed certo aut probabiliter exstitura potest esse objectum contractus, ex dictis (n° 214). Quæritur ea occasione an assecurari possit *lucrum speratum*, v. g., ex venditione mercium, vel ex alio fonte? — Id permittitur in multis regionibus, licet cum variis modificationibus quas breviter indicat ALAUZET, t. I, n° 154. Et revera, attenta sola rei natura, non satis apparet cur mera spes lucri, sicut vendi potest, ita non posset assecurari. Attamen in multis legibus prohibetur hæc assecuratio : ita speciatim apud nos in edicto an. 1681, et in codice Commercii, art. 347. Eam prohibitionem in eo fundatam dicunt jurisperiti quod talis assecuratio nihil aliud esset quam mera sponsio. Addunt assecurationem esse medium damni præcavendi, non vero lucri faciendi. Vid. QUENAULT, n° 27; GRÜN et JOLIAT, n° 137; PARDESSUS, n° 589, 4°; ALAUZET, n° 154. Pro certo supponunt Grün et Joliat prohibitionem extendi etiam ad assecurationes terrestres. Hic applicanda sunt quæ diximus in numero præcedenti.

Cæterum observat QUENAULT, n° 28, non nimis extendendam esse eam prohibitionem. Sic non obstat quin assecurari possit frugum perceptio (*une récolte*) : necessarium enim non est ut res assecurata existat tempore quo initur contractus, modo postea existat et exponatur periculo in tempore per contractum determinato. Sic revera fit assecuratio contra grandinem, aut gelu. Sed ut observat PARDESSUS, *ibid.*, requiritur ut res assecurata existat suo tempore : unde si terra semen non recipiat, non stabit assecuratio.

960. II°. *Utrum et quatenus materia assecurationis debeat esse* PRETIO ÆSTIMABILIS.

Satis ostendit ipsa assecurationis natura ipsius objectum non esse nisi rem pretio æstimabilem. Sed, ut supra diximus (n° 957), sedulo attendendum est quodnam sit

objectum illud verum et directum. Sic quamvis sub jure nostro nemo possit libertatem suam vendere, imo nec in perpetuum locare (n° 803), potest quilibet pacisci ut, si libertatem suam amiserit, teneatur assecurator ipsi præbere unde redimatur. Hunc contractum expresse permittebat edictum an. 1681, art. 9 : et ea occasione plures quæstiones expendebant auctores circa vim et extensionem hujus contractus. Vid. POTHIER, n° 30, et n° 171-177; ÉMÉRIGON, c. VIII, sect. II, t. I, p. 201. Hodie, inquit postremi hujus auctoris annotator, BOULAY-PATY, n° LXV, p. 204, dispositio edicti implicite confirmata fuit per art. 268, 269, 334 cod. Commercii. Sed observat ALAUZET, t. I, n° 147, p. 270, hujusmodi assecurationes fieri de die in diem rariores : quia nempe non eadem existunt ac olim pericula amittendæ libertatis.

961. Sed occasione hujus conditionis ex parte objecti requisitæ, major exsurgit difficultas.

De assecuratione vitæ. Quidam dicunt pro legitima haberi non posse hujusmodi assecurationem : vita enim æstimationem non recipit, ut dicitur in jure, neque de ea ullum commercium institui potest. Aliunde nefas est hujusmodi casus exspectare; exinde præberi posset materia delinquendi : hinc turpes sunt hujusmodi conventiones, quæ pro meris sponsionibus seu concertationibus haberi debent. Ita POTHIER, n° 27; ÉMÉRIGON et BOULAY-PATY, c. VIII, sect. I, et alii.

Verum si res propius inspiciatur, aliud judicandum videbitur. In hujusmodi assecurationibus non ipsa vita æstimatur, sed damnum temporale quod ex morte sequetur. Scilicet hæc est hujus assecurationis natura. Quando aliquis damnum passurus est si alter, v. g., debitor, moriatur ante tale tempus, vel antequam tale aliquid præstiterit, potest iniri contractus vi cujus assecurator teneatur hujusmodi damnum compensare. Tunc evidens est non

esse meram sponsionem, cum contrahenti vere immineat damnum ex prædicta morte. Neque vita ipsa æstimatur, sed lucrum temporale quod alter ex ea percipit, seu potius damnum quod ex ejus cessatione sequeretur. Tandem metuendum non est ne mors exoptetur aut procuretur: non quidem ab assecuratore, ut patet, cujus contra interest ne ea accidat : nec ab assecurato, qui ex ea non lucrum, sed meram damni compensationem percipiet; et etiamsi supponeretur commodum aliquod percepturus, non ideo magis deberet absolute reprobari talis contractus quam census vitalitius, aut donatio in causa mortis.

Hinc licitam hujusmodi assecurationem pronuntiant theologi : Molina, D. dvii, n° 12, et alii quos citat et sequitur Gibalinus, *loc. cit.*, n° 4. Item plerique jurisperiti recentiores : Toullier, t. vi, n° 182; Pardessus, n° 589, 2°; Quenault, n° 11 et seq.; Lemonnier, n° 112; Alauzet, t. ii, sect. iv; Troplong, *Cont. aléat.*, n^is 154-157, 165, et alii. Hinc etiam jamdiu vigent hujusmodi assecurationes in Anglia, et quibusdam aliis regionibus, prout referunt iidem auctores.

Attamen apud nos, per edictum an. 1681, art. 10, sic statuebatur : « Défendons de faire aucune assurance sur « la vie des personnes. » In his verbis absolutam hujusmodi assecurationum prohibitionem agnoscebant plerique jurisperiti nostri, qui excipiebant tantum, juxta art. 11 ejusdem edicti, assecurationem super vita servorum seu captivorum, quæ pretio æstimari potest. Hodie codex Commercii, statuendo, art. 334, assecurationem pro objecto habere posse *res aut valores pretio æstimabiles*, eo ipso prohibet assecurationem super vita, prout expresse asserebat orator Gubernii, motiva legis exponens. Vid. Alauzet, n° 534. His non obstantibus, jam ann. 1787 et 1788 approbatæ fuerunt quædam societates pro hujusmodi assecurationibus, item nostris temporibus, ann. 1819,

1820 et deinceps. Hæc inter se conciliare variis viis conantur auctores. Vid. QUENAULT, n° 9 et seq. Juxta ALAUZET, n° 535 et seq., prohibitiones in mente legislatorum respiciebant assecurationes factas per modum sponsionis, v. g., ut explicat priscus auctor : *Si talis moriatur in hoc anno, promittis mihi decem, et si non moriatur ego promitto tibi centum,* etc.; alterius speciei assecurationes erant prorsus aut fere ignotæ : quæ autem nunc admittuntur sunt omnino diversæ, cum exigatur ut qui eas ineunt habeant, ut dicitur, « un intérêt appréciable à prix d'ar- « gent, pécuniaire, à la conservation de la vie sur laquelle « l'assurance est stipulée. » Ita etiam TROPLONG, n° 158 et seq. Unde nil obstat quin ineantur, modo serventur conditiones in decursu exponendæ.

962. Huc revocari possunt aliæ conventiones, quæ vocantur etiam assecurationes super vita, quamvis in his non intendatur præcise compensatio damni ex morte alicujus secuturi, sed transmissio quorumdam bonorum ad hæredes, vel ad alios quibus contrahens favere intendit : v. g., aliquis non habens nisi reditus personales seu vitalitios pactum init cum altero, seu potius, ut ordinarie fit, cum aliqua societate, quæ pro quodam pretio ab ipso quotannis solvendo se obligat ad certam pecuniæ summam, vel certos quosdam reditus, ipsius hæredibus vel causam habentibus tradendum post ejus mortem; tunc dicitur *Assurance pour la vie entière.* Si societas non se obliget nisi posito quod assecuratus moriatur intra tale tempus, adeo ut ad nihil teneatur si supervixerit, dicitur *Assurance temporaire.* Tandem si societas se obliget, pro certo quodam pretio, ad talem summam assecurato solvendam tali tempore si adhuc vivat, dicitur *Assurance différée.* Videri possunt statuta hujusmodi societatum ap. GRÜN et JOLIAT, *Appendice*, p. 92 et seq.; item variarum operationum modi ap. QUENAULT, p. 465 et seq. Conven-

tiones tertiæ hujus speciei, quæ vocantur etiam *Annuités différées* (quia sæpe pretium solutum ab assecurato et illud quod solvendum est ab assecuratore situm est in præstationibus annuis), reprobare videtur QUENAULT, n° 16, utpote omnino aleatorias ex parte assecuratoris, qui nihil solvere tenebitur si assecuratus ante tempus præfixum moriatur. Sed alii in iis nihil a justitia alienum reperiunt : etsi assecurator non contrahat nisi obligationem conditionatam, potest adesse æqua proportio inter talem obligationem et pretium ab assecurato solvendum. Vid. PARDESSUS, t. II, n° 305, p. 87; LEMONNIER, *Préf.*, p. XCV; ALAUZET, t. II, n° 546-549; TROPLONG, n° 168-170.

Huc etiam referuntur conventiones quas vocant *Annuités à vie*, in quibus Petrus, v. g., qui summam a Paulo accepit, se obligat ad Paulo solvendam præstationem annuam durante sua (Petri) vita : est contractus aleatorius, cum possit Petrus solvere plus vel minus quam recepit, secundum vitæ suæ durationem; similis est censui vitalitio, cum eo discrimine quod præstatio alligetur vitæ debitoris, dum in censu vitalitio alligatur vitæ creditoris. Nihil per se injustum includit. Vid. TOULLIER, t. VI, n° 182, *Note*, p. 190.

Tandem eo nomine aliquando designantur conventiones inter plures initæ, qui quasdam pecuniæ summas in commune reponunt eo pacto ut reditus percipiendi inter eos dividantur quamdiu vivunt, et ut uno præmortuo pars ejus cæteris accrescat, et sic deinceps usque ad ultimum superstitem, cui vel integra summa, vel tantum integer reditus, pro diversitate conventionum, tribuitur. Conventiones illas, quæ Gallice vocantur *tontines*, pro societatibus stricte dictis non habent jurisperiti, ut jam retulimus (n° 856). Juxta PARDESSUS, n° 305, p. 87, ibi adest mera venditio spei. Jam vidimus has reprobari non debere ut substitutiones prohibitas (n° 629) : nec ex alia ulla parte

illicitæ videntur, modo reditus non percipiantur nisi per vias honestas.

963. III°. *Utrum et quatenus materia assecurationis debeat esse* IN COMMERCIO.

Ex modo dictis jam magna ex parte soluta haberi potest hæc quæstio. Sed præcipue inquirendum est, quid sentiendum de assecuratione mercium prohibitarum, vulgo *marchandises de contrebande?* — Jam data occasione diximus (n° 227) talem contractum habendum esse ut *de re turpi*, ac proinde ut irritum, non solum ante eventum (n° 329), sed etiam in nostra sententia (n° 333) post eventum. Illud nunc accuratius investigandum est.

Communiter agnoscunt jurisperiti irritum esse contractum quando agitur de mercibus prohibitis per legem regni in quo initur : et plures ex ipsis expresse asserunt irritum esse etiam in conscientia, quia non sentiunt hujusmodi leges respicere tantum forum externum. Exinde sequi videretur, idem dicendum esse si agatur de mercibus introducendis, v. g., in aliud regnum per cujus leges introductio prohibetur, vel educendis quando prohibetur, ut aiunt, exportatio; ut enim observat PARDESSUS, t. I, n° 161, non sinit jus naturale ut aliquis apud gentes exteras instituat commercium seu negotium quod ibi per leges prohibetur. Et reipsa ita docet POTHIER, n° 58 : tum quia ille qui commercium gerit in aliquo regno, eo ipso subjicitur legibus ibi vigentibus; tum quia, etsi ipse non subjiceretur, subjiciuntur profecto regnicolæ quibuscum contrahit, vel quorum opera utitur, ac proinde eos inducendo ad peccatum et ipse peccati reus efficitur.

Verum, ait PARDESSUS, *ibid.*, « Il paroît que l'usage des « différents peuples, relativement à ce qu'on nomme le « commerce *interlope*, s'est écarté de cette règle. » Dicunt communiter jurisperiti, attento jure politico et civili variarum gentium, adesse quamdam reciprocitatem vi cujus

gens quælibet commercium exercere satagit juxta modum sibi utiliorem, parum curans de legibus apud alias gentes ea de re latis : « Le droit des gens actuellement observé « parmi les nations laisse subsister entre elles, même en « temps de paix, une espèce d'état de guerre dirigée par « chacune d'elles contre les richesses et l'industrie de « l'autre, et dont les armes sont, d'une part, les défenses « d'importation et d'exportation, et de l'autre, la contre- « bande opposée à ces défenses. » Ita ESTRANGIN, in *Notis ad loc. cit. Pothier*, p. 91. Idem quoad substantiam aiunt ÉMÉRIGON et BOULAY-PATY, c. VIII, sect. V, t. I, p. 217, 219; GRÜN et JOLIAT, n° 140; LEMONNIER, t. I, n° 221; ALAUZET, t. I, n° 169 : et in eo sensu judicant tribunalia, sive olim, sive hodie. Quidam ex iis auctoribus videntur sententiam suam restringere ad forum externum, et admittere pro foro interno opinionem quam propugnat Pothier, aut saltem ab ea quæstione abstrahere. Si ea belli species quam inter gentes vigere dicunt haberetur tanquam per auctoritatem publicam indicta aut saltem comprobata, videri posset legitimum efficere prædictum commercium etiam in foro conscientiæ. Sed illud satis dubium videtur. Quidquid sit de ea quæstione, cujus accurata magis investigatio spectat ad Tr. *De legibus tributorum*, existimamus contractum cujus objectum esset assecurare merces de quibus loquimur, non contra earum addictionem fisco, vel contra mulctas occasione earum commercii subeundas, sed contra pericula maris, aut itineris, aut alia hujusmodi, haberi posse ut validum, juxta principia a nobis antea exposita (n° 333), quia non per se et directe præbet incitamentum ad crimen, sed ad id tantum directe tendit ut præcaveat periculum damni, in quo præcavendo assecuratus nullius culpæ reus est : merces illæ, licet prohibitæ, servant suum valorem, sicque superest fundamentum sufficiens assecurationis.

964. Huc etiam referri potest prohibitio assecurationis quæ esset veluti incitamentum ad crimen.

Sic 1°. nemo potest assecurationem obtinere *contra suum delictum*. Alienum enim est a bono publico ut aliquis in delicto committendo securus reddatur. Vid. ALAUZET, t. I, n° 162. Hinc pro irritis habendæ videntur quædam assecurationes institutæ in gratiam eorum qui, in viis publicis urbis Parisiorum currus aut equos ducentes, damnum privatis inferunt. *Ibid.*, n° 163.

Sic 2°. reprobantur etiam ab auctoribus assecurationes *de exitu litium* : « Il y a plus que de l'inconvenance, in« quit QUENAULT, n° 55, *Note*, à comparer les arrêts de « la justice aux caprices de la fortune. » Insuper boni publici interest ut litigatores ab inferendis litibus deterreantur metu impensarum et aliorum incommodorum quæ exinde incurrere possunt. Cæterum observat ALAUZET, n° 164, conventiones quæ vocantur assecuratio litis sæpe nihil aliud esse quam emptionem jurium litigiosorum, vel gestionem negotii pro certo pretio susceptam.

Sic 3°. irrita declaratur art. 347 cod. Comm. assecuratio pretii locationis virorum in navibus conductorum (*le loyer des gens de mer*). Porro hæc prohibitio fundatur quidem in eo quod illud pretium nondum sit acquisitum, seu non debeatur nisi quatenus navis feliciter portum attinget, ac proinde applicanda sint quæ diximus supra (n° 959); sed insuper, juxta auctores, alia ratione motus fuit legislator : timuit ne ii de quibus agitur negligentiores fierent in officio suo implendo, si certi essent de pretio in quocumque casu recipiendo. Ita POTHIER, n° 39; PARDESSUS, t. III, n° 766, et alii.

Sic 4°. eodem art. 347 irrita pariter declaratur assecuratio summarum mutuo acceptarum ex nautico fœnore (*empruntées à la grosse*). Ratio quidem est quod, pereunte nave, non sint restituendæ illæ summæ; ac proinde qui

eas accepit non subiens earum periculum non potest eas assecurare. Sed insuper, posita assecuratione, jam optabilis foret assecurato interitus navis, sicque induceretur ad procurandum hunc interitum. Ita POTHIER, n° 31.

965. — IV°. *Utrum et quatenus materia assecurationis debeat* AD ASSECURATUM SPECTARE.

Facile intelligitur assecurationem non posse institui nisi in gratiam illius cujus interest conservatio rei assecurandæ: alioquin, ut intelligitur ex dictis ab initio (n° 952), esset mera sponsio, in qua prætensus assecuratus, inquit PARDESSUS, t. II, n° 593, 3°., aleam incurreret lucrandi aut amittendi, prout accideret vel non accideret *talis* eventus. Non inde tamen concludendum assecurationem non posse institui nisi a domino rei : potest enim certe institui, non tantum per mandatarium, v. g., a tutore aut alio cui cura incumbit res alterius administrandi, sed etiam a depositario rei, vel ab alio detentore cujus interest ut integra servetur. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 65 et seq. Dubium non est etiam, juxta eosdem auctores, quin valeat erga assecuratorem assecuratio rei cujus contrahens declarat se non habere dominium ; quod vocatur *Assurance pour compte de qui il appartiendra*. Hæc verba in commercio usitata satis indicant contrahentem gerere negotium alterius, cujus nomen non declarat. Ipse tamen personaliter obligatur erga assecuratorem, qui ipsius fidem sequitur, ut aiunt. Sed si casus sinister ut dicitur, evenerit, necessarium est ut verus dominus cognoscatur ab assecuratoribus, quibus constare possit peractam non fuisse meram sponsionem : id supponunt art. 332, 351, 379, 384 codicis Commercii. Debet ergo mandatarius probare se habuisse mandatum aut saltem ratihabitionem, et quidem a domino rei vel saltem ab eo qui rei assecurationem inire poterat. Hoc autem peracto, jam in posterum cessat mandatum, et assecurator negotium ha-

bet cum vero assecurato, cui soli solvere debet. Unde eatenus tantum mandatarius solutionem recipere posset, quatenus titulum (*la police*), qui de uno ad alterum transmitti potest, præ manibus haberet. Hæc evolvit TROPLONG, *Revue de législat. et de jurispr.*, nouv. série, janv. 1845, t. I, p. 60 et seq. Vid. etiam GRÜN et JOLIAT, n° 75-80.

966. Sed præcipua difficultas est, an creditor possit assecurare rem sui debitoris? Valde scinduntur jurisperiti. 1°. Agnoscunt omnes creditorem qui apud se depositam habet pignoris instar rem debitoris, posse de ea assecurationem inire. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 98; LEMONNIER, t. II, n° 379, p. 259. Illud per se satis apertum videtur. 2°. Dubium non est etiam quin possit iniri assecuratio de ipso debito, seu, ut dicunt auctores, assecurari solvabilitas debitoris : nihil ibi occurrit a natura assecurationis alienum. ALAUZET, t. I, n° 125.

Sed quæstio est, utrum creditor qui timet ne, si res debitoris pereat aut quomodocumque amittatur, ipse fiat solvendo debito impar, possit ad præcavendum tale periculum rem illam assecurare?

Non pauci negant : tum quia art. 332 codicis Commercii supponit assecurationem non posse institui nisi a domino rei vel ab ejus mandatario; tum quia merus creditor non potest assecuratori conferre privilegium in rem assecuratam quod ipsi tribuitur art. 191 ad obtinendam solutionem præmii (*de la prime*) : a fortiori non potest rem derelinquere (*faire le délaissement*), prout fieri debet in variis casibus lege determinatis; tum denique quia si semel permittatur creditori assecurare rem debitoris, plura alia ipsi permittenda erunt quæ non minus referuntur ad removendum periculum sui crediti, et quæ tamen a nemine admittentur. Vid. *La Thémis*, t. V, p. 291 et seq.; BOULAY-PATY *sur Émérigon*, t. I, c. V, *Confér.*, n° XXXVIII,

p. 133; ALAUZET, t. I, p. 216, 228. Vid. etiam QUENAULT, n° 135 et seq.

Alii multi affirmant. Ita PARDESSUS, *loc. cit.*, et t. III, n° 803; LEMONNIER, t. II, n° 389, p. 257 et seq. Creditoris certe interest conservatio rei ex cujus interitu debitum suum periclitaretur : ergo potest eam assecurare. Modo constet inter ipsum et assecuratorem de existentia et identitate periculi præcavendi, nil obstat quin iste remaneat obligatus. Et revera plures assecurationum societates admittunt creditores, saltem hypothecarios, ad instituendam assecurationem. Vid. GRÜN et JOLLIAT, n^is^ 100, 103, 104; QUENAULT, n° 134.

Si admittatur posterior hæc opinio, plura adhuc supersunt expendenda : utrum nempe hæc facultas competat omnibus creditoribus, an tantum hypothecariis; an possint assecurationem instituere secundum totum rei valorem, an tantum usque ad concurrentiam debiti; quid contingat, si dominus rei eam ex parte sua assecuret; et alia multa, de quibus videri possunt jurisperiti citati, et quæ non modicas difficultates inducunt.

Inter hæc, existimamus satius esse ut creditor alio modo sibi provideat : potest, ut observat ALAUZET, t. I, n° 128, vel exigere a suo debitore ut ipse rem suam assecurari curet; vel instituere assecurationem quæ directe ad solvabilitatem debitoris spectet. Si autem velit rei assecurationem ipse inire, merito suadet LEMONNIER, t. II, n° 379, p. 259, 260, ut ab initio declaret quo titulo ineat, nec contrahat solummodo juxta formam consuetam, *pour compte de qui il appartiendra;* alioquin, casu sinistro obveniente, multis implicabitur difficultatibus antequam possit jus sibi ex assecuratione quæsitum vindicare.

967. Alius datur casus in quo ille qui non est rei dominus potest nihilominus assecurationem de ea instituere. Aliquando scilicet assecurator rei, qui nunc ejus pericula

subit, potest ipse ea pericula a se removere recurrendo ad alium assecuratorem, qui ea in se suscipiat. Contractus ille, qui dicitur *Réassurance*, expresse permittitur art. 342 codicis Commercii. Non potest iniri cum priori assecurato; hoc enim esset assecurationis dissolutio. Iniri debet cum tertia persona; et quidem iniri potest diversis conditionibus. Nihil commune habet cum priori contractu: uterque contractus suos habet effectus. Prior assecurator obligatus manet erga suum assecuratum, qui nullum jus acquirit contra secundum assecuratorem: iste tenetur tantum erga eum quocum contraxit. Unde casu sinistro obveniente, prior assecurator solvet assecurato, et ipse recipiet a secundo assecuratore. Vid. PARDESSUS, t. II, n° 593, 4°.; ÉMÉRIGON et BOULAY-PATY, t. I, c. VIII, sect. XIV, p. 252; QUENAULT, n° 31; GRÜN et JOLLIAT, n° 149; LEMONNIER, t. I, n^is 117, 118; ALAUZET, t. I, n^is 152, 153: apud quos expenduntur variæ quæstiones quæ hanc novam assecurationem respiciunt.

968. — V°. *Utrum et quatenus materia assecurationis debeat esse* DETERMINATA.

Triplici ex parte necesse est materiam assecurationis esse determinatam: ut nempe constare possit 1°. an res assecurata perierit; 2°. an perierit aliquo ex casibus quos assecurator in se susceperat: alioquin locus non esset exigendi ab eo pretium; 3°. quale pretium ab eo solvendum sit. De triplici illo respectu nonnulla observabimus.

1°. De *determinatione rei*. Aliquando assecuratur res quædam in specie: tunc designanda est indiciis sufficientibus ut possit a qualibet alia distingui. Aliquando assecuratio fit, ut aiunt auctores, *en bloc sur facultés*, id est, pro summa quadam determinata super objectis indeterminatis, v. g., super suppellectili domus, mercibus talis tabernæ, vel tali navi impositis, etc.: tunc, ait QUENAULT, n° 170, hæc objecta designanda sunt saltem per genus aut

speciem, prout exigitur art. 1129 codicis Civilis, cujus dispositio lata pro qualibet conventione hic speciatim applicanda videtur. Tandem in assecurationibus maritimis, quando agitur de mercibus in Europam ex aliis mundi partibus transvehendis, permittit art. 337 cod. Commercii ut eæ merces assecurentur absque designatione naturæ et speciei : sæpe enim ille ad quem dirigendæ sunt illæ merces earum naturam ignorat. Imo quamvis ordinarie designandus sit ille ad quem merces dirigentur, huic necessitati derogari potest ex eodem articulo per conventionem contrahentium. Vid. PARDESSUS, t. III, n° 805. A fortiori permittitur ut non designetur navis per quam merces illæ transvehentur; *eod. art.* Sed advertendum est tunc navim esse, prout loquuntur jurisperiti, locum periculi, non vero objectum : si esset objectum, profecto designanda esset. PARDESSUS, n^is^ 804, 811. Facile intelligitur has dispositiones juris latas pro assecurationibus maritimis, non posse ad alias assecurationes extendi. Imo docent Pardessus et quidam alii, eas non posse extendi ultra loca ibi expressa. Sed propugnat LEMONNIER, t. I, n° 124-126 et 249-251, cum plerisque aliis, qui tamen quæstionem non discusserunt, art. 337 non esse intelligendum sensu limitativo, sed posse extendi, ultra tenorem verborum, ad casus in quibus eadem occurrit necessitas, qualis occurrere potest, v. g., si agatur de mercibus transvehendis ab uno portu Americæ ad alium ejusdem regionis, et etiam aliquando, licet multo rarius, ab uno portu Europæ ad alterum : nihil satis expressum occurrit in lege unde concludi possit irritam fore in talibus casibus assecurationem hujusmodi. Requiritur solummodo ut suo tempore constare possit non adfuisse meram sponsionem. Cæterum sive ex variis legibus, sive ex usibus commercii determinatur sensus quorumdam verborum quæ in assecurationibus adhiberi solent : exinde dignoscitur quænam

præcise objecta intelligi debeant sub his verbis assecurata: v. g., quando assecuratur navis, vel ea quæ dicuntur *cargaison, chargement, facultés, pacotilles,* etc. Vid. PARDESSUS, t. III, n^is^ 758, 759.

969. — 2°. De *determinatione periculi.* Ut contractus assecurationis effectum sortiri valeat, accurate determinanda est tum natura, tum duratio periculi. 1. Quoad *naturam periculi,* si agatur de assecurationibus maritimis, lex ipsa determinat quibusnam periculis naturaliter subjiciatur assecurator, quibusnam subjici possit per conventionem specialem; art. 350, 353. Priora dicuntur Gallice *Fortune de mer, ou sinistre :* quod quidem duplex distinguitur; aliud *majus,* quo res omnino aut fere omnino perit; aliud *minus,* quo imminuitur tantum valor rei. In assecurationibus quæ fiunt a societatibus in hunc finem institutis, habentur ordinarie formulæ assecurationis in quibus accurate et minutatim explicatur quænam pericula illæ societates in se suscipiant. Si assecuratio fieret a privata persona, standum foret sensui obvio verborum conventionis, ad dignoscendum quænam pericula recidere deberent in assecuratorem : operæ autem pretium esset ea clare et aperte indicare, ad præcavendas lites. 2. Quoad *durationem periculi,* id est, quoad tempus quo incipit et quo desinit res esse periculo assecuratoris, id etiam pendet a conventione contrahentium, quæ multiplex esse potest. Vid. PARDESSUS, t. III, n^is^ 775 et seq., 809 et 810. Seclusa speciali conventione, lex determinat in assecurationibus maritimis initium et finem; art. 328, 341 cod. Comm. In aliis, id determinatur ex variis circumstantiis, quæ attente ponderandæ sunt ut innotescat quænam fuerit intentio contrahentium.

970. — 3°. De *determinatione valoris.* Ex art. 339 cod. Commercii intelligitur non absolute requiri ut rei assecuratæ valor, ac proinde pretium solvendum ab assecuratore

casu sinistro obveniente, determinetur ipso tempore seu in ipso actu conventionis : sufficit ut detur medium illum determinandi quando opus erit. Sed observat QUENAULT, n° 77-79, necessariam proinde fieri determinationem valoris, quando res ipsæ quæ sunt objectum assecurationis non sunt determinatæ ; alioquin nimis incerta foret assecuratoris obligatio. Observat pariter, n° 180, *Note*, in societatibus mutuis hanc determinationem fieri debere a principio, quia necessarium est ut innotescat quanam proportione assecuratus concurrere debeat ad servandos indemnes alios assecuratos qui sinistrum casum experti sunt. Ita etiam GRÜN et JOLLIAT, n° 251.

Attamen sæpe in ipsa conventione determinatur valor, illudque expedire videtur ad præcavendas difficultates. Sed juxta PARDESSUS, t. II, n^is 593, 6°, et 595, 2°, et t. III, n^is 820, 878, hæc determinatio ligat quidem assecuratum qui nihil ultra exigere unquam poterit ; sed non ligat assecuratorem, qui poterit semper exigere rei æstimationem ut non cogatur solvere ultra verum valorem : et ita expresse statuitur in plerisque societatum assecurationis formulis. Eodem sensu proferuntur nonnulla tribunalium judicia recentiora.

Verum hæc admittenda non videntur in tota sua extensione. 1. Si adfuerit fraus aut dolus ex parte assecurati, dubium non est quin possit assecurator novam æstimationem exigere. Id agnoscunt omnes ; et patebit ex infra (n° 980) dicendis. 2. Si valor fuerit tantum declaratus ab assecurato, satis constat assecuratorem subscribendo simpliciter conventioni non censeri eo ipso se obligare ad standum illi valori : censetur eum acceptare solummodo provisorie. 3. Sed si valor fuerit ex utriusque contrahentis concursu determinatus, et præsertim si ferat conventio contrahentes renuntiare ulteriori æstimationi, propugnant multi omnino valere hanc clausulam, nec posse assecura-

torem ab ea recedere. Ita Émérigon, t. I, c. IX, sect. V, § 5, p. 280, et Boulay-Paty, *ibid.*, n° LXXXVI, p. 282, et n° LXXXIII, p. 272; Estrangin, *sur Pothier, ibid.*, p. 243; Grün et Joliat, n^is 252, 253; Alauzet, n° 199; et magis strenue Lemonnier, t. I, n° 131 et seq., et t. II, n° 376, *Note*. Periculosa quidem potest esse ea conventio, quia metuendum est ne sub ea occultetur vera sponsio. Sed si bona fide ineatur, nulla apparet ratio cur vim non habeat : non videtur cur non liceret assecuratori et assecurato valorem rei communi consensu determinare, etiam modo aliquatenus aleatorio, quemadmodum licet venditori et emptori quando eis de vero objecti venditi valore non constat; erit tunc quasi duplex alea, sed neutra per legem reprobatur. 4. Saltem in hac tertia hypothesi, par esse debet utriusque contrahentis conditio, id est, determinatio peracta vel neutrum, vel utrumque ligare debet, cum uterque ad eam concurrerit, et par esse debeat utriusque conditio. Verum de hoc iterum infra (n° 997).

§. 2. *De iis inter quos iniri potest contractus assecurationis.*

971. Hæc quæstio duo includit : quinam possint assecurare; quinam possint assecurari seu obtinere rei suæ assecurationem. Porro ut utraque difficultas solvatur, necessarium est antea determinare quænam sit assecurationis natura juridica. Scilicet aliæ conditiones requiruntur ad ineundum contractum commercialem, aliæ ad contractum mere civilem. Dignoscendum est ergo an assecuratio sit actus commercii, nec ne : quæ quidem investigatio inserviet ad determinandum, non tantum quinam hunc actum inire possint, sed etiam ad quodnam tribunal deferendæ sint lites ejus occasione exortæ, et utrum exinde locus esse possit coactioni usitatæ in materia commercii, scilicet corporali (*contrainte par corps*).

Jam vero in art. 633 cod. Comm. assecurationes mari-

timæ recensentur inter actus commerciales. Attamen jurisperiti satis communiter distinguunt inter assecuratum et assecuratorem. Ex parte assecurati dicunt non esse actum commercii, quia ille intendit tantum conservationem rei suæ, non vero ullum lucrum; qui est finis essentialis commercii. Ex parte autem assecuratoris aliud dicendum putant. Equidem si quis una vice tantum et quasi occasione data assecuraret, forsan dici posset non exercere actum negotii : ita saltem QUENAULT, n° 110, qui restringit art. 633 ad assecurationes maritimas, quæ solæ vigebant quando latus est. Sed ordinarie assecuratores non ita se restringunt, sed simul multas assecurationes ineunt, ut quod ex aliqua parte amittere possunt ex aliis lucrentur; sicque vere lucrum intendunt et commercium exercent. Idem a fortiori dicendum de societatibus in eumdem finem institutis; saltem de iis quæ dicuntur *à prime :* quoad enim societates quæ dicuntur mutuæ adest dubitandi ratio; cum in hunc finem ineantur ut quilibet socius bona sua servare aut amissorum valorem recuperare possit, et ideo quilibet se obliget ad compensandum pro sua parte damna ab aliis perpessa, nullum ibi lucrum intenditur, nec videtur iniri actus commercii. Vid. PARDESSUS, t. II, n^is^ 588 et 593, 3°; QUENAULT, n^is^ 110 et seq., 123, 129, 395; GRÜN et JOLIAT, n^is^ 58, 341, 345, 346; BOULAY-PATY, *sur Emérigon*, t. I, c. IV, n° XXIX, p. 92; ALAUZET, t. I, n° 114, et t. II, n^is^ 576, 577. Quosdam alios citat LEMONNIER, t. I, n° 9.

His non obstantibus, non solum assecuratorem sed etiam assecuratum subjici tribunali commercii docent omnes auctores, inquit LEMONNIER, n° 11, et constans est jurisprudentia in eo sensu : unde concludit, n° 14, occurrere manifestam contradictionem inter doctrinam mox expositam et istam jurisprudentiam. Existimat autem aptiorem modum non esse tollendi hanc contradictionem,

quam si dicatur assecurationem esse actum commercii etiam ex parte assecurati; quod cæteroquin nulla inducere incommoda explicat; nº 15-21.

972. His præmissis, quædam observare nobis sufficiet.

Iº. *De iis qui possunt* ASSECURARE. — 1º. *De privatis.* Satis rarum est ut privati ineant assecurationes, saltem terrestres. Si tamen inire velint, requiritur ut sint capaces contrahendi; nec ulla specialis incapacitas hodie statuitur quoad hujusmodi contractum.

Sola difficultas esse posset quoad *minores* et *uxores.* Minor, etiam emancipatus, non potest generatim assecurare : sed nullitas contractus ab ipso solo postulari posset, non vero ab assecurato, juxta art. 1125, prout exposuimus in parte I. Idem dicendum de uxore. Diximus *generatim,* quia cum assecuratio maritima sit actus commercii, minor vel uxor qui satisfecissent conditionibus ad exercendum commercium requisitis art. 2 et seq. cod. Comm., possent profecto hanc inire. Aliud dicendum foret de assecuratione terrestri, si hæc non haberetur ut actus commercii; quia minor qui exercet commercium non habetur ut major nisi quoad actus commercii : sed cum vulgo habeatur ut actus commercii ex parte assecurantis, poterit præfatus minor hanc inire. Vid. GRÜN et JOLIAT, nº 27-30. Unde intelligitur opinionem quæ assecurationem reponit inter actus commercii, non restringere, sed potius extendere capacitatem eam ineundi, prout observat LEMONNIER, nº 17.

973. — 2º. *De societatibus* assecurationum. Quædam ex iis coalescunt e sociis qui lucrum quærentes pretium accipiunt a quolibet assecurato, et eventus in se suscipiunt : aliæ vero, quæ dicuntur mutuæ seu reciprocæ, sunt societates plurium pericula sua quasi in communi reponentium. Istæ societates sunt ex natura sua anonymæ, seu absque nomine sociali. Priores possunt esse vel ano-

nymæ, vel, ut dicitur, *en nom collectif*, vel *en commandite*. Si sint anonymæ, non possunt institui sine approbatione gubernii, juxta art. 37 cod. Comm. Hæc approbatio non conceditur, nisi gubernio subjecta fuerint societatis statuta, quæ promulgantur simul cum edicto approbationis: non ideo tamen vim legis accipiunt; nil aliud sunt quam conventiones inter eos qui inierunt obligatoriæ. Hinc in societatibus mutuis omnes assecurati subjiciuntur statutis, cum omnes sint socii : in aliis vero, assecurati non subjiciuntur statutis, nisi ita ferat clausula expressa; alioquin non subjiciuntur nisi dispositionibus in conventione enuntiatis. Quoad societates non anonymas, non videtur requiri approbatio gubernii : sed standum regulis in codice Commercii determinatis, de quibus nonnulla diximus (n° 864 et seq.).

Cæterum societates mutuæ, quemadmodum et cæteræ, sua habent commoda, sua et incommoda : unde ambigi potest utra species anteponi debeat. Quoad ædificia publica, gubernium non admittit societates mutuas.

De his omnibus, quæ vix indicare possumus, vid. Grün et Joliat, n° 32-50, ubi fusius evolvuntur; Pardessus, t. iv, n° 1043, 5°. et 6°.

974. II°. *De iis qui possunt* assecurari. Ut quis possit rei assecurationem obtinere, debet esse capax contrahendi, et insuper habere jus seu auctoritatem circa rem assecurandam : uno verbo, ut loquuntur jurisperiti, *il faut avoir capacité et qualité*. De isto posteriori respectu diximus expendendo quatenus materia assecurationis debeat ad assecuratum spectare (n° 965) : unde nunc agendum habemus tantum de capacitate.

Huc redit quæstio jam indicata, an requiratur capacitas civilis, an capacitas commercialis, si ita loqui fas est. Agitur speciatim de minoribus et de uxoribus.

1°. Quoad *minores*, si commercium exerceant, nulla

difficultas. Si non exerceant, ratio habenda est emancipationis. Minor non emancipatus non potest se obligare, rei suæ, sive mobilis, sive immobilis, assecurationem ineundo. Frustra, inquit PARDESSUS, t. II, n° 593, 2°, diceretur, prout reipsa dicunt GRÜN et JOLIAT, n° 59, minorem non restitui nisi tanquam læsum, et in contractu assecurationis, utpote aleatorio, non esse locum resolutioni propter læsionem; ideoque non posse rescindi contractum nisi adfuerit dolus ex parte assecuratoris. Si valeret illud ratiocinium, deduceremur ad consectarium omnino alienum a mente legislatoris qui vult protegere minores; siquidem iis denegaretur beneficium restitutionis in iis præcise contractibus in quibus læsio facilius occultari potest sub specie aleæ. Igitur dicendum est minorem qui domus suæ assecurationem obtinuit, posse, ea combusta, pretium exigere ab assecuratore, qui ex art. 1125 non potest ipse opponere nullitatem contractus. Poterit quidem tunc assecurator exigere, vel potius retinere pretium assecurationis, quia minor non potest lucrum educere e contractu et onera ejus removere. Sed si domus combusta non fuerit, non tenebitur minor pretium illud solvere, et poterit solutum repetere. Minor vero emancipatus potest valide assecurationem rei suæ inire : hic est actus meræ administrationis, qui illius capacitatem non superat. Id pro indubio habet PARDESSUS, *ibid.*, p. 568 : idem docent QUENAULT, n° 130; GRÜN et JOLIAT, n° 60; ALAUZET, n° 120.

2°. Quoad *uxorem*, solutio pendere potest a diverso regimine sub quo nupta supponi potest. Sed sufficiat dicere, inquit PARDESSUS, *ibid.*, actum ab ea elicitum sine auctoritate mariti vel judicis irritum esse, sed in gratiam tantum ipsius. Vid. etiam GRÜN et JOLIAT, n° 63.

3°. Quoad alios quibus prohibita videri posset assecuratio, quia ipsis prohibetur commercium, v. g., *clericos*,

magistratus, etc., observat LEMONNIER, t. I, n° 18, parvi interesse an assecuratio dicatur actus commercii, nec ne, quia nemo est qui non possit actum quemdam commercii elicere, quando id fit transitorie, et præsertim non animo lucrum captandi, seu, ut aiunt, *pour spéculer*, sed tantum damni a se avertendi causa. Cæterum sedulo distinguendum est inter eos qui declarantur incapaces, sive generatim contrahendi, sive speciatim assecurationem ineundi, et eos quibus id simpliciter prohibetur : ex incapacitate deducitur invaliditas contractus; mera autem prohibitio non obstat validitati contractus, sed solummodo delinquentem exponit pœnis per legem statutis. Vid. ALAUZET, n° 118.

§. 3. *De forma contractus assecurationis.*

975. Ex art. 332 cod. Commercii assecuratio maritima scripto fieri debet. Sed observat PARDESSUS, t. III, n° 792, non præscribi tale aut tale scriptum : unde non solum non requiritur scriptum authenticum et iniri potest conventio sub signo privato, prout expresse statuitur eodem articulo, sed sufficere potest quodcumque scriptum.

Sed inter auctores non constat quousque extendenda sit necessitas scripti. Tria sunt præsertim de quibus non omnino concordant.

I°. Utrum, quando initur conventio *sub signo privato*, necessarium sit ut *ab utroque contrahente subscribatur*, prout præscribit art. 1325 cod. Civilis quoad actus synallagmaticos, qualis est contractus assecurationis ?

Affirmant quidam jurisperiti, quia art. 1325 est omnino generalis, ideoque applicari debet quotiescumque non fuit huic per dispositionem specialem derogatum. Ita judicarunt quædam curiæ regiæ, et ita docet ALAUZET, t. I, n° 184. Alii tamen plures negant, quia quando agitur de actibus commercii, de iis judicandum est, non ex arti-

culo cod. Civilis, sed ex codice Commercii ad quem remittit ipse codex Civilis, art. 1107 : porro codex Commercii non exigit hanc duplicem subscriptionem pro assecuratione, quemadmodum exigit, art. 39, pro societatibus ; ergo potius standum articulo 109, qui habendus est ut lex generalis in materia commercii, in iis omnibus sequenda in quibus aliud non statuitur. Ita docent TOULLIER, t. VIII, nis 342, 343 ; QUENAULT, n° 154-158 ; et alii, quos citat et sequitur LEMONNIER, t. I, n° 36-38. Cæterum in praxi, in assecurationibus maritimis ordinarie ipso tempore conventionis assecuratus pretium solvit per chirographa in gratiam assecuratoris subscripta, sicque contractus jam censetur unilateralis : in assecurationibus autem terrestribus, plerumque intervenit utriusque contrahentis subscriptio.

976. II°. Utrum art. 332 intelligendus sit modo prorsus absoluto, ita ut excludatur *probatio per testes*, etiam quando summa non superat 150 fr., aut adest, ut aiunt, initium probationis per scriptum ; an vero intelligendus sit in sensu articulorum 1341 et 1347 cod. Civilis ?

Tot diversis sensibus quæstionem illam solverunt auctores, inquit ALAUZET, n° 182, ut raro occurrat exemplum similis discordiæ. Jam olim docebat POTHIER, nis 100, 101, prorsus excludi probationem per testes, quæcumque sit summa, et quamvis adsit initium probationis scriptæ. Idem hodie admittunt GRÜN et JOLIAT, n° 197, quia omnino absoluta est dispositio art. 332 ; et LEMONNIER, n° 31-34, qui existimat omnino standum esse intra limites juris commercialis, neque hic applicari ullo modo posse dispositiones juris civilis. Alii tamen multi tenent dispositiones codicis Civilis habendas esse instar juris communis, ac proinde vim suam servare in materia commercii, quotiescumque aliquid contrarium expresse non statuitur : quemadmodum ergo in materia civili, ubi exigitur probatio

scripta, id intelligitur in sensu art. 1341 et 1347, ita et in materia commercii. Ita QUENAULT, n° 148-150; ALAUZET, n^is 182, 183.

977. III°. Præcipua quæstio, quatenus ad nos spectat, est, utrum in assecuratione requiratur *scriptura* ad validitatem conventionis, seu an præscribatur *solemnitatis causa*, an vero tantum *probationis*, juxta sensum ab initio (n°12) expositum? — Communiter docent auctores scripturam non requiri ad validitatem conventionis. Non enim requiritur ex natura rei : et nihil indicat requiri ex art. 332, qui eam non præscribit sub pœna nullitatis. Unde contractus assecurationis haberi non debet ut contractus solemnis. Ita POTHIER, n° 99; QUENAULT, n^is 145, 146; GRÜN et JOLIAT, n^is 123, 197; et alii quos citat et sequitur LEMONNIER, n^is 28-30, 34; ALAUZET, n° 181. Igitur vim habebit assecuratio, si a contrahentibus agnoscatur; si alteruter eam deneget, poterit ei juramentum deferri, etc.

978. Si nunc deveniamus ad assecurationem terrestrem, nihil de ea in jure statuitur. Huic non potest applicari quod statuitur de assecuratione maritima, inquit PARDESSUS, t. II, n° 592 : nulla ergo specialis forma requiritur; et probari potest quocumque modo, etiam per testes, quando agnoscitur ut actus commercii. *Ibid.*, n° 593, 1°. Hinc ii ipsi jurisperiti qui in quocumque casu exigunt scripturam in assecuratione maritima, ut GRÜN et JOLIAT, n° 197, p. 247, non eam exigunt in assecuratione terrestri.

979. Ordinarie ad ineundum contractum assecurationis habentur formulæ typis impressæ, quæ vulgo vocantur *Police d'assurance*. Hunc usum improbabat POTHIER, n° 103, quia sæpe eveniebat ut iis insererentur variæ clausulæ quas ignorantes multi assecuratores vel assecurati decipiebantur, et pluribus deinde incommodis exponebantur. Attamen usus earum prævaluit, et hodie ab

omnibus harum rerum peritis habetur ut commercio valde utilis. In iis includuntur variæ pactiones quæ sunt in variis locis magis receptæ, et quæ judicantur pro varia objectorum natura magis opportunæ. Per has explicatur jus commune, et aliquando ei derogatur. Iis positis, facilius conveniunt in idem placitum assecurati et assecuratores. Sed possunt iis superaddi conventiones speciales, quæ manu exarantur, et quæ, si cum impressis non concordent, iis prævalent. Vid. PARDESSUS, t. III, n° 792; ESTRANGIN, *Supplém. à Pothier*, p. 313 et seq.; LEMONNIER, t. I, n^is 1, 2; ALAUZET, t. I, n° 186.

Pro assecurationibus maritimis, statuit codex Commercii, art. 332, quid exprimi debeat, illudque fusius explicant jurisperiti. In præcipuis urbibus ubi fieri solent, habentur formulæ, quæ inde nomen accipiunt, et dicuntur *la police de Paris, de Bordeaux, du Havre*, etc. Explicat Lemonnier in opere pluries citato eas quæ nunc vigent *à Paris, Bordeaux, Marseille, le Havre, Nantes, Rouen, Dunkerque et Bayonne.*

Pro assecurationibus terrestribus, suas formulas habent variæ societates assecurationum, earum statutis innixas. De iis videri possunt QUENAULT, et GRÜN et JOLIAT, qui in sui operis appendice exhibent præcipuas formulas quæ sive apud nos, sive apud exteros vigebant tempore quo prodierunt eorum scripta.

§. 4. *De obligationibus assecurati.*

980. Illæ obligationes spectari possunt pro triplici tempore: quando initur conventio; durante conventione; et casu sinistro eveniente.

I°. *Quando initur conventio.* Cum ad assecuratum spectet indicare objectum assecurationis, necessarium est ut vera et accurata sit illius declaratio. Etenim assecurator non tenetur, imo sæpe nequit de hujus veritate inquirere:

eam acceptat, sed provisorie tantum, et servato jure eam tempore opportuno impugnandi, si deceptus fuerit. Ita POTHIER, n° 199, et ESTRANGIN, *ibid.*; PARDESSUS, t. III, n° 886; GRÜN et JOLIAT, n° 207. Ut autem innotescat quænam sint consectaria declarationis sive insufficientis, sive falsæ, advertendum est duo præcipua ab assecurato declarari debere, valorem rei assecuratæ, et pericula quibus exponitur et contra quæ assecuratur.

I. De obligatione declarandi *verum rei assecuratæ valorem.* Supponunt jurisperiti tanquam principium inconcussum, assecurationem esse medium quo assecuratus servetur indemnis, non vero quo lucrum obtineat. Hinc si ejus declaratio sit ultra verum rei valorem, non ideo poterit valorem declaratum ab assecuratore exigere : sed si adfuerit fraus aut dolus ex illius parte, contractus declaratur irritus, et quidem ex illius parte tantum, id est, in eo sensu quod non possit exigere solutionem, ipse tamen teneatur ex sua parte exsequi seu solvere pretium conventum; si vero nec fraus nec dolus adfuerit, contractus erit reductibilis, id est vim habebit tantum juxta verum rei valorem. Ita art. 357 et 358 cod. Commercii, quos in natura contractus fundari, saltem quoad principium generatim spectatum, ideoque omnibus assecurationibus applicari dicunt jurisperiti. Vid. QUENAULT, n° 85; GRÜN et JOLIAT, n^is 214, 216.

Verum ut judicetur quatenus hæc applicanda sint etiam in foro interno, videndum cuinam fundamento sint innixa. Attenta sola rei natura, etiamsi assecuratus non staret intra limites veri valoris, modo solveret pretium valori quem declarat proportionatum, non læderetur æqualitas : quia periculum quod incurrit assecurator solvendi ultra rei valorem compensatur per pretium majus quod recipit. Cur ergo statuit legislator ea quæ mox indicavimus? Quia conventio jam verteretur in sponsionem, ut intelligi potest ex

notione ab initio allata (n° 952); siquidem assecuratus sperandum haberet, quoad excessum valoris, ultra id quod ipsius interest. Iis igitur inhærendo quæ jam observavimus (n° 955), distinguendum videtur. 1°. Si contrahentes, non ex errore, sed scienter et voluntarie conveniant de valoris excessu, conventio erit ex ea parte sponsionis instar, et proinde applicanda erunt quæ diximus supra (n° 941) : valebit conventio, sed vim non habebit in foro externo. 2°. Si uterque bona fide erraverit circa rei valorem, facienda erit, detecto errore, reductio : voluerunt enim assecurationem, non vero sponsionem, inire, ac proinde stare debent intra naturam assecurationis. 3°. Si assecuratus assecuratorem deceperit, invalidus videtur contractus quoad excessum valoris, quia cum assecurator intenderit inire assecurationem, assecuratus vero sponsionem, non adfuit consensus in idem placitum : sed intra limites justi valoris, non applicatur eadem ratio; unde putamus stare debere contractum. Dispositio articuli 357 spectata in toto suo rigore respicit tantum assecurationes maritimas, nec debet ad alias extendi. Imo quoad assecurationem maritimam, videtur statuta per modum pœnæ; ita explicant Grün et Joliat, n° 142, p. 263 : nec proinde vim habere ante sententiam, posito quod attingat forum internum : sed verisimilius est contractum non declarari irritum nisi eodem modo ac sponsionem, sicque denegari tantum actionem in foro externo. Unde in foro conscientiæ assecuratus tenebitur tantum reparare damnum quod per suam fraudem assecuratori intulit, si reipsa intulerit.

981. Inquirendum superesset quid intelligendum sit per verum rei valorem, seu potius cujusnam temporis ratio habenda sit ad illud determinandum. Sed illud opportunius expendetur ubi de *Obligationibus assecuratoris* (n° 997). Hic quæremus tantum an assecuratus possit ra-

tionem habere in sua æstimatione peculiaris affectus quo rem prosequitur? — Asserit ALAUZET, t. II, n° 416, id non posse admitti, sed non probat. Concipitur non debere in foro externo facile admitti hujusmodi æstimationem, quia vix potest de hujus fundamento constare. At si reipsa existat, non videmus cur non liceret hujus rationem habere in assecuratione, quemadmodum ex communi sententia licet in venditione (n° 691).

982. II. De obligatione declarandi *rei assecuratæ pericula*. Cum hæc pericula sint verum assecurationis objectum, satis patet requiri ut assecurator ea cognoscat; alioquin non debet præsumi ea in se suscipere: et si ratione eorum alicui obligationi subjiceretur, reponere posset se ea non fuisse suscepturum, si novisset, vel saltem nonnisi sub diversis conditionibus seu pro majori pretio. Hinc ex art. 355 cod. Commercii, si quædam merces obnoxiæ sint peculiari deteriorationi aut imminutioni, declaranda est earum natura. Vid. PARDESSUS, t. III, n° 813. Hinc etiam statuit art. 348, qualibet reticentia seu falsa declaratione, ex qua imminueretur opinio periculi, vel mutaretur illius objectum, irritari assecurationem, etiamsi hæc reticentia aut declaratio non influxerit in damnum, seu rei assecuratæ amissionem. Hæc dispositio juxta jurisperitos debet ad omnes assecurationes extendi. Vid. QUENAULT, n° 176; GRÜN et JOLIAT, n° 208.

In eo articulo contractus non declaratur irritus tantum quoad assecuratum, ut in art. 357, sed pure et simpliciter. Attamen ex motivis in exponendo illo articulo allatis concludunt jurisperiti mentem legislatoris fuisse favere assecuratori. Unde distinguendum putant. Si fuerit aliqua culpa, id est, dolus vel negligentia ex parte assecurati, non poterit nullitatem contractus postulare: ex principiis enim juris communis, qui est in culpa non potest eam allegare ut se subtrahat suis obligationibus. Sed si nulla fue-

rit culpa, poterit ipse, non minus quam assecurator, nullitatem invocare. Ita ESTRANGIN, *sur Pothier*, n° 199, p. 287; QUENAULT, n° 375; GRÜN et JOLIAT, n° 310.

983. Ex iisdem principiis deducunt jurisperiti, declarandas esse varias assecurationes, si plures sint de eodem objecto. Scilicet 1°. si res sit jam assecurata quoad integrum valorem, et nova assecuratio ineatur, hæc irrita est[1]; art. 359 : cum enim res nulli jam periculo maneat exposita quoad assecuratum, deest objectum novæ assecurationis, sed lucrum intendit assecuratus, nempe duplex rei suæ pretium. Supponit articulus non adfuisse fraudem ex parte assecurati, et tunc statuit secundum assecuratorem jus habere tantum, ut dicitur, *à demi pour cent de la somme assurée* : hoc ei tribuitur, inquit QUENAULT, n° 357, *pour l'indemniser de ses frais de négociations, peines et soins*, et ideo vocatur *Droit de signature*. Si vero fraus adfuerit, tunc applicatur art. 357, et debet assecuratus integrum pretium conventum. Ita explicat LOCRÉ, *Espr. du code de Comm.*, art. 359, t. IV, p. 175, quem sequitur QUENAULT, n° 88. Huc redeunt igitur quæ supra (n° 980) diximus de isto articulo. 2°. Si prior assecuratio non attingat totum rei valorem, tunc posterior assecurator tenetur de excessu valoris; art. 359 : nulla est ratio cur ex ea parte contractus sit irritus. Si tamen summa per eum assecurata superet illum excessum, aderit locus reductioni, vel nullitati, prout assecuratus fuerit bonæ vel malæ fidei, ad normam articuli 357. Ita LOCRÉ, *ibid.*, p. 176, 177. Hæc de assecuratione maritima. 3°. At in assecurationibus terrestribus, speciatim contra incendium, non idem omnino viget. Si plures sint assecurationes, non ideo irritæ

[1] Probabile judicat PARDESSUS, t. IV, n° 1043, 6°, p. 283, in societatibus mutuis nihil obstare quin res assecurata denuo assecuretur; quia quilibet socius est simul assecuratus et assecurator : si tamen in statutis hæc facultas prohibeatur, his standum est.

habentur; sunt tantum reductibiles, proportione servata, secundum valorem rei. Sed variæ societates exigunt sub pœna nullitatis, ut declarentur aliæ assecurationes initæ sive ante, sive postea: quia nempe si assecuratus fuerit valor integer rei, jam minoris interest assecurati hujus conservatio, ac proinde majus adest periculum pro assecuratoribus. Vid. GRÜN et JOLIAT, nis 143, 144; PARDESSUS, t. II, nº 593, 5°.

984. IIº. De obligationibus assecurati *durante conventione*. Tres præcipuæ assignari possunt.

Iª. Obligatio est solvendi pretium, *la prime*. Assecuratio, ut observat GIBALINUS, l. IV, c. IX, art. 1, nº 2, fieri posset gratis quemadmodum pro convento pretio. Sed dicunt jurisperiti tunc futuram esse donationem, non vero assecurationem qualis ordinarie intelligitur, et ad cujus essentiam pertinere pretium docent. Vid. ÉMÉRIGON et BOULAY-PATY, t. I, c. III, sect. XI, p. 88, 90; PARDESSUS, t. II, nº 591, et alii. Unde assecuratio vulgo reponitur inter contractus onerosos.

1°. In assecurationibus mutuis pretium consistit in obligatione cui se subjicit quilibet socius partem suam perferendi in compensatione damnorum quæ cæteris sociis accidere possunt. Sed ut satisfiat variis impensis quibus locum dare potest negotiorum societatis administratio, quilibet solvit modicam præstationem annuam. Plerumque per multos annos nil aliud exigitur; cum enim reparatio unius aut alterius casus sinistri inter plurimos divisa nonnisi valde modicum onus singulis sociis imponat, non ante exigitur hæc contributio quam satis multiplicati fuerint casus sinistri ut paululum notabilis esse debeat: interim aliis modis providetur prædictæ reparationi.

In aliis assecurationibus, quæ dicuntur *à prime*, pretium ab assecuratis solvendum ordinarie situm est in quadam pecuniæ summa; sed posset constitui in qualibet alia

re æstimabili. Determinari debet ab initio conventionis, aut saltem poni principium quo determinari possit, prout diximus de pretio in venditione (n° 680). Si nulla determinatio facta fuisset, existimat PARDESSUS, t. II, n° 593, 8°, p. 589, hanc fieri posse per tribunalia. Alii dicunt ad judices non pertinere hanc determinationem, quæ oriri debet a libera contrahentium voluntate, cum præsertim pretium sit valde incertum et arbitrarium. Ita QUENAULT, n° 191; ALAUZET, t. I, n° 172. Ordinarie non deerit medium determinandi pretium, præsertim comparatione instituta cum similibus assecurationibus.

985.— 2°. Debet profecto adesse quædam proportio inter illud pretium et pericula quibus exponitur res assecurata. Sed cum valde incerta sint hæc pericula, et multum variare possint circumstantiæ, non hic applicari potest principium contractuum commutativorum. Si immodicum videretur pretium, inquit PARDESSUS, t. II, n° 591, læderetur quidem conscientia, sed nulla daretur actio aut exceptio coram tribunalibus, nisi adfuisset dolus aut deceptio: aliis verbis, non datur rescissioni locus læsionis causa. Ita omnes jurisperiti: POTHIER, n^is 82 et 197; GRÜN et JOLIAT, n° 14; QENAULT, n° 99; ALAUZET, n° 173, qui tamen observat in locis ubi frequentes sunt assecurationes occurrere pretium vulgare, a quo si quis notabiliter recederet, eo ipso præsumeretur fraus aut deceptio.

Quid vero, si assecurator noverit scientia privata periculum esse longe minus ac vulgo existimatur, poteritne pretium commune nihilominus exigere? Sic, v. g., didicit prædones jam e mari vel e via recessisse, aut adfuturum comitatum quo præcaveatur periculum, etc. — Existimat LESSIUS, l. 2, c. 28, n° 27, posse exigi pretium commune: quia ex æstimatione communi, non ex privata scientia determinatur justum pretium; idem est ac in casu

mercatoris, qui scit pretium mercis fore brevi imminuendum, v. g., ob superventuram rerum copiam, et tamen potest interim vendere pretio currenti, ut antea diximus (n° 698). Verum hæc opinio, inquit COLLET, n° 16, p. 641, si quibus, paucis certe probabitur : revera eam rejiciunt DE LUGO, D. XXXI, n° 96 ; GIBALINUS, art. III, *consect.* I ; HAUNOLDUS, t. IV, tr. X, n° 1097. Etenim agnoscit Lessius irritum esse contractum, si assecurator sciat rem jam esse in tuto ; quia, inquit, tunc non est materia contractus, et dolus assecuratoris dat causam contractui : porro eædem rationes militant pro præsenti casu. Unde valde differt a casu mercatoris de quo antea. Mercator non occultat vitium occultum, cum merces non sint minus bonæ ob superventuram copiam. In assecuratione autem adest error circa ipsam materiam contractus, ac proinde error substantialis. Sicut ergo gemma quæ communiter creditur vera, non potest vendi ab eo qui scit esse falsam, ita non potest pretium majus exigere pro periculo ille qui scit periculum esse minus.

Si autem supra justum pretium receperit assecurator, tenetur excessum illum restituere : et quidem etiam casu quo, re pereunte, totum valorem refundit ; ut enim observat POTHIER, n° 195, una obligatio est independens ab altera : non potest retinere nisi id quod juste recipere potuisset, si nullus dolus aut error adfuisset.

986. — 3°. Olim moris erat ut pretium illud solveretur ipso conventionis momento : imo illud in multis regionibus præscribebatur, et speciatim edicto an. 1681. Vid. ALAUZET, n° 170. Hodie nihil tale præscribitur ; in multis casibus assecuratus se obligat tantum ad solvendum certa quadam epocha, et ideo subscribit chirographis quæ dicuntur *billets de prime :* ita præsertim quando, assecuratione pro pluribus annis inita, pretium annuatim solvendum est. Ex art. 191, 10°, cod. Commercii, privilegium

conceditur assecuratori ad obtinendam solutionem pretii : sed docent jurisperiti illud extendi non posse ad assecurationes terrestres. PARDESSUS, t. II, n° 591, p. 561; QUENAULT, n° 344; GRÜN et JOLIAT, n° 226; ALAUZET, n° 174, et t. II, n° 430.

987. — 4°. Pretium illud debetur statim ac assecurator periculum incurrit vel unico momento; art. 351 cod. Commercii. Non exstinguitur ergo obligatio, nec datur restitutioni locus, etiamsi periculum desierit : nam periculum habetur ut indivisibile, cum in unico instanti potuerit casus sinister evenire. Ita QUENAULT, n° 102; GRÜN et JOLIAT, n° 195; ALAUZET, n° 178. Si tamen pretium consistat in quadam præstatione annua, ut fit in assecurationibus contra incendium, jus non habent statim assecuratores ad præstationes omnium annorum, sed solummodo proportione habita terminorum elapsorum. In assecurationibus autem maritimis, quando assecuratio mercium inita est pro itu et reditu et pro unico pretio, quod dicitur *Prime liée*, si post itum locum non habeat reditus, tunc assecurator recipit tantum duas e tribus partibus pretii, nisi aliter conventum fuerit. Ita art. 356 cod. Commercii. Vid. PARDESSUS, t. III, n° 864. Cur ita statutum fuerit, et quomodo id intelligendum sit fusius explicat LOCRÉ, ad hunc articulum, t. IV, p. 147 et seq.

Sed ut debeatur pretium, requiritur ut periculum incœperit. Unde si assecuratio, v. g., facta fuerit pro aliquo itinere, et iter locum non habeat, non debetur pretium. Ratio est, quia pretium periculi supponit periculum, ac proinde contractui censetur adesse hæc conditio : *Si iter locum habeat.* Ita docent jurisperiti : ÉMÉRIGON, t. II, c. XVI, sect. I, p. 186; POTHIER, n° 179; PARDESSUS, t. III, n° 873; QUENAULT, n° 101; GRÜN et JOLIAT, n° 220. Ita etiam theologi : MOLINA, D. DVII, n° 7. Ita demum statuit art. 349 cod. Commercii, qui declarat id locum

habere etiamsi omissio itineris oriatur ex facto assecurati; in quo supponit id verum esse a fortiori si aliunde oriatur : et insuper tribuit tunc assecuratori, titulo indemnitatis, *demi pour cent de la somme assurée*. Sed hæc indemnitatis determinatio restringenda est, juxta GRÜN et JOLIAT, n° 220, et ALAUZET, t. II, n° 521, ad assecurationes maritimas, quas solas respicit art. 349 : nec potest extendi ad assecurationes terrestres, in quibus hæc indemnitas plerumque superaret pretium integrum; unde in his nil aliud deberetur assecuratori quam compensatio damnorum quæ reipsa passus fuisset.

Ipsa tamen hæc doctrina aliqua difficultate non caret. Etenim dicunt communiter jurisperiti cum POTHIER, n° 5, assecurationem esse contractum consensualem : ac proinde semel posita conventione, dici deberet perfectus, et ex utraque parte obligatorius. Si autem dicatur esse conditionatus ex parte assecurati, reponi potest conditionem esse potestativam, sicque irritum effici debere contractum juxta art. 1170 et 1174 cod. Civilis. Id agnoscere videtur PARDESSUS, n° 873, et ait hanc derogationem regulis juris communis admissam fuisse propter bonum commercii maritimi, quia assecurati interest ut non teneatur aperire an sponte, an ex necessitate desistat a proposito itineris prò quo inita erat assecuratio. Alii dicunt assecuratum non sola sua voluntate posse se eximere a sua obligatione, sed tantum per omissionem itineris, ac proinde conditionem non esse *mere potestativam*, juxta principia ante exposita (n° 324). Quidquid sit, semper verum remanet contractum effectum suum non obtinere nisi assecuratus aliquid egerit, id est, iter cœperit : unde concludit ALAUZET, qui hæc fuse discutit, n° 179, omnia melius conciliari si dicatur assecurationem esse contractum realem, quia perfectus non est nisi posito aliquo facto ex parte assecurati, quemadmodum dicitur de depo-

sito, de mutuo, etc. Sed semper agnoscendum erit esse consensualem quatenus vim suam habet antequam prétium (*la prime*) solutum fuerit. In eo sensu loquitur PARDESSUS, t. II, n° 594, 1°, p. 592.

988. — 5°. Hactenus supposuimus pretium fuisse absolute promissum. Sed aliquando non promittitur nisi conditionate, et quidem diversis modis. Aliquando paciscuntur contrahentes pretium non fore solvendum nisi transacto periculo, et, si sinister casus eveniat, compensandum fore cum summa quæ tunc ab assecuratore debebitur. Ita fit præsertim quando pretium est magni momenti, et hujus solutio onerosa foret assecurato: PARDESSUS, t. III, n° 789. Aliquando ipsum pretium fit objectum novæ assecurationis : *L'assuré peut faire assurer le coût de l'assurance*; art. 342 cod. Comm. Scilicet si res assecurata pereat, assecuratus recipiet quidem hujus valorem; sed cum pretium solvere debeat, non erit omnino indemnis. Ut illud incommodum præcaveat, init assecurationem pro ipso pretio, promittendo pretium longe inferius quod dicitur *Prime de prime* : cumque idem pluries facere possit, inde fiet ut integrum valorem recuperet. Sed si res non pereat, tunc majus pretium solvendum habebit : ex quo intelligitur justitia illorum pactorum, in quibus superest semper alea. Illud satis fuse explicat PARDESSUS, n° 790, qui observat nil obstare quin varia illa pacta fiant cum eodem assecuratore : tunc eo reducitur conventio, ut, si res pereat, nullum pretium pro assecuratione solvatur; si vero non pereat, solvatur pretium majus. Et reipsa quandoque ita initur conventio : quæ implicite includit, ut aiunt jurisperiti, *l'assurance de la prime et des primes des primes*. Vid. etiam POTHIER, n° 34; ÉMÉRIGON, c. VIII, sect. XIII, t. I, p. 249; ALAUZET, t. I, n° 151.

989. — 6°. Quando pretium solvendum est successive, obligatio non cessat nisi cessante assecuratione. Si ante

tempus elapsum assecuratio irrita declaretur quia deerat aliqua e conditionibus essentialibus, pretium jam solutum restituendum est, quia numquam vere exstitit assecuratio. Sed si contractus validus resolvatur ob culpam vel ex facto assecurati, non est locus restitutioni : pretium fuit legitime ab assecuratore acquisitum; et nisi ita esset, penes assecuratum foret sese a sua obligatione eximere. Idem dicendum, si contractus resolvatur sine culpa aut facto assecurati : cum enim hactenus periculum incurrerit assecurator, jus habet ad pretium. Ita Grün et Joliat, nis 229, 230.

990. IIa. Obligatio assecurati est *declarandi mutationes* quæ in re assecurata contingunt, et ex quibus diversum aut majus efficitur periculum. Assecurator enim non tenetur nisi de periculo quod in se suscepit : nisi ergo moneatur, allegare poterit se fuisse deceptum ex silentio assecurati, ac proinde irritam evasisse conventionem. Merito igitur exigunt variæ assecurationum societates ut assecurati declarent varias circumstantias quæ pericula mutare, sicque augendo pretio locum dare possunt. Hic applicari possunt quæ diximus (n° 982) de declaratione facienda tempore conventionis. Ita Grün et Joliat, nis 231, 232.

991. IIIa. Obligatio est *incigilandi conservationi rei assecuratæ*. Si res illa pereat ex culpa aut facto assecurati, assecurator liberatur a sua obligatione, ut infra videbimus (n° 993) : quamvis ergo non se obliget ad specialem vigilantiam, cavere debet ne ex intuitu assecurationis negligentior evadat : quæ quidem negligentia, quamvis vel probari non posset, vel non sufficeret in foro externo, esset certe valde culpabilis in foro conscientiæ. Vid. Grün et Joliat, nis 234, 235. Si voluntarie rem destruat, apposito, v. g., igne, certe valde reus est : sed non omnino constat an haberi debeat tanquam reus criminis incendii,

quale punitur in art. 434 cod. Pœnalis. Pluries in eo sensu judicavit curia suprema, et custos sigillorum regiorum in eodem sensu scripsit, 25 jan. 1823, ad procuratores generales. Hanc tamen interpretationem impugnant plures jurisperiti. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 173, et præsertim QUENAULT, n° 267 et seq.

992. III°. De obligationibus assecurati *casu sinistro obveniente.*

1°. Si possit assecuratus casum imminentem aut jam incœptum cohibere aut imminuere, dubium non est quin ad id teneatur. Hinc plures assecurationum terrestrium contra incendium societates stipulantur ut statim moneat proximiorem qui præsto erit societatis negotiorum gestorem. Hinc etiam exoptant ut domibus assecuratis apponatur insigne (*la plaque*), ut exinde excitentur qui incendiis exstinguendis invigilant (*les pompiers*), quibus remunerationem promittunt illæ societates. Si nequeat assecuratus incendium compescere, aut alium casum cohibere, debet saltem objecta quæ poterit eripere. Id pro casu naufragii præscribitur art. 381 cod. Commercii. Aiunt tamen GRÜN et JOLIAT, n° 243, dubium esse an assecuratores admitterentur ad denegandam solutionem indemnitatis eo quod assecuratus hanc curam neglexisset : id expresse negat ALAUZET, t. II, n° 506, juxta quem adest tantum obligatio moralis pro assecurato, et nulla datur actio civilis assecuratoribus; juxta QUENAULT, n° 284, possent tantum postulare damnorum compensationem, quæ fieret per imminutionem indemnitatis assecurato debitæ.

2°. Si assecuratus velit reparationem damni obtinere ab assecuratoribus, debet ipsis statim denuntiare hunc casum. Hæc denuntiatio fieri debet in assecurationibus maritimis, ex art. 374 cod. Comm., intra triduum : in assecurationibus terrestribus, determinatur ordinarie spatium plus minusve breve. Assecurati interest ne ultra

differat; alioquin ipsi opponi posset exceptio, quasi e jure suo excidisset. Vid. GRÜN et JOLIAT, nos 236, 237.

Non semper sufficit ea denuntiatio : sæpe requiritur ut assecuratus probet damnum quod passus est, ostendendo talia aut talia objecta fuisse amissa, et habuisse talem valorem; ut probet etiam sibi ipsi jus inesse indemnitatem recipiendi, etc. Hæc autem, et alia quæ necessaria esse possunt ut constet de jure, diversimodo probantur pro diversis circumstantiis, et præsertim pro diversa objectorum natura. *Ibid.*, n° 238-242; PARDESSUS, t. II, n° 594, 3°, et t. III, n° 829 et seq.

§. 5. *De obligationibus assecuratoris.*

993. Obligatio assecuratoris est assecuratum indemnem servare, cum hic fuerit conventionis scopus. Quamdiu ergo damnum non accidit, ad nihil tenetur. Sed damno obveniente, videndum utrum semper et quatenus exsurgat prædicta obligatio, quousque extendatur, et quænam sint varia hujus adjuncta et consectaria.

I°. *Quandonam excusetur assecurator ab indemni faciendo assecurato.*— Ut exsurgat assecuratoris obligatio, non sufficit ut assecuratus damnum passus fuerit, seu ut res perierit qualicumque modo, sed requiritur ut id evenerit præcise per unum e casibus qui sive ex terminis in conventione expressis, sive ex jure, sive ex usu et consuetudine, censentur fuisse objectum assecurationis, juxta ea quæ antea diximus (n° 969). Si igitur damnum alteri causæ imputari debeat, jam immunis est a sua obligatione assecurator. Duo sunt speciatim casus de quibus statuitur in jure.

1°. Quando damnum oritur *ex culpa vel facto ipsius assecurati.* In assecurationibus maritimis, statuit art. 351 cod. Commercii damna quæ oriuntur ex facto assecurati non recidere in assecuratorem : citantur ibi in exemplum

mutatio itineris, vel navis. Idem statuitur, art. 352, de facto et culpa quorumdam aliorum, nempe *des propriétaires, affréteurs ou chargeurs* : et art. 353, *des prévarications et fautes du capitaine et de l'équipage, connues sous le nom de baratterie de patron, s'il n'y a convention contraire.* Læderetur evidenter æquitas, et periclitaretur bonum commune, si assecurator teneretur compensare damnum quod ipsi assecurato tribuendum est.

Hinc jurisperiti extendunt idem principium ad assecurationes terrestres. Sic in assecurationibus super vita, si ille qui stipulatus est de propria vita moriatur ex condemnatione, ex suicidio, vel etiam duello, dicunt assecuratorem non teneri ad præstandam indemnitatem iis quibus deberetur : aliud tamen dicendum si quis stipulatus fuerit in sui gratiam super vita alterius; quocumque modo iste moriatur, non liberatur assecurator. Ita QUENAULT, n^is^ 71, 72. Vid. etiam PARDESSUS, t. II, n° 595, 1°, p. 603, et n° 589, 2°, p. 536 ; GRÜN et JOLIAT, n° 386. Sic præsertim in assecurationibus contra incendium, inquiunt GRÜN et JOLIAT, n° 169, ad bonum publicum plurimi interest idem principium. Si enim assecuratus sciat se recepturum compensationem totius damni, etiam per culpam suam aut negligentiam adducti, quid illius intereret conservatio rei? Sed observant jurisperiti assecuratori incumbere in his casibus onus probandi damnum ortum fuisse ex culpa assecurati. Vid. TOULLIER, t. XI, n° 176 ; PARDESSUS, t. II, n° 595, 1°, p. 604 ; QUENAULT, n° 57 ; GRÜN et JOLIAT, n° 161.

Quid vero, si damnum oriatur ex culpa eorum qui curæ assecurati sunt commissi, v. g., filiorum, famulorum, etc.?

Ex art. 1384 cod. Civilis sequi videtur assecuratorem pariter liberari, quia assecuratus tenetur de eorum facto : et ita docent TOULLIER, n° 177, et QUENAULT, n° 64, et n° 285 et seq., qui ideo suadent ut assecuratus sibi

provideat per conventionem contrariam. Verum observant Grün et Joliat, n° 161, plerumque incendia oriri ex negligentia aut imprudentia inhabitantium domum, ac proinde fere supervacaneam fore assecurationem, si exinde eximantur assecuratores : unde, quamvis pariter suadeant ut apponatur ea de re clausula expressa, addunt eam clausulam non occurrere in formulis societatum, et tamen absque difficultate ab iis compensari damna eo modo secuta. Ita etiam Pardessus, t. II, n° 590, 2°. Magis assertive pronuntiat Alauzet, t. II, n° 509, casus hujusmodi cadere sub assecurationem, nisi hæc aperte restringatur ad vim majorem : talis enim est præcise scopus assecurationum. Unde ob eamdem rationem docet, n^is 507, 508, non nisi ex delicto vel dolo assecurati eximi assecuratores, et non ex mera negligentia aut imprudentia.

994. — 2°. Quando damnum oritur *ex vitio proprio rei*, statuit art. 352 compensationem non deberi ab assecuratoribus. Per vitium proprium rei, inquit Pardessus, t. II, n° 590, 4°, intelliguntur deteriorationes aut destructiones quæ oriuntur ex accidentibus quibus res etiam in sua specie perfecta, obnoxia est ex natura sua. Varia exempla profert pro assecurationibus maritimis, t. III, n° 773. Observant Grün et Joliat, n° 162, et Alauzet, t. II, n° 457, raro occurrere in assecurationibus terrestribus applicationem hujus principii. Quando res assecuratur contra tale aut tale periculum, parvi refert an illud periculum timendum sit ex natura rei, an ex alia causa : semper standum est intra terminos conventionis. Et revera quando agitur speciatim de assecuratione contra incendium, quædam societates non in se suscipiunt periculum ortum ex interno æstu (*de la fermentation*) mercium assecuratarum : sed plures aliæ majus pretium exigunt, prout res assecuratæ sunt magis obnoxiæ conflagrationi. In omnibus declarare debet assecuratus naturam rerum quas

assecurat, et exinde ordinarie tollitur omnis difficultas. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 179; ALAUZET, t. I, n° 168, et t. II, n° 457.

995. II°. *Quamnam indemnitatem debeat assecurator casu sinistro obveniente?* — Generatim assecurator debet reparare damnum ipsum, non vero hujus consectaria, nisi aliter conventum fuerit. Sic qui domum assecuravit non tenetur de pretio locationum quo privatur dominus domus combustæ. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 244; PARDESSUS, t. II, n° 595, 3° et 4°. Hæc reparatio fit solvendo valorem rei destructæ. Sed aliquando non ad integrum valorem se obligavit assecurator : aliquando non res integra destruitur. Unde pro diversis hypothesibus diversæ decisiones dandæ sunt.

1°. Si res fuerat assecurata secundum integrum valorem, et integra pereat, refundi debet integer valor. Olim ex edicto an. 1681 non licebat pro integro valore assecurare : sed excipienda erat saltem decima pars, ut nempe conservatio rei semper interesset assecurati. Verum illa restrictio, quamvis consentanea legibus plerarumque gentium, ut refert ALAUZET, t. I, n° 195, in usum apud nos non transierat : nec visum est opportunum ut renovaretur in novo codice, præsertim cum valde facile in praxi eludi posset. Unde apponitur tantummodo in formulis quarumdam societatum. GRÜN et JOLIAT, n° 246; QUENAULT, n° 86.

Si autem una pars tantum pereat, huic proportionatur indemnitas, v. g., pereunte dimidia aut tertia parte rei, solvitur dimidia aut tertia pars indemnitatis. Hæc est regula generalis. Sed in assecurationibus maritimis exstant quædam dispositiones speciales, quæ respiciunt casus qui vocantur *de délaissement*, vel *d'action en avaries* : de his nonnulla modo dicemus (n^is 998, 999).

996. — 2°. Si res non fuerit assecurata secundum integrum valorem, et tota pereat, assecurator compensat

partem assecuratam : id est, si assecurata fuerit, v. g., dimidia pars, compensat dimidiam partem ; si vero, ut sæpius fit, res fuerit assecurata usque ad talem summam, solvitur summa promissa.

Sed si una pars tantum pereat, neque in assecuratione designata fuerit pars assecurata, docet MOLINA, D. DVII, n° 9, compensari debere partem proportionatam; v. g., si assecurator promiserat duo millia, et pereat pars dimidia, solvet mille. Verum hanc regulam rejicit DE LUGO, D. XXXI, n° 102, quem sequitur HAUNOLDUS, n° 1098, et quem approbat COLLET, n° 19, p. 643 : juxta illum, qui assecurat dimidiam partem, vel usque ad talem valorem, censetur solum promittere salvam fore saltem dimidiam partem, vel usque ad talem valorem, ac proinde si illa pars salva sit, nihil debet : solummodo observat tunc minuendum esse pretium (*la prime*), id est, non exigi posse dimidium, v. g., pretii quod exigeretur pro assecuratione totius, quia in hac singulæ partes determinate assecurantur; item nec exigi posse quod exigeretur pro assecuratione dimidiæ partis determinatæ, quia facilius est incolumem servare hanc vel illam partem disjunctim, quam hanc determinate. Ita etiam JUENIN, tr. XIII, c. I, t. II, p. 256. Judicat GIBALINUS, art. III, *consect.* II, p. 298, inquirendum aut conjectandum esse animum et intentionem contrahentium. Quod quidem verissimum est. Juxta jurisperitos nostros, quando res non assecuratur nisi usque ad quamdam partem aut summam, assecuratus censetur esse sui ipsius assecurator quoad reliquum, quod vocatur *le Découvert* : quilibet igitur fert partem damni proportionatam, nempe assecurator proportionatam parti assecuratæ, assecuratus parti non assecuratæ. Quod recidit in regulam Molinæ. Vid. POTHIER, n° 79; PARDESSUS, t. III, n° 760; QUENAULT, n^os 95, 96; GRÜN et JOLIAT, n° 257; ALAUZET, t. II, n° 412. Cæterum ut tollantur difficul-

tates, merito observat Collet in hac præsertim materia clare et perspicue esse paciscendum.

997. Sed in variis illis casibus superest difficultas : quomodo determinari debeat valor rei, an ex conventione inita quando in ea hujus mentio facta fuit, an habita ratione temporis quo vel pro quo inita est conventio, an temporis quo res periit?

1. In assecurationibus maritimis, quando valor mercium non fuit determinatus in conventione, determinatur ex pretio currenti tempore et loco quo fuerunt navi impositæ (*du chargement*), additis impensis hucusque persolutis (*y compris tous les droits payés et les frais faits jusqu'à bord*). Ita art. 339 cod. Comm., ex quo intelligitur assecuratum omnino indemnem fieri, sed nihil ultra recipere. Unde, juxta jurisperitos, etsi, interim aucto mercium pretio, lucrum consecuturus fuisset si navis ad portum feliciter appulisset, nihil potest exigere ratione illius lucri cessantis.

2. In assecurationibus terrestribus, regulariter, inquit PARDESSUS, t. II, n° 595, 2°, æstimatio fieri debet juxta valorem rei tempore contractus. Sed quando agitur de assecuratione contra incendium, experientia compertum fuit multa oritura esse incommoda, si eadem admitteretur regula. Cum ordinarie ad satis longum temporis spatium fiant, interim plerumque decrescit valor intrinsecus rerum : propter hanc, et plures alias difficultates, communiter receptum fuit eas fore æstimandas, si casus sinister accidat, juxta valorem venalem quem tempore casus habebant. Ille modus, inquit, nihil habet a principiis alienum; aliunde leges nihil ea de re statuerunt; nulla est ergo ratio ab eo recedendi : aliquando assecuratus recipiet supra pretium emptionis ; sed sæpe contrarium eveniet.

3. Addit PARDESSUS, *ibid.*, summam ab assecuratore promissam, seu de qua conventum est, esse *maximum*,

supra quod nil unquam potest exigere assecuratus : unde si valor rei creverit a tempore conventionis ad tempus sinistri casus, augmentum exigere non poterit assecuratus. Id pluries asserit, et quidam alii idem admittere aut supponere videntur. Hanc rationem afferunt, quod assecuratus non debeat lucrum percipere ex assecuratione, sed tantum indemnis fieri; qui scopus obtinetur, si recipiat summam sibi promissam. Attamen id satis æquum non videtur; siquidem admittunt iidem auctores in casu quo imminutus fuisset valor, assecuratorem posse exigere imminutionem pretii promissi : porro si assecuratori faveat imminutio, assecurato favere deberet augmentum, ut par sit utriusque conditio. Revera id agnoscunt plures auctores. Observant in assecurationibus maritimis rationem non haberi augmenti valoris, quia dici potest istud non esse nisi lucrum speratum, ac proinde, si hujus ratio haberetur, non fore nisi meram sponsionem, cum totum pendeat ab eventu incerto, nempe a felici adventu navis : sed in assecurationibus terrestribus, si habeatur ratio valoris currentis tempore sinistri casus, non compensari lucrum cessans, sed damnum vere emergens, cum rei augmentum sit jam assecurato acquisitum; ac proinde, quamvis determinatio valoris pendeat ab eventu incerto, non posse dici meram sponsionem, cum assecuratus nunquam recepturus sit lucrum sine causa, sed meram indemnitatem. Quando ergo dicitur assecuratum non posse exigere ultra summam promissam, sed esse quasi sui ipsius assecuratorem quoad excessum valoris quem res habere potest, id verum non est nisi in casu de quo supra locuti sumus, quando nempe sciens et volens nonnisi partem rei assecuravit : sed aliud dicendum in casu de quo nunc loquimur. Vid. Quenault, n° 181-188; Alauzet, t. II, n° 408-413. Hinc videntur apud nos assecuratores rem ita intellexisse : assecurant enim secundum valorem tempore sinistri casus, absque

ulla distinctione inter casum augmenti, et casum imminutionis. Ita GRÜN et JOLIAT, n° 248.

998. — 3°. Quando res assecurata non perit, aut saltem non integra, sed tamen patitur detrimentum quod in assecuratorem recidere debet, tunc in assecurationibus maritimis distinguitur inter *sinistrum majus*, ut dicitur, et *sinistrum minus*, prout jam observavimus : in priori casu conceditur assecurato facultas abdicationis quæ dicitur *de délaissement;* in posteriori, *l'action d'avarie*. De utroque nonnulla dicenda sunt.

1. De facultate abdicationis, *de délaissement*. Quantumcumque detrimentum subierit res assecurata, si quid ex ea supersit, pertinet semper ad assecuratum, ac proinde deduci debet ex indemnitate quam ipsi solvere debet assecurator. Attamen aliquando tale est illud detrimentum ut a lege assimiletur amissioni integræ. Tunc assecurato tribuitur jus exigendi totum valorem, relinquendo assecuratori quidquid e re superest, sive sit illius pars, sive jus aut actio illius occasione exorta, sive etiam spes rem recuperandi. De origine illius facultatis apud auctores non constat. Vid. ALAUZET, t. II, n° 331. Quidquid sit, olim expresse concedebatur in edicto an. 1681, et hodie in codice Commercii, art. 369 et seq. Ibi statuitur in quibusnam casibus assecurato competat talis facultas, quomodo ea uti debeat, quid exinde sequatur, etc. De his videri possunt jurisperiti.

Monere sufficiat ex eorum doctrina non posse hanc facultatem extendi ad assecurationes terrestres. Motiva enim propter quæ inducta fuit sunt assecurationi maritimæ peculiaria; deducuntur e variis casibus maris, quibus fit ut navis aliquando reputetur amissa, nec tamen sit irrevocabiliter, vel ut ad talem statum redigatur ut jam pro assecurato nullius sit pretii, vel ut difficillimum sit jura utriusque contrahentis determinare, etc. : quæ non

occurrunt, saltem in eodem gradu, in assecurationibus terrestribus. Vid. QUENAULT, n° 195-202; GRÜN et JOLIAT, n° 280.

999. — 2. De facultate quæ dicitur *d'action d'avarie*. Sub illo nomine, *avaries*, includuntur omnia damna diversa ab iis quæ inducunt facultatem abdicationis; art. 371 cod. Commercii : scilicet detrimentum illatum rei assecuratæ, sine amissione totali aut fere totali, et impensæ extraordinariæ quas adducit circa rem assecuratam sinister casus ex eorum numero de quibus tenetur assecurator; art. 397.

In assecurationibus maritimis leges distinguunt varias species damnorum, quorum alia vocantur *avaries grosses ou communes*, alia *avaries simples ou particulières* : et determinant quænam in assecuratum, quænam in assecuratorem recidere debeant. Vid. art. 397 et seq. Sed variæ illæ dispositiones non applicantur nisi seclusa conventione inter contrahentes, qui possunt ea de re pacisci pro libitu; art. 398. Imo possunt apponere clausulam quam vocant *franc d'avarie* : et tunc assecurator ad nihil tenetur, excepto casu quo locus esset facultati abdicationis; quo in casu electio ipsi relinquitur inter alterutram facultatem, *de délaissement*, vel *d'avarie;* art. 409. Hæc omnia jurisperitis explicanda relinquimus.

At in assecurationibus terrestribus non occurrunt eædem distinctiones : tenetur assecurator de quocumque damno partiali, usque ad concurrentiam summæ assecuratæ; qui enim se obligat ad reparandum damnum integrum, a fortiori reparare debet damnum partiale. Possunt tamen pacisci contrahentes damnum non fore reparandum nisi pertingat ad talem summam, vel ad talem proportionem cum integro valore rei assecuratæ : ita fit satis frequenter in assecuratione theatrorum, vel aliorum objectorum conflagrationi valde obnoxiorum. Imo possunt,

quemadmodum in assecurationibus maritimis, apponere clausulam *franc d'avarie* : qua apposita, tenebitur nihilominus assecurator de damnis adeo gravibus ut pro amissione totali moraliter haberi possint. In damnorum æstimatione eædem sequendæ sunt regulæ ac in casu amissionis totalis. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 288-291.

1000. — 4°. Præter reparationem damni, tenetur assecurator de impensis, quas fecit assecuratus ad compescendum sinistrum, quæ dicuntur *Frais de sauvetage*. Ex dictis (n° 992) tenetur assecuratus eripere e sinistro, quantum potest, objecta assecurata : cumque juxta valorem eorum objectorum minuatur summa ab assecuratore persolvenda, æquum est ut ipse ferat impensas quæ in illius lucrum cedunt. Hinc pro assecurationibus maritimis ita statuit art. 381 cod. Commercii : et pro certo tenent jurisperiti idem dicendum esse de assecurationibus terrestribus. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 260. Ex eo articulo assecurator non tenetur pro compensandis illis impensis solvere ultra valorem objectorum quæ fuerunt erepta. Aiunt iidem auctores, n° 262, apud nos societates assecurationum non applicare hunc articulum assecurationibus terrestribus.

1001. III°. *Quomodo possit assecurator satisfacere suæ obligationi?* — Quamvis non sit essentiale assecurationi ut assecuratus recipiat indemnitatem in pecuniæ summa, ita tamen communiter præstatur hæc indemnitas. Assecurator ex summa debita detrahit, ut modo dicebamus, valorem objectorum quæ superesse possunt, et quæ relinquit assecurato : item pretium (*la prime*) debitum, et nondum persolutum. Sed non posset in solutionem dare schedulas pretii quæ nondum obtigerunt (*les billets de prime non encore échus*) : quando enim conventio inita est pro pluribus annis, cum hæc dissolvatur per sinistrum superveniens, pretium non debetur pro annis subsequentibus,

prout jam diximus (n° 987). Vid. Grün et Joliat, n^is 272, 273. Solutio autem summæ debitæ fieri debet intra temporis spatium per conventionem determinatum : et quidem assecurato, vel ejus causam habenti.

Nonnulla tamen ea de re observare juvat.

1°. Potest assecurator, si velit, objecta quæ supersunt non relinquere assecurato, sed ea sibi retinere, et valorem integrum solvere. Ita stipulantur multæ assecurationum societates. Sed in assecurationibus terrestribus ad id cogi non potest assecurator : est mera facultas ei concessa ; qua si utatur, fit statim eorum objectorum dominus. Sed eo ipso intelligitur eam non competere, si agatur de assecuratione inita ab usufructuario cujusdam ædificii : quod enim post incendium superest tribuitur, ex art. 624 cod. Civilis, domino directo, qui proinde jure suo spoliari nequit. Vid. Grün et Joliat, n° 277-279. Contra in assecurationibus maritimis potest cogi assecurator, ut vidimus, ad prædicta objecta retinenda : sed utrum possit ipse id exigere, non omnino constat inter auctores. Hodie ex terminis articuli 369, et ex analogia cum art. 409 concludendum est assecuratum non posse cogi ad abdicationem ; hæc est facultas in gratiam ejus concessa, non vero obligatio ipsi imposita. Ita Locré, ad art. 369, t. iv, p. 220 ; Pardessus, t. iii, n° 857 ; Alauzet, t. ii, n° 341.

1002. — 2°. In pluribus assecurationum formulis declaratur posse assecuratores, si velint, non solvere summam promissam, sed rem assecuratam restituere, v. g., domum combustam propriis impensis ædificare, merces ejusdem speciei ac merces amissas tradere, etc. Ita statuitur ad præcavendas fraudes et incendia voluntaria, etc. ; sed raro ad usum deducitur ea facultas, quia plerumque esset assecuratoribus multo magis onerosa. Facile intelligitur non posse ad praxim deduci, nisi quatenus res redu-

cuntur vere in pristinum statum: assecuratus enim non potest obligari ad recipiendum aliquid solummodo æquivalens, vel solummodo partem rei quam amisit, etc. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 282-284; ALAUZET, t. II, n° 472.

1003. — 3°. Solutio indemnitatis regulariter facienda est assecurato, ut patet. Sed fieri potest ut ejus creditores solutioni se opponant: possunt enim sibi providere in isto casu sicut in cæteris. Tunc exsurgit una quæstio quam breviter indicabimus, utrum scilicet, si adsint creditores privilegiati aut hypothecarii, habeant jus speciale in hanc indemnitatem præ creditoribus mere chirographariis, an vero indemnitas sit inter omnes indiscriminatim pari proportione distribuenda? — Hujus quæstionis solutionem valde arduam reputant GRÜN et JOLIAT, n° 110: probabilius tamen judicant non competere tale privilegium, sed summam esse inter omnes creditores distribuendam. Idem communiter docent jurisperiti: PARDESSUS, t. II, n° 594, 2°, p. 595; QUENAULT, n° 309-314; TROPLONG, qui nullam in eo agnoscit difficultatem, *Hypothèques*, t. IV, n° 890: hunc citat et sequitur ALAUZET, t. I, n° 145, ubi tamen refert aliter judicasse quædam tribunalia. Ratio est, quia ex una parte, juxta axioma juris, *Re corporali exstincta, hypotheca perit:* ex altera, summa persoluta, utpote mere mobilis, non potest sine expressa dispositione legis subrogari rei immobili. Equidem creditor hypothecarius jus speciale habet in pretium rei in quam habebat hypothecam aut privilegium, quando hæc venditur. Sed præterquam quod habemus ea de re specialem legis dispositionem, adest magnum inter utrumque casum discrimen: in venditione, emptor rem possidet, et hæc penes eum remanere non debet nisi satisfactum fuerit oneribus quæ illam gravabant; at assecurator nihil possidet, est tantum debitor summæ pecuniariæ: non adest ergo eadem ratio. Eatenus ergo tantum creditor hypothecarius jus haberet, quatenus

debitor mutuum accipiendo et dando hypothecam circa domum, v. g., assecuratam, simul cederet creditori jus conditionatum quod habet erga assecuratorem, et iste hanc cessionem acceptasset : tunc jus tribueretur creditori, non propter assecurationem, sed propter conventionem peculiarem. Ita PARDESSUS, *ibid.*

Ait tamen ALAUZET, *ibid.*, p. 266, in plurium societatum formulis tribui privilegium creditori hypothecario : sed merito observat hanc clausulam vim quidem habere posse inter assecuratorem et assecuratum, non vero erga reliquos creditores quibus nocere nequit, prout judicavit curia suprema, 15 februar. 1826.

Quando actum est de reformatione regiminis hypothecarii, agnoverunt pleræque curiæ regiæ et facultates juris, nullum privilegium reipsa competere creditori hypothecario ; sed multæ æquum judicaverunt et postulaverunt ut per novam legem ipsi tribueretur. Vid. *Documents relatifs au régime hypothécaire*, etc., t. III, p. 239 et seq.

1004. IV°. *De effectibus solutionis ab assecuratore peractæ.*

I^us^ effectus est *liberatio assecuratoris* erga assecuratum, modo solutio facta fuerit secundum regulas generales in parte I traditas.

Sed advertendum est assecuratorem non liberari per solutionem indemnitatis pro amissione rei tantum partiali : cum enim res adhuc exstet, et novis periculis exponatur, assecurator adhuc obligatus manet ; si tamen non se obligaverit nisi usque ad certam summam, non amplius tenetur nisi de eo quod superest. Ita QUENAULT, n° 322 ; qui tamen, n° 323, docet istud ultimum non applicari assecurationi per annos divisæ : cum tunc censeatur singulis annis renovari, attingit objectum quale est cum reparationibus seu novis constructionibus, ac proinde novo sinistro casu eveniente, assecurator tenetur eodem modo ac si nihil antea solvisset. Si vero res omnino amissa fuerit,

prorsus exstinguitur obligatio : res nova quam assecuratus potest priori substituere non censetur assecurata nisi per novam conventionem. *Ibid.*, n° 324.

1005. II^us^ effectus, quem vulgo assignant jurisperiti, est *subrogatio assecuratoris* in jura quæ assecuratus habere poterat ratione rei assecuratæ. Si, v. g., restitutio debeatur ab eo qui rem destruxit, satis patet assecuratum non posse simul ab eo et ab assecuratore recipere pretium rei : et aliunde auctor damni non ideo excusatur ab obligatione illud reparandi. Omnino igitur æquum est ut hæc reparatio solvatur assecuratori. Attamen non omnino apertum est, nec inter jurisperitos constat quomodo fiat hæc subrogatio.

Duplex in codice Civili, art. 1249, distinguitur subrogatio : legalis, et conventionalis, prout antea exposuimus (n° 411). Prior locum non habet nisi in casibus determinatis a lege, nempe in art. 1251. Cum ergo ibi mentio non fiat de præsenti casu, siquidem, ut ab initio dictum est (n° 952), non potest assecuratio æquiparari fidejussioni de qua agitur in tertio paragrapho hujus articuli, qui solus quamdam analogiam habere videtur, agnoscunt communiter jurisperiti non esse subrogationem legalem : Grün et Joliat, n° 294 ; Quenault, n° 397 ; Alauzet, t. II, n° 479. Sed satis communiter societates assecurationum eam subrogationem stipulantur in ipsa conventione : et nihil obstare videtur quin valeat et sufficiat hæc stipulatio. Ita sentiunt Grün et Joliat, n^is^ 296, 297 : et quamvis varias difficultates contra moveat Alauzet, n° 480 et seq., nullam reipsa moveri posse ait Pardessus, t. II, n° 595, 5° ; aitque Troplong, *Louage*, t. II, n° 393, hodie concordare jurisprudentiam in admittenda validitate talis stipulationis. Si autem nulla stipulatio facta fuerit, evidens judicat Pardessus assecuratorem posse nihilominus eam exigere ab assecurato antequam solvat, imo eum posse,

ea deficiente, agere contra auctorem damni, quia, si desit tunc subrogatio conventionalis, adest regula æquitatis, prout supra diximus. Eas rationes pro inconcussis habet ALAUZET, n° 478.

Sed superest quæstio, quousque extendi debeat jus assecuratoris, an vere obtineat omnia jura assecurati?

1°. Satis patet assecuratorem non posse exigere nisi quod ipse solvit assecurato : quoad reliquum, si adsit, assecuratus, inquit QUENAULT, n° 329, servat omnia sua jura, ut facile intelligitur, et deduci potest ex art. 1252 cod. Civilis. 2°. Quando cessio facta est ab assecurato, assecurator potest omnia jura exercere quæ ipse exercuisset. Sic agere potest contra auctorem damni, contra architectum in casu articuli 1792 cod. Civilis, etc. Vid. QUENAULT, n° 330 et seq. Inter ea jura includit ille auctor dispositionem articuli 1733, vi cujus locator domus potest, in casu incendii, reparationem exigere a locatario, nisi iste probet incendium culpa sua non evenisse, prout exposuimus supra (n° 785). Multa quidem opponit ALAUZET, n° 483 et seq., cui videtur privilegium locatori concessum, vi cujus eximitur ab onere probandi culpam locatarii, non posse ab eo transferri ad assecuratorem, quia habendum est ut privilegium personale. Sed agnoscit aliter pluries judicasse curiam supremam, speciatim 24 nov. 1840 : et multum abest quin invicta sint argumenta quæ ipse affert; si enim admittatur, ut diximus, art. 1733 habendum esse ut consectarium regulæ generalis, juxta quam debitor tenetur rem reddere in bono statu, nisi probet hoc sibi impossibile factum esse absque sua culpa, nil obstat quin ea obligatio ipsi imponatur etiam erga cessionarium locatoris. 3°. Sed si cessio facta non fuerit ab assecurato, tunc agnoscit PARDESSUS, *ibid.*, p. 615, non posse assecuratorem uti contra locatarium præsumptione statuta per art. 1733, sed eatenus posse reparationem ab eo exigere,

quatenus probabit incendium ejus culpa accidisse : tunc enim non exercet jus locatoris, sed nititur in eo quod auctor damni teneatur illud reparare, ad sensum articuli 1382; porro qui exigit reparationem injuriæ illatæ tenetur ad probationem, juxta art. 1315 : in eo sensu citat judicium curiæ supremæ, 2 mart. 1829.

§. 6. *De dissolutione contractus assecurationis.*

1006. Dissolutio contractus assecurationis locum habere potest vel per viam nullitatis, vel per viam resolutionis. Quomodo hæc duo differant antea diximus (n° 123): datur locus priori, quando defuit aliqua ex conditionibus requisitis ad validitatem, vel adfuit aliquod vitium ratione cujus contractus irritatur per legem; posteriori autem, quando contractus ab initio validus, nova aliqua superveniente causa cessat existere. Hæc dissolutio, præsertim in posteriori casu et quando agitur de assecurationibus maritimis, vulgo dicitur *Ristourne*[1].

Variæ nullitatis causæ satis intelliguntur ex iis quæ diximus in paragraphis præcedentibus. Intelligitur etiam sive ex dictis, præsertim (n[os] 974 et 980), sive ex principiis generalibus, quandonam diversæ nullitates invocari possint ab utroque contrahente, quandonam ab alterutro tantum. Videri potest ea de re inter alios QUENAULT, n° 353 et seq. Sufficiat ergo quædam dicere de præcipuis causis quibus contractus ab initio validus resolvitur, seu vim in posterum habere desinit.

[1] Olim ea dissolutio vocabatur *Ressortiment*, quasi diceretur assecuratores egredi e periculo quod susceperant. Jamdiu vocatur *Ristourne*, vel *Stourny* : quæ verba ex idiomate italico efformata, recepta sunt præsertim ad littora maris Mediterranei. Vid. ÉMÉRIGON, c. XVI, t. II, p. 184. A variis auctoribus sensu magis vel minus lato sumuntur. In novissima editione Dictionnarii Academiæ dicitur *la Ristourne*, in genere feminino : sed contra usum ab omnibus auctoribus receptum, qui semper dicunt *le Ristourne*. Vid. ALAUZET, t. I, n[os] 200, 201, p. 375 et seq.

1007. I. De dissolutione *ob inexecutionem conditionum*. Cum assecuratio sit contractus synallagmaticus, in eo subintelligitur conditio resolutoria, ad sensum articuli 1184, de quo jam diximus (n° 342). Hæc resolutio per se non habet locum pleno jure : sed potest iniri conventio ut pleno jure locum habeat, prout *ibidem* exposuimus. Id agnoscunt jurisperiti : Grün et Joliat, n° 314.

Cum assecurator nihil debeat ante eventum, locus non est contra illum petendi resolutionem ob præsentem causam. Sed si sinistro casu pars rei assecuratæ perierit, et assecurator nolit damnum reparare quando ad id tenetur juxta ea quæ ante diximus (n° 995 et seq.), tunc assecuratus poterit petere resolutionem, et restitutionem pretii forte jam soluti : sed ordinarie potius postulabit ut assecurator cogatur ad executionem contractus. *Ibid.*, n° 315.

Si vero assecuratus obligationibus suis non satisfaciat, potest assecurator resolutionem postulare. Ita speciatim, si pretium accurate non solvatur quando solvendum est. Id sequitur ex principiis generalibus, et plerumque expresse statuitur in formulis variarum societatum. Sed ab assecurato non pendet ut contractum resolvat non solvendo pretium : nemo enim potest per suam culpam ab obligatione sua se liberare. Vid. *ibid.*, n° 316-321; Quenault, n^is^ 104-107, 392.

1008. II. Si alteruter e contrahentibus fiat debitis impar (*en cas de faillite*). Statuit art. 346 cod. Commercii, eo casu obveniente ex parte alterutrius antequam desierit periculum, posse alterum petere vel fidejussionem sufficientem (*une caution*), vel resolutionem contractus : quod quidem intelligunt jurisperiti in eo sensu quod semper possit ille qui est debitis impar impedire resolutionem contractus data sufficienti fidejussione. Quamvis ille articulus non respiciat nisi assecurationes maritimas, agnoscunt auctores idem dicendum esse de assecurationibus

terrestribus; et quidem sive agatur de negotiatoribus, sive de non negotiatoribus qui, cum ad eum statum deveniunt, dicuntur, non *en faillite*, sed *en déconfiture*. Ratio est, quia talis dispositio omnino eruitur ex principiis generalibus: si enim assecurator fiat solvendo impar, evidens est non superesse assecurato securitatem, nec proinde eum debere pretium solvere; si contra id accidat assecurato, assecurator præstare non tenetur securitatem pro qua pretium non recipit nec recepturus est. Vid. Grün et Joliat, n° 330-333; Quenault, n° 387-391.

1009. III. Si rei assecuratæ *dominium ab assecurato ad alterum transeat*. Si assecuratus rem assecuratam vendat, dubium non est, inquit Pardessus, t. II, n° 271, p. 11, quin effectus assecurationis ad emptorem transeat: esset enim contra naturam venditionis ut alter periculo rei obnoxius esset, alter vero jus haberet ad indemnitatem pro illius periculi eventu; insuper venditor qui sibi jus illud reservaret jam assecuratus esset pro re cujus non habet dominium. Ita etiam docebat Émérigon, t. II, c. XVI, sect. III, p. 193, quem sequuntur Quenault, n° 211 et seq., et Grün et Joliat, n^is 86 et 387, ubi observant idem dicendum esse de hærede aut legatario universali, qui succedunt in jura et in obligationes sui auctoris. Et revera parvi interest assecuratoris ut erga se obligatum habeat hunc vel illum, modo certus sit accurate solvendum fore pretium, et aliunde ex mutatione non adaugeatur rei periculum. Solummodo agnoscendum est, ut monet Quenault, n° 212, assecuratum non posse liberare se ipsum erga assecuratorem, nisi iste consentiat, et novum obligatum admittat; ac proinde interim assecuratus manet obligatus, et quasi fidejussor sui emptoris.

Attamen pleræque assecurationum societates in suis formulis declarant, si res assecurata desinat pertinere ad eum cujus nomen insertum est in conventione, debere

assecuratum societatem monere, et sibi reservant facultatem vel continuandi vel dissolvendi assecurationem. Quædam exigunt ut declaratio fiat a novo proprietario. Facile intelligitur conventioni initæ standum esse.

Cæterum a transmissione de qua loquimur sedulo distinguenda est cessio juris ad indemnitatem recipiendam, si sinister casus occurrat. Jus illud in commercio maritimo transmittitur per simplicem viam, ut dicitur, *d'endossement;* aliquando competit latori conventionis (*est payable au porteur*). Idem locum non habet in assecurationibus terrestribus : sed sæpe assecuratus transfert suo creditori jus percipiendi indemnitatem, si locus sit, monito assecuratore ut ei soli solvat. Hujusmodi cessio nil habet nisi consentaneum principiis : assecurator semper jus suum servat contra assecuratum, cujus cessionarius acquirit tantum jus conditionatum percipiendi indemnitatem, si nempe sinister casus eveniat. Vid. GRÜN et JOLIAT, n° 328.

1010. IV. Si *res assecurata pereat.* Tunc distinguendum est : vel perit aliquo e casibus contra quorum periculum erat assecurata, vel casu diverso.

Si casu diverso, v. g., si domus contra incendium assecurata corruit, dissolvitur assecuratio, quæ stare nequit sine re quæ sit illius objectum. Cessat igitur obligatio assecuratoris; et si assecuratus domum, v. g., iterum ædificaret, non censeretur assecurata sine nova conventione. Sed cum contractus non dissolvatur nisi in posterum, assecurator hactenus vere subiit periculum, nec proinde debet restituere pretium jam receptum vel amittere acquisitum. Vid. QUENAULT, n^is^ 24, 25.

Si vero res pereat aliquo e casibus contra quos erat assecurata, dici potest etiam, semel soluta indemnitate dissolvi contractum. Si ergo res restauretur, nova requiritur assecuratio, ut jam dictum est (n° 1004). In quibusdam tamen societatum formulis fertur assecurationem

solummodo suspendi, et applicari, v. g., novo ædificio. Si autem res nonnisi quoad aliquam sui partem pereat, observantur ea quæ supra diximus (n° 995 et seq.); quæ cæteroquin pendent præcipue ex conventionibus initis. Vid. Grün et Joliat, n° 308; Quenault, n° 324.

1011. V. Quando *elapsum est tempus* pro quo contractus initus est, evidens est cessare contractum assecurationis, quemadmodum cessant varii contractus ad quoddam tempus tantum initi : et ita expresse statuitur quoad assecurationem maritimam art. 363 codicis Commercii. Varia temporis spatia in suis formulis determinare solent variæ societates. A quibusdam admittitur aliquid æquivalens reconductioni tacitæ (vid. n° 788) : id est, quando elapso tempore assecuratus non expresse renuntiat, censetur assecuratio perseverare. Vid. Grün et Joliat, n^is^ 334, 335.

Ipsæ assecurationum societates pro certo tantum tempore approbantur. Eo elapso, si novam approbationem non obtineant, non ideo corruunt assecurationes jam initæ : sed in earum statutis cavetur ut adhibeantur media, quibus impleantur omnes obligationes quas susceperunt, donec exitum obtinuerint omnes assecurationes initæ. *Ibid.*, n° 336.

Notandum superest obligationes semel pro alterutro contrahente exortas, implendas esse etiam post elapsum assecurationis tempus, nisi præscriptio intervenerit. Porro codex Commercii, art. 431-433, varias præscriptionum species statuit, sed quæ non respiciunt nisi assecurationes maritimas. Eas quidem ad assecurationes terrestres extendit Quenault, n° 252 et seq.; sed contradicunt omnes alii auctores, teste Alauzet, n° 530. Quoad istas igitur, standum est principiis juris communis. Hinc obligatio solvendi pretium, si una tantum epocha solvendum sit, non præscribetur nisi per lapsum triginta annorum : si

vero annuatim solvendum sit, locus erit præscriptioni quinquennali, juxta art. 2277. Obligatio autem solvendi indemnitatem non exstinguetur nisi per lapsum triginta annorum a die quo accidit sinister eventus. Sed multæ societates tempus illud restringunt. GRÜN et JOLIAT, n° 355-357.

ART. 5. *De Nautico fœnore*, Gallice *Contrat à la grosse.*

1012. In jure Romano exstat titulus *de Nautico fœnore*, quod vocatur etiam contractus *Trajectitiæ pecuniæ*. Apud nos dicitur *Prêt à la grosse aventure*, vel simpliciter *Contrat à la grosse :* sub isto nomine designatur in codice Commercii, art. 311 et seq. Locum habet, quando aliquis summam pecuniæ aut alias res fungibiles alteri tradit mutuo super rebus quæ exponuntur periculis maritimis, eo pacto ut si res istæ pereant nulla restitutio debeatur mutuatori nisi de eo quod forte supererit, si vero sinister casus non evenerit restituantur res mutuatæ cum certo quodam lucro pro periculis quæ mutuator in se susceperat; quod lucrum dicitur *Profit maritime.*

Dicitur 1°. *Summam pecuniæ aut alias res fungibiles*, quia contractus de quo agimus non spectat nisi ad ea quæ possunt esse objectum mutui, id est, ad objecta de quibus possit mutuatarius disponere, et quæ non teneatur reddere in individuo. Si res alicui traderetur solummodo ad usum, cum onere eam reddendi, si non pereat, et quoddam pretium solvendi, contractus posset esse licitus, sed dicendus foret locatio, non fœnus (*un louage à la grosse, non un prêt*). Ita PARDESSUS, t. III, n° 891.

Dicitur 2°. *Super rebus quæ exponuntur periculis maritimis*, quia contractus ille non subsistit nisi quatenus res periculo maris expositæ addicuntur mutuo (*sont affectées au prêt*), ita ut ex earum sorte pendeat mutui eventus, seu obligatio mutuatarii, prout indicant ultima verba de-

finitionis, *Eo pacto*, etc. Indicantur in codice Commercii, art. 315, variæ res super quibus fieri potest contractus : requiritur ut res illæ æquivaleant summæ mutuatæ; art. 316, 317. Privilegium autem quod super iis tribuitur mutuanti, explicatur art. 320 et seq.

Ex hac notione intelligitur contractum istum magnam habere affinitatem cum contractu assecurationis. Mutuans quemadmodum assecurator suscipit in se pericula, et pro iis jus habet ad lucrum sicut assecurator ad pretium. In pluribus tamen differunt hi duo contractus. Mutuans præbet pecuniæ summam, nil vero assecurator qui contra recipit pretium quod sæpe statim ipsi solvitur. Mutuans nullam contrahit obligationem erga mutuatarium, dum assecurator se obligat ad indemnem servandum assecuratum. Exinde exsurgunt quædam aliæ rationes discriminis, quas exponunt jurisperiti. Vid. POTHIER, *Tr. du contr. de prêt à la grosse*, n° 6 ; ÉMÉRIGON, c. I, sect. IV, §. 3 et 4, t. II, p. 420, 421 ; PARDESSUS, n° 887-889.

Intelligitur etiam qualis sit præsens contractus. 1°. Est *realis*, quatenus non perficitur nisi per traditionem pecuniæ aut rei mutuatæ. 2°. Est *unilateralis*, quia, ut modo dictum est, mutuans nullam præcise contrahit obligationem, sed solus mutuatarius se obligat ad reddendam summam sub certa quadam conditione. 3°. Est contractus *onerosus*, seu sub titulo oneroso, cum mutuans non intendat beneficium præstare mutuatario, sed lucrum ipse percipere in compensationem periculi cui se exponit. 4°. Est *aleatorius*, ut per se facile intelligitur. 5°. Demum est *non solemnis :* fieri enim potest scriptura privata; art. 311. Attamen mutuans, ne excidat e suo privilegio, curare tenetur ut contractus intra decem dies inscribatur (*soit enregistré*) in tribunali commercii ; art. 312 : si id negligat, non ideo invalidus erit contractus, sed nullum privilegium conferet erga creditores inscriptioni anteriores.

Vid. POTHIER, nis 3, 5, 27 et seq.; ÉMÉRIGON et BOULAY-PATY, c. II, t. II, p. 425 et seq.

1013. Jam vero licitum esse hujusmodi contractum vulgo agnoscunt theologi. Lucrum enim, quando percipitur a mutuante, non percipitur vi mutui, sed ratione periculi cui se exposuit. Porro si exigi possit pretium pro tali periculo in contractu assecurationis, nulla apparet ratio cur exigi non posset in præsenti casu. Sola difficultas educi posset tum ex opinione theologorum qui existimant periculum sortis non esse titulum legitimum percipiendi lucrum in mutuo ordinario, tum ex celebri declaratione Gregorii IX, CAP. *Naviganti*, quæ videtur usurarium reputare præcise nauticum fœnus de quo hic agimus. Verum ea difficultas opportunius expendetur ubi agemus *de Titulo periculi*. Hic sufficiat observare rigidiores etiam theologos qui titulum periculi in mutuo non admittunt, nobiscum sentire in præsenti materia; remque pro ita explorata habere, ut qui non putant conciliari posse suam sententiam cum decisione Gregorii IX, malint dicere hanc non esse in praxi receptam. Solummodo advertit POTHIER, nº 2, si præter lucrum proportionatum periculo quod in se suscipit mutuans, aliquid exigat præcise ratione pecuniæ mutuatæ, jam ex ea parte idem statuendum esse ac de lucro percepto vi mutui.

Plura ex iis quæ diximus circa assecurationem hic aptari possunt. Adeantur jurisperiti mox citati. Nobis hæc sufficiant de contractu qui in praxi raro occurrit.

ART. 6. *De transactione.*

1014. Transactio, juxta codicem Civilem, art. 2044, est conventio qua duo vel plures mutuo consensu dirimunt litem inter se exortam, aut præcavent litem exorituram. Sed observat DURANTON, t. XVIII, nº 391, quem sequitur BOILEUX, ad art. 2044, et satis merito, ut videtur, quam-

vis quidam aliter sentiant, adæquatam non esse hanc definitionem, quia lites dirimi aut præcaveri possunt aliis viis ac per transactionem. Hæc potiori jure definiretur, ad normam juris Romani, l. 38, COD., II, IV, *de Transactionibus : Conventio qua res dubia, dato aliquo vel retento vel promisso, decidítur.* Ex quibus verbis intelligitur 1°. transigi tantum de re dubia ; 2°. transactionem fieri dato aliquo, vel retento, vel promisso, ideoque esse speciem alienationis; 3°. transactione lites decidi ab ipsis partibus. Vid. TROPLONG, *Transactions*, n^is^ 4, et 21.

Ex ea notione deducunt jurisperiti transactionem esse contractum *commutativum*, quia quilibet e contrahentibus propriam requiem acquirit quibusdam renuntiando aut se submittendo in gratiam alterius. Ita PIGEAU, t. II, p. 479. Sed observant alii, inter quos DELVINCOURT, t. III, p. 136, esse simul *aleatorium*, quia semper adest aliqua alea circa litis exitum. Et hæc est ratio cur de eo in præsenti loco agamus. Præscribit art. 2044 ut contractus ille scripto redigatur. Cum enim, inquiunt jurisperiti, ideo fiat, ut dirimantur aut præcaveantur lites, ita iniri debet ut non novam januam liti aperiat, quemadmodum accideret si uno negante transactionem alter per testes probare vellet. Simul tamen docent scripturam non requiri solemnitatis causa, sed tantum probationis, seu transactionem esse contractum *non solemnem*. Unde si utraque pars agnosceret transactionem, hæc haberi deberet ut obligatoria : sed si non agnoscatur, requiretur probatio scripta, nec sufficiet probatio per testes, de quacumque summa agatur. Vid. TROPLONG, n° 27-36. Imo est contractus *consensualis*, quia traditionem rei non requirit ut sit perfectus. TROPLONG, n° 15.

1015. Ad quatuor reduci possunt quæ de transactione investiganda habemus. De iis pauca sufficiant.

I. *Quinam transigere possint.* Cum transactio sit quæ-

dam species alienationis, ii soli possunt transigere qui possunt disponere de objectis de quibus transigitur; art. 2055. Recurrendum est igitur ad ea quæ jam diximus de capacitate disponendi. Sic

1°. *Minores* et *interdicti* sub tutela nequeunt transigere: ipse vero eorum tutor nequit pro iis transigere nisi cum auctoritate judicis, art. 467 et 2045; ut autem tutor cum ipso minore transigere possit, quando major effectus est, requiritur ut rationem tutelæ reddiderit, art. 472 et 2045. Minor emancipatus potest transigere de suis reditibus, non vero de iis quæ excedunt limites administrationis; art. 481, 482. Vid. quæ diximus in I part., n^is^ 184, 185.

2°. *Uxores* non possunt transigere sine consensu speciali mariti, vel auctoritate judicis. Attamen uxor bonis separata potest transigere circa sua mobilia, et administrationem immobilium; nupta sub regimine dotali, circa sua bona paraphernalia; commercium exercens, circa ea quæ spectant ad suum commercium. Vid. dicta n° 199.

3°. Municipia (*les communes*) et instituta utilitatis publicæ non possunt transigere sine expressa auctoritate Regis; art. 2045. Forma adhibenda ad hanc auctoritatem obtinendam determinata fuit per edictum 21 frim. an XII (13 dec. 1803). Vid. DURANTON, n° 411.

4°. *Mandatarius* generalis non potest transigere, quia ex art. 1988 ad exercendos actus quoslibet proprietatis requiritur mandatum speciale seu expressum. Vid. n° 830.

1016. II. *De quibusnam objectis transigi possit.* Ut aliqua res sit objectum transactionis, has conditiones assignant jurisperiti.

1°. Requiritur *res dubia*, seu quæ sit materia litis exortæ aut exorituræ, saltem in existimatione contrahentium : alioquin non occurrit scopus qui in transactione intenditur. Si igitur nulli liti locus esset, sed actus venditionis aut donationis occultaretur sub forma transactionis ad

majorem firmitatem ei conferendam, non esset vera transactio : ait tamen DURANTON, n° 397, non ideo irritum fore actum, sed hic applicandum esse quod diximus (n° 169 et seq.) de donatione occultata sub forma venditionis. Sed cum hæc simulatio fiat præsertim ad fraudandam legem tributariam, quia pro transactione non exigitur nisi tributum fixum 3 fr., jurisprudentia his fraudibus obviam it : TROPLONG, n° 22. Pariter si fiat transactio de lite jam decisa per judicium irrevocabile, quod utraque pars vel alterutra ignorabat, irrita est, quia jam nulla aderat litigatio : aliud autem dicendum, si adhuc locus esse poterat appellationi. Ita art. 2056. Quamvis ille articulus loquatur de casu quo alterutra pars judicium ignorabat, observat DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 248, 249, distinctione opus esse : si judicium notum fuerit ei qui causa cecidit, hic dolo usus est, ac proinde irrita est transactio; si vero ei qui lucratus est, præsumi potest eum transegisse ad satisfaciendum suæ conscientiæ, vel animo donandi, et aliunde volenti non fit injuria. Ita etiam DURANTON, n° 430 : qui advertit, n° 432, validam fore transactionem, si partes exspectarent judicium in gratiam alterutrius ferendum, ignorantes jam latum esse; cum enim tunc pactio facta fuisset de re quoad contrahentes dubia, adesset materia transactionis, ut diximus in pari casu de assecuratione (n° 958). Similiter demum si transactio unicum habeat objectum, de quo unum e transigentibus nullum jus habuisse comperiatur ex titulis exinde inventis, irrita est transactio; art. 2057 : tunc non vere aderat res dubia. Sed si partes transegerint de omnibus negotiis quæ inter se habere poterant, tituli ignoti et postea inventi non sunt causa rescissionis, nisi per factum unius e contrahentibus fuerint occulti; *ibid.* Tunc enim voluerunt transigentes quamlibet litem præcidere. Sed satis patet dolum nemini debere patrocinari.

2°. Requiritur *res* quæ sit *in commercio*, ut facile in-

telligitur. Hinc transigi nequit de quæstionibus quas vocant jurisperiti *questions d'État* : DURANTON, n° 399. Quod tamen non sumendum absolute : nam fieri possunt transactiones favorabiles statui personæ, item circa commoda civilia statui annexa. Vid. TROPLONG, n° 63 et seq.

3°. Requiritur ut *res subjiciatur liberæ dispositioni transigentis*. Hinc quando alicui legatur pensio alimentaria, non pauci putant eum non posse de ea transigere, quemadmodum non potest compromittere ex art. 1004 cod. Judic. : deducunt per analogiam ex art. 581 *ibid.*, quo hæc declaratur *insaisissable;* PIGEAU, p. 483; DELVINCOURT, *Notes*, p. 247; DURANTON, n° 403. Contradicit tamen TROPLONG, n° 93-98, pro multis casibus. Solutio pendere potest a titulo pensionis, et statu legatarii.

4°. Demum requiritur ut *res non spectet ad ordinem publicum*. Non possunt enim conventiones privatæ derogare ordini publico. Sic duo conjuges non possunt transigere de validitate dubia sui matrimonii. Sic per transactionem removeri nequit actio ministerii publici contra delictum : sed potest fieri transactio de consectariis civilibus delicti (*sur l'intérêt civil qui résulte du délit*). Ita art. 2046.

1017. III. *De vi et effectibus transactionis*. Hæc observari possunt.

1°. Transactio inter partes vim habet rei judicatæ, et quidem ultimate (*en dernier ressort*); art. 2052.

2°. Possunt transigentes, ut majorem vim transactioni concilient, adjicere clausulam pœnalem; art. 2047. Illud in eo sensu intelligit PIGEAU, p. 484, quod possit simul exigi et exsecutio rei in transactione promissæ, et solutio pœnæ : aitque in favorem transactionum ita statutum fuisse, contra id quod statuitur art. 1229 de conventionibus ordinariis. De eo puncto jam egimus (n° 368).

3°. Transactio non extenditur ultra objectum suum, id est, ultra litem quæ huic locum dedit, sive aliunde exprimatur verbis generalibus, sive specialibus; art. 2048,

2049. Hinc si quis transegerit de jure quod ex se seu tanquam sibi proprium habebat, et deinde jus simile acquirat ex parte alterius personæ, non ligatur quoad istud per transactionem initam; art. 2050.

4°. Transactio de negotio pluribus communi non ligat nisi eum a quo inita est, neutiquam vero alios, qui eam pariter opponere nequeunt; art. 2051.

1018. IV. *Quibus modis solvatur transactio.* In codice Civili excluduntur primum quidam modi in aliis conventionibus recepti; deinde quædam statuuntur de modis qui in transactione vigent.

1°. Transactio nequit impugnari ob *errorem juris;* art. 2052. Jam de eo diximus n° 55. Vid. Toullier, t. vi, n° 71.

2°. Nec etiam propter *læsionem;* art. 2052. Cum enim, ut diximus, transactio aliquid aleatorium includat, semper dici potest adesse aliquam læsionem, quæ tamen compensatur per requiem quæ inde obtinetur. Et revera alioquin, ut observat Pigeau, p. 487, 488, vix unquam staret transactio. Olim aderat ea de re controversia, quam satis fuse exponit Collet, cap. xvii, n° 40 et seq., p. 840.

3°. Potest transactio impugnari in casu *doli*, aut *violentiæ;* art. 2053. Applicantur hic principia generalia.

4°. Potest etiam impugnari quando adfuit *error facti*, qui quidem multiplici modo occurrere potest. 1. Transactio rescindi potest quando adfuit error *circa personam*, vel circa *objectum litis;* art. 2053. Ratio prioris partis est, quia transactio ordinarie fit intuitu personæ. Ratio autem posterioris est, quia tunc adest error substantialis. 2. Rescindi potest etiam transactio, si facta fuerit in *exsecutionem tituli irriti*, nisi de ipsa nullitate expresse pactum fuerit; art. 2054. Ut ille articulus concilietur cum art. 2052, supponendum est ignorantiam nullitatis ortam esse ex errore facti. Ita Toullier, t. vi, n° 72; Duranton,

t. XVIII, n° 428; TROPLONG, n^is 147, 148. — 3. Transactio facta super instrumentis quæ postea falsa agnita sunt (*sur pièces qui depuis ont été reconnues fausses*), declaratur prorsus irrita; art. 2055. Ex jure Romano, nullitas non pronuntiabatur nisi quoad partes transactionis quæ specialiter pendebant ex illis instrumentis : sed observant jurisperiti varias partes esse inter se connexas, ideoque satius esse ut ex omni parte pronuntietur nullitas. 4. Si error admissus fuerit in numerando (*erreur de calcul*), debet reparari; art. 2058. Sed non ideo corruit transactio.

CAPUT X.

DE COMMODATO ET MUTUO.

1019. Hi duo contractus, qui lingua Gallica designantur communi nomine, *le Prêt*, inter se conveniunt, si spectentur in sua natura; discrepant vero ex parte sui objecti. Quando aliquis rem suam alteri tradit ut ea utatur, sed cum onere reddendi, gallice dicitur *prêter*, quæcumque ea sit res : cum autem res illa dari possit vel eo fine ut qui accepit ea utatur quin eam destruat, vel ut primo usu consumatur, hinc duplex distinguitur contractus. Prior dicitur *Commodatum*, gallice *Prêt à usage*, vel *Commodat*; posterior *Mutuum*, gallice *Prêt de consommation*, vel simpliciter *Prêt* : art. 1874 cod. Civ.

Uterque est contractus *realis*[1], seu non perficitur nisi

[1] Juxta quosdam jurisperitos, hodie apud nos admitti non debent contractus reales, cum vinculum juris solo consensu formetur (vid. n° 266 et seq.). Ita speciatim quoad contractum præsentem DUVERGIER, *Continuat. de Toullier*, t. VI, n^is 25-27 et 144. Attamen ipse agnoscit, et inconcussum est, hunc non perfici *in sua specie* nisi per traditionem rei. Unde vix potest esse nisi quæstio de nomine; vid. quæ diximus (n° 11) : sed omnino accuratum est, nec ad doctrinæ luciditatem inutile, distinguere commodatum aut mutuum a mera horum promissione. Vid. TROPLONG, *du Prêt*, n° 6. Imo si hæc non distinguantur,

per traditionem rei : obligatio enim præcipua, scilicet rem reddendi, necessario supponit eam fuisse traditam ; antea potest adesse promissio commodati seu mutui, et valida quidem, sed non proprie commodatum aut mutuum. Cæterum diversitas ex parte rei seu objecti multa et gravia inducit discrimina, ut ex dicendis patebit : unde seorsim de utroque contractu agemus.

Art. 1. *De commodato.*

1020. Per commodatum intelligitur *Contractus quo res aliqua non fungibilis* seu *primo usu non consumptibilis alicui gratis ad solum usum conceditur post certum tempus reddenda ;* art. 1875.

Dicitur 1°. quo res aliqua *Non fungibilis* seu *primo usu non consumptibilis* (vid. *de Justit.*, n° 41) : quia cum res sit post certum tempus reddenda, evidens est requiri ut per primum usum non destruatur. Si tamen res ex natura sua fungibilis concederetur tantum ad pompam vel ostentationem, adesset commodatum, quia tunc non concederetur quatenus fungibilis. Cæterum, posita hac restrictione, res omnes quæ sunt in commercio possunt esse objectum commodati ; art. 1878. Sæpius commodantur res mobiles : sed nil vetat quin commodentur etiam immobiles, v. g., domus, cellarium, etc. 2°. *Gratis*, quia commodatum est essentialiter gratuitum ; art. 1876. Si aliquid pro usu rei exigatur, erit locatio, posito quod exigatur pecunia aut alia res quæ haberi possit ut pretium quale requirit locatio, juxta supra dicta (n° 771) ; contractus vero innominatus, si exigatur res alterius naturæ. 3°. *Ad usum* conceditur : hic est finis commodati, et hinc a pluribus aliis contractibus distinguitur, v. g., a depo-

deduci poterimus ad quasdam decisiones non satis accuratas, ut intelligetur ex dicendis ubi de *Mutuo* (n° 1029).

sito, vel aliis conventionibus quibus res in alium finem concederetur. 4°. Ad *Solum* usum, quia commodans rei suæ dominium retinet; art. 1877: seu, ut accuratius loquamur, servat omnia jura quæ habebat; quia fieri potest ut commodans non sit rei dominus, sed, v. g., simplex usufructuarius, sicque concipi potest commodatum fieri in gratiam ipsius domini. Imo dicitur in jure, l. 8, ff., XIII, VI, *Commodati:* « Rei commodatæ et possessionem et pro-« prietatem retinemus; » quia nempe commodatarius est merus rei detentor nomine commodantis, nec proinde est stricto sensu possessor. Hinc commodatum confundi non debet cum *jure ad usum*, de quo agit codex Civilis art. 625 et seq., et de quo egimus in Tr. *de Justitia* (n° 638 et seq.): jus enim istud est vere jus in re, seu quædam veluti pars dominii; nil tale autem occurrit in commodato: DURANTON, t. XVII, n° 492. — 5°. *Post certum tempus*, quia non potest commodans rem suam statim retrahere: sicque commodatum differt a precario, ut infra dicemus (n° 1025). 6°. *Reddenda*, quia cum commodans omnia sua jura in rem servet, satis patet hanc esse ei reddendam: et quidem in individuo, id est, omnino eamdem quam tradidit, et non aliam similem aut æquivalentem. Insuper talis reddenda est, id est, in eo statu ut commodans qui beneficium præstitit, ex eo damnum non patiatur, prout mox exponemus.

1021. Ex his intelligi potest qualis contractus sit commodatum. Est contractus 1°. *realis*, ut jam dictum est; 2°. *gratuitus;* 3°. *non solemnis*, utpote nulli formæ speciali subjectus, sed tantum regulis generalibus contractuum: si scripto consignandus sit quando res commodata superat valorem 150 francorum, ex art. 1341 [1], id perti-

[1] Olim docebant plures jurisperiti posse in casu commodati admitti probationem per testes etiamsi valor superaret 150 fr.; sed alii judicant non adesse rationem sufficientem recedendi a regula generali.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

net ad probationem tantum, non ad substantiam; 4°. juxta multos, *unilateralis*, seu juxta alios, *synallagmaticus imperfectus*, quia obligationem directe non producit nisi ex parte commodatarii, obligatio autem commodantis non est nisi incidens, vel secundaria; quod tamen difficultate non caret: vid. dicta n° 8, et TROPLONG, n^is 7 et 257.

His præmissis, loquemur de obligationibus 1°. commodatarii; 2°. commodantis.

§. 1. *De obligationibus commodatarii.*

1022. Duæ sunt præcipuæ commodatarii obligationes: altera respicit custodiam rei commodatæ, altera ejus restitutionem.

I. *Quoad custodiam rei*, tenetur commodatarius invigilare tanquam diligens paterfamilias conservationi rei; ideoque eam non adhibere nisi ad usum ad quem vel ex natura sua, vel ex conventione destinatur; alioquin tenetur ad compensationem damni, si quoddam exortum sit; art. 1880. Hic applicanda sunt quæ diximus de *Præstatione culparum*, speciatim n° 280.

Attamen commodatarius non tenetur 1°. de deterioratione quam sine ipsius culpa patitur res commodata ex usu propter quem commodata fuit; art. 1884. Commodans merito censetur huic deteriorationi consensisse. Sed requiritur ut culpæ commodatarii tribui non possit.

2°. Non tenetur etiam, regulariter loquendo, de casibus fortuitis. Juxta PUFFENDORF, l. v, c. iv, §. vi, quem sequitur BARBEYRAC, *ibid.*, si res pereat casu fortuito apud commodatarium, non peritura apud commodantem, commodatarius eam præstare tenetur, quia beneficium nemini

Vid. DUVERGIER, n^is 51, 52; et præsertim TROPLONG, n° 58 et seq., ubi distinguit inter immobilia commodata, et mobilia: in prioribus valet probatio per testes; in posterioribus, ratio habenda est articuli 2279, de quo alibi.

debet esse damnosum; et præsumendum est commodato tacite appositam fuisse hanc conditionem. Verum aliter statuebatur in jure Romano, cujus decisionem approbat et vindicat POTHIER, *Contr. de bienfais., Prêt à usage*, n° 55; quia rationes allatæ non sufficiunt ut recedamus a principio generali, ex quo *Res naturaliter*, quando nullius intervenit culpa, *perit domino*. Idem statuit, aut saltem supponit codex Civilis, qui non obligat commodatarium ad præstandos casus fortuitos, nisi in circumstantiis mox afferendis: et merito quidem, juxta recentiores jurisperitos; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 406; DURANTON, t. XVII, n° 519; DUVERGIER, n° 60.

Dixi tamen *Regulariter loquendo*, quia commodatarius tenetur de casibus fortuitis in quinque circumstantiis.

1. Si rem adhibuerit ad alios usus, vel per tempus longius quam fuerat conventum; art. 1881. Sed ut ille articulus applicetur, requiritur ut culpæ commodatarii tribui possit interitus rei, quatenus nempe res exponenda non fuisset casui fortuito, si commodatarius conventioni stetisset. Illud æquitati consentaneum est; et aliunde art. 1302 est omnino generalis, et applicatur quotiescumque agitur de corpore certo. Ita DELVINCOURT, p. 406; ROGRON, et BOILEUX, ad art. 1881; DUVERGIER, n° 62-64; TROPLONG, n° 101. Docet etiam POTHIER, n° 21, commodatarium, etiamsi rem adhibeat ultra tempus præfixum, non censeri in culpa, si ex circumstantiis potuerit præsumere consensum commodantis. Quamvis autem doceat DURANTON, n° 518, eam decisionem non fore admittendam sub codice Civili, quia art. 1881 est omnino absolutus, facile eam admitteremus: sed cavendum ne temere præsumatur consensus. Vid. DUVERGIER, *ibid.*, p. 81 et seq.; TROPLONG, n° 98. — 2. Si casum fortuitum præcesserit aliqua culpa commodatarii, v. g., si viam periculosam secutus fuerit, relicta tutiori, etc. Facile intelligitur ex dictis.

POTHIER, n° 57; DURANTON, n° 528. — 3. Si commodatarius potuerit vitare interitum rei commodatæ suam adhibendo, vel si in clade communi suam prætulerit; art. 1881. In priori casu, quando nempe commodatarius rem alienam adhibet ut propriæ parcat, satis clara videtur decisio, desumpta verisimiliter ex POTHIER, n° 59 : sed non applicanda videtur nisi quando commodatarius prævidit periculum rei; si enim non præviderit, et rem alienam non adhibuerit nisi quia prior sibi occurrit, vel quia re sua et aliena alternis vicibus uti consueverat, etc., non videtur teneri de interitu. Ita DUVERGIER, n° 65. At quoad posteriorem major adest difficultas; de qua diximus antea (n° 442) : non esse applicandum articulum quando res propria erat multo pretiosior quam res commodata, pluribus evolvit DUVERGIER, n^is 67, 68; cui tamen contradicit TROPLONG, n° 117, existimans hanc restrictionem nec cum textu articuli, nec cum conventione inita inter commodantem et commodatarium conciliari posse. 4. Si res antequam traderetur fuerit æstimata, casus fortuitus recidit in commodatarium, nisi aliter conventum fuerit; art. 1883. De hoc olim inter auctores aderat controversia : multi propugnabant non sufficere æstimationem ad rejiciendum periculum casus fortuiti in commodatarium; et hos sequebatur POTHIER, n° 62 : nihil in jure Romano vel in ratione occurrit, juxta TROPLONG, n^is 120, 121, quod ostendat æstimationi simplici tribuendum esse hunc effectum. Sed aliorum opinionem admisit codex Civilis : et forsan non prorsus immerito, quia in dubio potius favendum est commodanti. Sed quidquid sit, posita legis dispositione nullum est dubium : quia juxta eam censetur contractus initus, nisi contrarium conventum fuerit, prout permittit ipsa lex. Vid. DELVINCOURT, p. 406, 407. Sed sedulo advertendum est non ideo æstimationem æquivalere venditioni; unde commodatarius non posset

rem retinere pretium offerendo, nec commodans exigere pretium rem relinquendo : DURANTON, n° 533 ; DUVERGIER, n° 72.— 5. Si commodatarius in se susceperit casus fortuitos, satis patet conventioni standum esse. Illa autem conventio potest esse vel expressa, vel tacita seu ex circumstantiis deducta.

1023. II. *Quoad restitutionem rei*, 1°. tenetur commodatarius eam restituere *tempore præfixo;* vel, si tempus præfixum non fuerit, postquam inserviit ad usum propter quem commodata fuit; art. 1888. Neque exspectare potest donec dominus repetat : elapso termino constituitur in mora, quia *Dies pro homine interpellat.* DURANTON, n° 530; DUVERGIER, n° 82. Imo aliquando compelli potest ad rem reddendam ante elapsum terminum, ut modo dicemus (n° 1024.)

Adeo stricta est hæc restituendi obligatio, ut 1. non possit commodatarius rem retinere in compensationem ejus quod sibi a commodante debetur; art. 1885. Jam vidimus (n° 428) quo sensu intelligi possit ille articulus. Juxta TROPLONG, n° 132, respicit casum rei fungibilis commodatæ ad ostentationem seu pompam. 2. Si plures rem eamdem conjunctim in commodatum acceperint, de ejus restitutione tenentur in solidum erga commodantem; art. 1887. Præsumitur ita intendisse commodans. Sed si unus e commodatariis moriatur et plures relinquat hæredes, isti non tenentur in solidum; sed quilibet tenetur tantum pro sua parte, nisi res ipsi obtigerit, vel culpa ipsius perierit. Vid. DELVINCOURT, p. 409; POTHIER, n^is 65, 66.

2°. Debet rem restituere *in bono statu.* Si igitur culpa ipsius deterior facta fuerit, tenetur commodantem indemnem servare. Imo si talis sit deterioratio ut jam dominus commode nequeat re uti, poterit a commodatario exigere pretium integrum rei, eam ipsi relinquendo : secus, si deterioratio sit levis, nec impediat usum rei. Ita POTHIER,

n° 70; DELVINCOURT, p. 407; DUVERGIER, n° 80 : deducitur per analogiam ex art. 1636.

§. 2. *De obligationibus commodantis.*

1024. — 1°. Tenetur commodans *aperire vitia* rei commodatæ quorum notitiam habet, si sint periculosa; alioquin damnum inde secutum reparare tenebitur; art. 1891. Requiritur ut vitia cognoverit; et in hoc differt a venditore et locatore : quia nempe beneficium præstat. Sed si vitia forent apparentia et notoria, ad nihil tenebitur, juxta art. 1642. Vid. DELVINCOURT, p. 410; DUVERGIER, n^is 111, 112.

2°. Tenetur rem *non repetere ante tempus* conventum, vel, deficiente conventione, antequam commodatarius re usus fuerit; art. 1888. Vi enim pacti commodatarius acquisivit jus re utendi usque ad tempus præfinitum : et licet jus illud habeat ex beneficentia commodantis, *Non oportet nos beneficio decipi sed juvari*, ut dicitur in jure.

Ex eadem ratione, quamvis commodans non se obliget quemadmodum locator ad procurandum rei usum, seu, ut loquuntur auctores, non teneatur *præstare uti licere*, sese tamen obligat, inquit POTHIER, n° 76, *per se hæredemque non fieri quominus commodatario uti liceat.*

Si ergo huic obligationi desit commodans, tenebitur compensare damnum quod exinde patietur commodatarius.

Duplex tamen affertur exceptio. 1. Si ipsi commodanti superveniat necessitas urgens et inopinata rei suæ, potest judex, attentis circumstantiis, commodatarium ad restitutionem rei cogere; art. 1889. Hanc decisionem, quam propugnabant PUFFENDORF, l. v, c. iv, §. vi, et POTHIER, n° 25, eo nixi principio quod non censeatur commodans voluisse renuntiare suo juri pro tali circumstantia; hanc, inquam, decisionem contrariam esse communi sententiæ doctorum, et veris principiis juris judicat DURANTON,

n° 545, quia pactis libere initis standum est, et forsan commodatarius ipse damnum patietur ex improvisa rei restitutione. Expressæ legis dispositioni profecto obsequendum est : sed ipsa verba ostendunt multum relinqui æquitati judicis; DUVERGIER, n° 106. — 2. Quamvis jura et obligationes ex commodato orta transeant ad hæredes commodantis et commodatarii, si tamen res fuerit commodata intuitu personæ commodatarii, et iste moriatur ante tempus præfixum, non possunt hæredes uti re commodata ; art. 1879. Juxta DELVINCOURT, p. 408, res censetur commodata intuitu personæ, nisi contrarium ex circumstantiis appareat : contra, juxta DUVERGIER, n° 49, et TROPLONG, n° 45, intentio restringendi commodatum ad personam commodatarii non præsumitur nisi deducatur ex terminis conventionis, vel ex adjunctis; transmissibilitas constituit jus commune, personalitas est exceptio. Hinc colligi potest semper investigandum esse quænam fuerit commodantis intentio.

3°. Tenetur commodans *compensare impensas* extraordinarias et necessarias, quas fecit commodatarius ad rei conservationem, maxime si ita urgerent ut fieri debuerint absque prævia monitione ; art. 1890. Commodatarius debet quidem, ex art. 1886, ferre impensas quas fecit ut re commodata uteretur; item expensas modicas et ordinarias quas requirit conservatio rei, cum hæ vergant præcise in ipsius utilitatem : sed aliud dicendum de expensis extraordinariis, quæ recidere debent in dominum. Vid. DUVERGIER, n^is^ 77, 78, 114. Difficultas est solummodo, utrum commodatarius possit rem retinere, quasi jure pignoris, donec istæ impensæ a domino persolutæ fuerint? Illud negat DURANTON, t. XII, n° 450, et t. XVII, n° 538, quia lex quæ jus illud concedit depositario, art. 1948, nil tale habet quoad commodatarium; nec ab uno ad alterum adest analogia. Sed illud permittunt POTHIER, n° 43;

DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 410; DUVERGIER, n° 92; TROPLONG, n^is 128, 161: ex art. 2102, 3°., qui rem conservavit habet privilegium; ergo cogi non debet ad rem reddendam, siquidem eam reddendo privilegium suum amitteret, juxta art. 2076.

APPENDIX. *De precario.*

1025. Vox illa, *Precarium*, multiplici sensu in jure accipitur. Sub respectu quo hic sumitur, definiri potest: *Concessio gratuita solius usus rei, ad nutum revocabilis.* Hinc patet precarium differre a commodato præsertim in eo quod possit quovis tempore repeti a concedente, dum commodatum repeti nequit ante tempus præfixum, ut diximus (n° 1024). Advertunt tamen jurisperiti ipsum precarium incontinenti sine causa repeti non posse; alioquin esset inane et illusorium, non beneficium. Imo si ille qui rem in precarium accepit et eam jam in aliquem usum adhibuit, non possit eam, quando repetitur, reddere sine gravissimo damno, qui eam dedit tenebitur exspectare, inquit POTHIER, n° 89, salvo recursu, pro compensatione damni quod ex mora patietur, adversus eum qui hanc retinuit. Vid. etiam DUVERGIER, n° 129; TROPLONG, n^is 155, 156.

Sub jure Romano aliæ erant rationes discriminis inter precarium et commodatum: sed multæ ex illis non fuerunt in jure nostro receptæ. Vid. POTHIER, n° 87 et seq.; TROPLONG, n° 28. Quædam tamen adhuc vigent, aut saltem a pluribus admittuntur. Sic 1°. precarium *solvitur obitu ejus cui concessum est, non* vero *morte concedentis*, ut dicitur in jure Canonico, CAP. *Precarium*, III, *de Precariis*, III, XIV, et admittunt jurisperiti; TROPLONG, n^is 46, 47. Sic 2°. juxta DUVERGIER, n° 122, apud nos promissio precarii non foret valida et obligatoria, quemadmodum vidimus (n° 1019) validam esse promissionem commodati:

qui enim potest pro nutu precarium jam initum revocare, a fortiori potest nondum initum non perficere. Verum putamus illud non esse nimis stricte sumendum : et ipse Duvergier agnoscit promittentem non posse eo modo a promissione sua implenda se liberare, nisi manifestum sit eam pro objecto non habuisse nisi merum precarium.

Art. 2. *De mutuo.*

1026. Ex iis quæ dicta sunt initio et in decursu capitis facile colligi potest quænam sit mutui natura. Attamen cum, ex omnium confesso, *usura in contractu mutui propriam suam sedem et locum habeat,* prout loquitur Benedictus xiv, natura mutui diligentius est investiganda : ea enim patefacta, ipsius usuræ quæ ex mutui depravatione oritur natura et iniquitas facilius intelligetur, ut observat card. Gerdil, t. xviii, p. 20. Imo satis communiter auctores sub eodem titulo agunt *de Mutuo et Usura :* opportunius tamen nobis videtur de usura separatim disserere in speciali capite, postquam ea exposuerimus quæ spectant, non solum ad mutuum, sed ad quosdam alios contractus huic affines, quorum notitia necessaria est ut bene intelligantur quæ de usura dicenda sunt, nempe contractum censualem et cambium.

Mutui naturam sic exponit card. Gerdil, *ibid.* Mutuum, si vim spectes nominis, retributionem quamdam et reciprocationem significat, qua dato par redditur. In præsenti contractu originem vocis ex eo duxerunt veteres jurisperiti, quod *Ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat; Instit.*, iii, xv : sed, juxta multos, concinne fortasse magis quam vere. Alii ducunt ex mutatione, quæ in mutuo semper contingit, dum non eadem res quæ accepta est redditur, utpote quæ usu consumitur, sed similis ejus vice restituitur. Utraque interpretatio conciliari potest : scilicet quia res ita a me tibi datur ut tua fiat,

eamque distrahere valeas, ideo non eamdem sed aliam reddere debes commutatione facta.

Si a nomine ad ipsum contractum transeamus, hujus natura petenda est ex subjecta materia, et ex modo quo hæc materia mutuo subjecta est, sive, ut scholastice loquamur, ex objecto materiali et formali.

Quæ sit mutui materia explicat JUSTINIANUS, *Instit., loc. cit.* : « Mutui datio in iis rebus consistit quæ pondere, « numero, mensura constant : veluti vino, oleo, fru- « mento, pecunia numerata, ære, argento, auro, quas « res aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in « hoc damus ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non « eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ et qualitatis red- « duntur; inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a « me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. » Diligenter porro est animadvertendum eas res quæ pondere, numero et mensura constant duas præcipue insignes notas habere, quibus ab aliis differunt. Prima est, quod proprio usu et suo consumantur, consumptione vel naturali, vel civili, ut alibi expositum est (*de Justitia*, n° 41) : ideoque vocantur *Primo usu consumptibiles*. Altera nota ex prima oritur, et in eo sita est, quod res ejusmodi ex naturali sui conditione usum habeant similem et promiscuum, ut proinde una intra idem genus vice alterius fungi possit, et pro ea sine detrimento substitui valeat : unde res illæ numerando, metiendo, appendendo dantur, ut non eædem corpore, sed aliæ similes, eodem numero, eadem mensura, eodem pondere reddantur. Hinc vocantur etiam *Fungibiles*. Hunc autem usum promiscuum non facile habent res aliæ quæ usu non consumuntur. Ergo ex ipsa rerum natura repetendæ sunt differentiæ quibus mutuum a cæteris contractibus secernitur.

Objectum porro formale, seu ratio qua mutuum versatur circa sibi subjectam materiam, consistit in modo quo

per mutuum res fungibiles alteri dantur cum obligatione restituendi. Qui modus est etiam e rerum natura eruendus. Itaque 1°. res fungibiles multiplici modo tradi possunt cum obligatione restituendi : vel ad custodiam, idque fit in deposito; vel ad securitatem, idque locum habet in pignore; vel ad usum improprium, velut ad pompam et ostentationem, sicque etiam commodari possunt; vel denique ad usum proprium, isque modus est peculiaris mutui. 2°. Res fungibiles non possunt dari ad usum proprium, quin dentur ad abusum; quo nomine significant jurisconsulti, non perversum usum, sed distractionem et consumptionem qua fit ut res usu pereat. 3°. Quando res fungibiles dantur ad abusum, eo ipso transeunt in dominium accipientis; nam jus abutendi est jus quomodocumque de re disponendi, eamque consumendi et destruendi; quod jus non potest sine dominio consistere. 4°. Hinc deducitur quantum mutuum differat a commodato, in quo res ad utendum traditur, non ad abutendum, in dominio tradentis permanet, et in individuo (jurisperiti dicunt in specie, quo nomine idem intelligunt quod dialectici vocant individuum) reddi debet.

Mutuum itaque definiri potest : *Contractus quo res primo usu consumptibilis seu fungibilis alteri traditur in consumptionis usum, et in ipsius dominium transit cum obligatione rem similem in eadem quantitate et bonitate restituendi post aliquod temporis spatium.* Hæc definitio non differt quoad substantiam ab ea quam mox ex Justiniano adduximus, sicuti nec ab ea quam exhibet codex Civilis, art. 1892, 1893. Satis facile intelligitur ex prænotatis. Quædam tamen sunt quæ fusiori explicatione aut discussione indigent.

1027. I°. *De objecto mutui.* Diximus esse *rem primo usu consumptibilem, seu fungibilem,* et quidem traditam *in consumptionis usum.* In eo sensu intelligendus est art. 1892

codicis Civilis : quando enim loquitur de rebus quæ per usum consumuntur, subaudiendum est per *primum* usum; de iis enim quæ consumuntur per usum tantum successivum, dicit eas *deteriorari;* art. 1851, ex quo sic determinatur sensus articuli 1892, ut observat TROPLONG, *Prêt,* n° 173.

Sed ut bene perspectum sit quousque urgenda sint præfata definitionis verba, quædam advertenda sunt.

1°. Agnoscunt omnes ad mutuum non sufficere ut res sit primo usu consumptibilis, nisi detur præcise qua talis, seu in consumptionis usum, prout in definitione addidimus : si enim detur eo pacto ut eadem in individuo reddenda sit, ac proinde ad usum improprium tantum, jam non aderit mutuum, sed commodatum, aut alius contractus, ut jam diximus.

2°. Non ita omnino constat an vice versa absolute ad mutuum requiratur ut res sit ex natura sua primo usu consumptibilis. Docet MOLINA, tr. II, D. CCXCIX, n° 3, quando jura eo modo assignant materiam mutui, id intelligendum esse regulariter et ut plurimum, atque ad discernendum num contractus mutui sit, aut commodati, quando potest esse dubium : quando enim res datur ut statim fiat accipientis, et restituatur postea alia ejusdem rationis et bonitatis, sane mutuum est, esto quod datur non primo usu consumatur; ut si quis petat bovem aut arietem ab amico, restituturus ei postea alium similem. Idem pluribus evolvit SALMASIUS, *de Usuris*, c. V, p. 89 et seq. Profecto si bos, v. g., detur, ut ait Salmasius, *non ad usum, sed ad esum,* tunc ex intentione contrahentium fit primo usu consumptibilis, aut saltem datur qua talis, ac proinde est mutuum. Negant tamen alii, aitque HAUNOLDUS, tr. IX, n° 313, esse sententiam communissimam : talis contractus, inquiunt, non esset mutuum, nec haberet effectus civiles qui conceduntur mutuo, sed

esset contractus innominatus. Quidquid sit de jure Romano, sub quo tam stricte attendebatur ad apicem verborum ut cuique contractui congrueret sua specialis formula intentandæ actionis (vid. n° 14), apud nos agnoscunt jurisperiti in allata hypothesi admittendum fore mutuum, quia ea omnia occurrunt quibus constituitur talis contractus. Sic, inquiunt, si unus bibliopola ab altero petat decem talis libri exemplaria quæ occasione data nunc vendat, postea decem alia similia restituturus, erit vere mutuum. Hinc advertunt art. 1894 quo contrarium exprimi videtur, non esse sensu nimis absoluto sumendum. DURANTON, t. XVII, n° 552; DUVERGIER, *Prêt*, n° 143; TROPLONG, *Prêt*, n° 176-178.

3°. Docent omnes jurisperiti ad mutuum sufficere ut res tradatur in usum cujuscumque consumptionis, sive naturalis, sive simpliciter civilis, qua nempe res non destruitur quidem, sed tantum distrahitur, seu utenti perit, ut fit in pecunia numerata, in mercibus vendendis. Aliud docuerunt quidam auctores usuræ patroni, qui contendunt non esse verum mutuum quando res adhibetur in usum, ut vocant, incrementi, nempe ad quæstum faciendum. De isto systemate agetur ubi *de Usura :* advertere nunc sufficiat illud adversari omnium jurisperitorum doctrinæ, etiam eorum qui aliunde satis favent opinioni in cujus subsidium fuit excogitatum.

1028. II°. *Quomodo perficiatur contractus mutui.* Duo requiruntur, nempe consensus utriusque contrahentis, et rei traditio.

1°. Quoad *consensum*, quæstio movetur de applicatione principii ab initio expositi (n° 37), juxta quod consensus utriusque contrahentis ferri debet in eumdem contractum : quid nempe dicendum, si quis rem tradat animo donandi, et alter habeat animum mutuo accipiendi ? — Exstant de eo casu duæ decisiones juris Romani, quæ sibi invicem

adversari videntur : Ulpianus, l. 18, ff., xii, 1, *de Rebus creditis*, docet nec donationem esse, nec mutuum, ideoque *nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit*, Julianus vero, l. 36, ff., xli, 1, *de Adquir. rer. dominio*, censet *proprietatem* ad accipientem *transire, nec impedimento esse quod circa causam dandi et accipiendi* dissensus adfuerit. Ad conciliandas has decisiones, et explicandum quænam actio tradenti competat ad repetendos nummos, quænam vero exceptio recipienti, varias vias inierunt jurisperiti : videri potest Vinnius, *Quæst. select.*, lib. 1, c. xxxv, quem sequitur Pothier, *Prêt de consompt.*, n° 17. Verum juxta Duvergier, n° 140, Vinnii decisiones eductæ sunt e principiis juris Romani circa actiones, nec stare posse videntur cum simplicitate juris nostri : unde ipse docet, n° 141, vel nullum adesse contractum, vel esse mutuum, quia in voluntate donandi includitur a fortiori voluntas mutuandi. Idem docet Troplong, n° 195, quia adest consensus utriusque circa translationem dominii, et consensus implicitus circa translationem titulo mutui. Sed nonne dici posset pariter voluntatem accipiendi donationem includi a fortiori in voluntate accipiendi mutuum, ac proinde adesse donationem? Unde forsan magis consentaneum esset principiis dicere, quamdiu non concurrit utriusque consensus in idem placitum nullum adesse contractum; sed tunc demum contractum efformari quando detecto errore duo consensus in idem coeunt, v. g., si accipiens detegat alterum habuisse intentionem donandi nec eam retractasse, et jam eo titulo acceptet, vel si ille qui dedit detecto pariter errore jam velit alterum titulo mutui habere obligatum : cum enim ex antea dictis (n° 45) consensus semel datus perseveret donec revocatus fuerit, nil obstare videtur quin contractus in his casibus efformetur.

1029.—2°. Quoad *traditionem* rei, jam diximus (n° 1019)

non nisi per eam contractum perfici. Ita supponit art. 1892, et docent jurisperiti. Hinc licet ante traditionem existere queat promissio mutui, et quidem obligatoria, nondum adest mutuum. Unde si interim res pereat, perit mutuanti, non autem mutuatario. Id omnino apertum est si non agatur de re certa et determinata. Sed etsi sermo sit de re certa et determinata, idem dicendum est : res enim perit domino ; porro mutuans adhuc dominus est, quamdiu contractus non fuit per traditionem perfectus. Ita DURANTON, n° 556 ; TROPLONG, n° 184. Contradicit tamen DUVERGIER, n° 146, qui hic applicat art. 1138, ex quo obligatio rem tradendi est perfecta solo consensu, efficit creditorem proprietarium, remque ejus periculo constituit : hic articulus est omnino generalis, nec ulla apposita est exceptio quoad mutuum. Nobis videtur hanc exceptionem satis indicari per art. 1892, qui traditionem requirit ad mutuum. Cæterum duæ opiniones non ita in praxi differunt ac primo intuitu videri posset. Nam ex una parte observat TROPLONG, n° 185, fieri posse ut conventio quæ primo intuitu videtur mera promissio sit verum mutuum, si nempe res æquivalenter tradita fuerit, licet non de manu ad manum (vid. dicta n° 708). Ex altera parte agnoscit DUVERGIER, n° 147, posse contrahentes, si velint, rejicere ad tempus futurum suæ conventionis effectum, et interim suspendere transmissionem dominii. Dicendum ergo putamus rem non transire in dominium mutuatarii, ideoque non ipsi perire, nisi post perfectum contractum mutui ; contractum vero non perfici nisi res tradita fuerit saltem æquivalenter.

1030. III°. *De translatione dominii* in mutuo. Ex jure Romano, ut vidimus, in mutuo transfertur dominium : et quidem ita ut *si non fiat tuum* (id est, accipientis) *non nascatur obligatio*, ut dicitur l. 2, § 2, ff., XII, 1, *de Reb. creditis*. Eodem sensu naturam mutui exposuerunt omnes

jurisperiti. Cum contrarium docuisset SALMASIUS, *de Usuris*, c. VIII, p. 201 et seq., ipsum refellerunt plures. Iis se adjunxit POTHIER, n° 8-12, ubi ostendit hujus opinionem evertere totum systema scientiæ juris, tollendo discrimen inter jus in re et jus ad rem, quorum distinctio unum est e præcipuis ejus fundamentis. Idipsum docuerunt auctores qui de jure naturæ scripserunt, licet aliunde admittentes auctuarium ex mutuo exigi posse, quales sunt Heineccius, Wolf, et alii. Vid. opus inscriptum : *L'usure considérée relativement au droit naturel*, t. I, p. 71 et seq. Idem expresse statuitur in jure nostro, art. 1893, et satis aperte supponitur art. 587 et 1851 : id pro certo agnoscunt omnes jurisperiti nostri, quidquid aliunde sentiant de lucro quod ex mutuo percipitur; inter quos TROPLONG, n° 186, ait decretoria esse argumenta quæ attulit Pothier, nec hodie superesse controversiæ locum. Demum idem sequitur ex ipsa notione mutui. Cum enim res fungibilis detur ad abusum, possitque mutuatarius de ea pro nutu suo disponere, eam alienare, consumere, etc., sequitur eum habere hujus dominium, ut patet ex hujus notione : ut enim vidimus in Tr. *de Justitia* (n° 657), in rebus hujusmodi usus independens et irrevocabilis non potest separari a dominio. Et revera mutuatarius potest rei dominium alteri transferre, eam donando aut vendendo; ergo et ipse habere debet : mutuans e contrario non potest eam sibi vindicare, aut de ea disponere; ergo dominium amisit. Hinc non ipsi perit, sed mutuatario, prout expresse statuitur art. 1893 cod. Civilis.

Hæc tam aperta videntur, ut vix a quoquam negari posse videantur si agatur de rebus quæ dantur in usum consumptionis naturalis, v. g., de pane, vino, oleo, mutuatis indigenti in naturæ sublevamen. Sed quando agitur de pecunia, præsertim in negotiationem aut ad lucrum obtinendum adhibenda, quidam auctores recentiores sen-

tentiam Salmasii denuo excitare conati sunt. De iis opportunius agemus ubi *de Usura*.

1031. IV°. *De obligationibus mutuatarii.* Mutuatarius contrahit obligationem *restituendi rem similem in eadem quantitate et bonitate post aliquod temporis spatium.* Si enim non teneretur restituere, esset vel donatio, vel saltem census, de quo separatim mox dicemus; si rem, non tantum similem, sed eamdem in individuo, esset commodatum aut locatio; si non in eadem specie, esset permutatio aut emptio; si non in eadem bonitate, jam damnum pateretur mutuans, quod esset æquitati et justitiæ omnino adversum; si demum statim, esset cambium, vel saltem tolleretur mutuum.

Itaque I. tenetur *restituere;* nec liberatur, ut in commodato (n° 1022), per interitum fortuitum rei : res enim sub ejus dominium transiit, ac proinde ipsi perit; art. 1893 : seu potius res debita perire nequit, cum non sit talis res in individuo, sed indeterminata. Mutuans amisit dominium seu *jus in re*, et acquisivit *jus ad rem*, vi cujus habet actionem non realem sed tantum personalem, quemadmodum venditor in venditione quæ fit, ut dicitur, *à crédit.* Vid. Pagès, *Prêt à intérêt*, t. I, n° 60, p. 243.

Imo in jure Romano eadem decisio extenditur ad quosdam casus quibus non applicanda videretur. Hos affert Juenin, *Cas de conscience*, t. II, tr. XV, p. 392, 393. Sic, v. g., cum a me pecuniam mutuo peteres, ego pecuniam non habens, dedi tibi lancem argenteam ut venderes, et nummis utereris : si vendideris, mutua facta est pecunia. Sed si interim lancem sine culpa tua perdideris, censet Ulpianus, l. 11, ff, XII, 1, *de Reb. creditis*, si eam non venalem haberem, sed hæc causa fuerit vendendi ut tu utereris, eam tibi periisse. Pariter si tu prædium empturus pecuniam a me petas, nec tamen velis eam, donec emeris, mutui nomine suscipere, atque ita ego

profecturus deposuerim apud te eamdem pecuniam, ut si emeris mutui nomine obligatus sis, hoc depositum periculo tuo est; nam et qui rem vendendam acceperit ut pretio uteretur, periculo suo rem habebit: l. 4, *ibid.* Ibi quamvis eo tempore quo res perit adsit tantum depositum, vel mandatum vendendi, ac proinde dominium nondum transierit in accipientem, in eum tamen rejicitur periculum rei, verisimiliter quia cum ab initio mutuum intenderimus, et alius contractus initus non fuerit nisi in ordine ad mutuum, æquum est ut statim regulæ mutui applicentur. Vid. TROPLONG, n^is^ 268, 269. Attamen quamvis sufficiat hæc æquitatis ratio ad vindicandam dispositionem legis, non videtur sufficere ut eadem decisio applicetur etiam seposita dispositione positiva legis : a fortiori non obstat quin aliud per legem statuatur. Porro apud nos ita statutum fuit. Quando enim agitur de deposito, postquam in art. 1928 mentio facta est de deposito in solius depositarii gratiam inito, qui est casus mox memoratus, statuitur modo prorsus generali, art. 1929, depositarium in nullo casu teneri de casu fortuito, nisi in mora constitutus fuerit; igitur in casu allato interitus recidet in deponentem. Idem autem dicendum erit, ob paritatem rationis, in altero casu, de mandato rem vendendi. Unde nonnisi peracto jam mutuo per rei venditionem aut prædii emptionem periculum devolvetur in mutuatarium. Ita TROPLONG, *Prêt*, n^is^ 269, 270; *Dépôt*, n° 92-94; DUVERGIER, *Prêt*, n^is^ 188, 190.

1032. II. Mutuatarius debet restituere, si possit, *rem similem in eadem quantitate et bonitate.* Ut nempe servetur æqualitas inter datum et acceptum, in tribus consistere debet: in simili genere aut specie, v. g., ita ut detur vinum pro vino, oleum pro oleo, etc.; in eadem quantitate, quia si pro decem reddenda sint tantum novem, miscetur donatio; si vero reddenda sint undecim, undecimum non

debetur vi mutui, sed ex alio contractu, cujus justitia aliunde investiganda est; demum in eadem bonitate, ita ut, v. g., non reddatur vinum novum pro veteri, vel vinum talis loci pro vino alterius loci superiori, etc. Hæc evolvit GIBALINUS, *de Usuris*, l. I, c. III, art. III, n° 4 et seq.

Sed duplex distinguitur bonitas, intrinseca nempe, et extrinseca, quam pretium, sive valorem et æstimationem nominamus : qui valor sæpe mutari solet ex variis circumstantiis, immutata bonitate intrinseca. Quæstio est igitur, utrum obligatio mutuatarii complectatur hunc etiam valorem extrinsecum, an vero solum attendere debeat bonitatem intrinsecam? Si enim attendat valorem extrinsecum, aliquando majorem quantitatem quam acceperit, aliquando minorem restituere debebit. — Distinguendum est cum eodem auctore, n° 9. Quædam enim res mutuo accipiuntur propter ipsarum substantiam, quædam vero propter valorem. Sic, v. g., quando mutuo accipitur vinum, frumentum, etc., expetitur propter substantiam, non vero propter pretium. Pariter quando quis postulat massam auri vel argenti ad conflandum aliquod opus, vult substantiam seu tale pondus, et æstimationem non attendit. E contrario pecunia in usu communi secundum valorem expetitur, quia est omnium commerciorum instrumentum universale, omnisque pretii adæquatio; valor autem non pendet, saltem adæquate, ex bonitate intrinseca metalli, ideoque ad substantiam vix attenditur.

Itaque 1°. si agatur *de summa pecuniaria*, ratio habetur, seclusa speciali conventione, solius valoris extrinseci; unde reddendi erunt plures nummi quam accepti fuerunt, si interim valor eorum legalis per auctoritatem publicam fuerit imminutus, pauciores vero, si valor fuerit auctus. Illud jam probavimus et exposuimus ubi *de Solutione* in genere (n° 406) : et fuse hic ostendit GIBALINUS, n° 23

et seq. Quamvis, ut diximus, quidam auctores judicent aliud forsan statui potuisse aut debuisse, standum est profecto dispositioni latæ; eo magis quod hujus æquitas facile ostendi possit. Revera apud plerosque populos idem recentioribus temporibus statutum fuit. Vid. DUVERGIER, n° 175, p. 211. Vid. etiam n° 171 et seq., et TROPLONG, n° 228-239.

2°. Si agatur *de aliis mercibus*, inter quas reponendum est argentum aut aurum, ut dicitur, *en lingots*, seclusa speciali conventione, ratio habenda est bonitatis intrinsecæ, non autem valoris et æstimationis: id est, tenetur mutuatarius reddere eamdem quantitatem et qualitatem, licet rei valor seu pretium creverit, nec tenetur ultra reddere, etiamsi pretium imminutum fuerit. Ita art. 1896, 1897, 1902. Ratio est, quia res sola est in obligatione, non vero illius æstimatio aut pretium. Cæterum facile intelligitur mutuatarium satisfacere si reddat rem melioris qualitatis: sed cavendum est ne res quæ melior est sub aliquo respectu sit inferior sub altero qui pluris intersit mutuantis; cui proinde invito reddi non debet. Vid. TROPLONG, n^is 225, 226.

Dixi 1°. *Si possit*, quia evenire potest ut mutuatarius versetur in impossibilitate restituendi rem similem, etc.: tunc agnoscunt omnes eum debere restituere hujus valorem seu æstimationem. Et quidem docent jurisperiti non requirendam esse impossibilitatem absolutam: non debet quidem mutuatarius pro arbitrio suo se eximere a restituenda re ipsa debita; sed si non possit restituere nisi cum gravi suo damno, v. g., quia rem emere non poterit nisi pretio, ut aiunt, immenso, censent non nimis urgendam obligationem, quia beneficium ipsi præstitum non debet in ipsius nimium gravamen converti. Ita plures quos citat et sequitur TROPLONG, n^is 284, 285; DURANTON, n° 588. Cavendum tamen ne mutuans ipse damnum patiatur, ut

facile accidere potest, v. g., si ipse teneatur rem similem emere, etc. Vid. TOULLIER, t. VII, n° 63.

Sed si res varium valorem habuerit, difficultas est cujusnam ratio habenda sit pro restitutione facienda?—Quæstionem generatim spectatam jam expendimus (nis 402, 403). Eam quoad mutuum, et independenter ab omni culpa ex parte mutuatarii, sic solvit codex Civilis, art. 1903. Si conventio inita fuerit de tempore et loco restitutionis, habenda est ratio valoris quem res habet eo tempore et loco: si vero nihil determinatum fuerit, habetur ratio temporis et loci quibus mutuum initum est. Prior pars per se est satis aperta. Sed quoad posteriorem partem magna aderat controversia, præsertim propter diversas legum Romanarum decisiones. Vid. TROPLONG, n° 290-292. Docebant multi rationem habendam esse temporis et loci in quibus postulatur restitutio: illudque videtur æquitati satis consonum, quia si ratio habeatur termini expresse conventi, non videtur cur ratio non haberetur termini tacite tantum conventi. Attamen explicari potest juris nostri dispositio. Ea non admissa, posset mutuans rem repetere tempore maximi valoris, vel mutuatarius offerre tempore valoris minimi, sicque via aperiretur fraudi. Insuper si exigeretur postulatio aut judicium ad determinandum tempus æstimationis, locus daretur impensis judiciariis, quæ in præsenti materia vitandæ sunt. Tandem quando assignatus non est terminus, restitutio statim, moraliter loquendo, debetur: non ergo mirum quod per tempus conventionis determinetur rei æstimatio. Ita TROPLONG, n° 296.

1033. Dixi 2°. *Seclusa speciali conventione*, quia si initæ fuerint speciales conventiones inter mutuantem et mutuatarium, iis profecto standum est, modo nil habeant iniqui. Id generatim agnoscunt auctores. Sed difficultas est, quænam juste iniri possint. Ut illud determinetur,

triplicem hypothesim distinguere solent theologi : vel nempe prævidetur valoris augmentum, vel imminutio, vel nihil prævidetur.

1. Si nihil speciatim prævideatur, sed dubium aut incertum sit an valor augendus sit, an imminuendus, docent theologi pactum iniri posse de reddendis iisdem speciebus, quicumque sit earum valor, si agatur de summa pecuniaria ; vel de reddendis mercibus ejusdem valoris, quæcumque ideo requiratur quantitas. Tunc enim adest æquale periculum lucri et damni ; par est utriusque contrahentis conditio : ac proinde nulla est injustitia ; initur contractus aleatorius.

Attamen de priori parte, seu de summa pecuniaria, difficultatem movet Pothier, n° 37, quem citat nec improbat Pagès, *Prêt à intérêt*, t. I, p. 261. Etenim moneta seu nummi non sunt penes privatos, seu ab auctoritate publica non traduntur nisi quatenus signum valorum, nec proinde alio titulo possunt esse materia contractuum : quod tamen locum haberet in allata conventione, cujus objectum non esset talis aut talis valor, sed ipsa corpora seu ipsi nummi. Idem sentiunt plures jurisperiti recentiores, quia ex allata conventione sequeretur mutuantem posse, in casu quo valor monetæ auctus fuisset statuto principis, non eam recipere secundum suum valorem legalem ; quod in regno bene ordinato admitti nequit. Ita Duvergier, n° 177 ; Troplong, n° 240. Verum, ut observat D. Richard, non satis solida ratio occurrit cur princeps censeatur prohibere ne pecunia aliter quam ut valoris signum spectetur. Revera agnoscit Duranton, t. XII, n° 93, et t. XVII, n° 577, nummos posse tradi ut corpora, et tunc iis applicari quod statuitur de pecunia, ut dicitur, *en lingots*. Nec abnuit Duvergier, n° 178, pro casu speciali in quo mutuans pacisceretur de reddendis iisdem speciebus, non ad eludendam variationem valoris

legalis, sed quia habet aliquam rationem servandi tales species, v. g., nummos aureos quos uxor a viro recepit in die connubii, etc.

2. Si prævideatur minuendum fore valorem seu pretium, potest mutuans pacisci, ut sibi reddatur idem valor, ac proinde major quantitas physica. Ita DE LUGO, D. XXV, n^is 114 et 128; *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 463 et 468; COLLET, c. II, n^is 15, 17, 18, p. 239; BILLUART, diss. IV, art. I, p. 215, 216; PAGÈS, p. 257, 260, et alii. Ratio est quia mutuans jus habet ad valorem præsentem, ac proinde de illo pacisci potest. Si postea imminuatur valor, imminuitur pro mutuatario ad cujus dominium res transiit: neque mutuans ex mutuo præcise ditescit, cum id tantum recipiat quod dedit; sed tantum ejus occasione: idem est ac si mutuo dedisset rem quæ alioquin apud ipsum peritura fuisset. Et hæc ratio ostendit valere decisionem etiamsi mutuans fuisset rem suam servaturus usque ad tempus imminutionis: hunc casum non excipiunt theologi, et satis expresse includit Billuart. Sed quidam restrictionem apponunt pro casu quo mutuatarius damnum aliquod passurus est, quia nempe pecunia, v. g., non utetur nisi post decrementum, cum antea occasionem utendi non habeat, et ideo tantum nunc mutuo petat quia præsentit futurum ut facto semel decremento nemo hanc mutuo dare velit : tunc enim mutuans damnum suum vitaret cum damno mutuatarii; quod est iniquum. Ita *Collat. Ambianens.*, p. 464, ubi id deducit ex doctrina S. Thomæ, seu auctoris opusculi 73 *de Usuris*, quod inter ejus opera reperitur. Ita etiam COLLET, n° 18, ubi tamen observat aliud dicendum si mutuans ipse pecuniam suam præsenti pretio impendere posset et vellet. Observat etiam *Collat. Ambianens.*, p. 469, quando agitur de aliis mercibus, speciatim de frumento, facile irrepere posse abusus, quia mutuans facilius sibi persuadebit immi-

nuendum fore hujus pretium ut sic paciscatur de reddenda majori quantitate : qui abusus vitari possunt, si pactum ineatur de reddendo vel pretio quo nunc æstimatur frumentum, vel ea frumenti quantitate quæ eo pretio comparari poterit.

3. Si prævideatur augendum fore valorem seu pretium, mutuans pacisci potest de eadem quantitate sibi restituenda, inquiunt communiter theologi, quando rem suam servaturus erat usque ad tempus augmenti : tunc enim renuntiat lucro quod obtenturus fuisset ; ac proinde æquum est ut hujus compensationem recipiat : deductis tamen expensis quas in re servanda facere debuisset. Ita pro certo tenent auctores quando agitur de rebus diversis a pecunia ; DE LUGO, n° 113 ; SALMANTICENSES, cap. III, n° 67 ; alii plures quos citat et sequitur SCHMALZGRUEBER, in lib. v Decretal., tit. XIX, n° 62 ; COLLET, *ibid.*, n° 16 ; *Collat. Ambianens.*, p. 470 ; S. LIGUORI, l. 3, n° 782 ; PAGÈS, p. 258 : quorum tamen plures observant non debere obligari mutuatarium ut non solvat nisi tempore incrementi. Si autem agatur de pecunia, quamvis non omnes ita expresse loquantur, idem tamen multi asserunt, aut saltem supponunt. Citari possunt insuper GIBALINUS, n° 75, et HABERT, part. III, c. XIII, p. 309.

Sed si mutuans non esset rem servaturus, aliud communiter docent. Si enim agatur de pecunia, dicunt mutuantem tunc recepturum plus quam dedit, ac proinde intendere lucrum ex mutuo, sicque usuram committere. Ita GIBALINUS, n° 33 ; SALMANTICENSES, n° 69 ; COLLET, n° 13, p. 238 ; BILLUART, p. 216. Neque obtendere potest se tradere nummos ut corpora, ideoque posse exigere eamdem quantitatem : cum enim supponatur eos non servaturus, satis patet hanc allegationem vanam esse. Si vero agatur de rebus diversis a pecunia, testatur BENEDICTUS XIV, *Quæst. Canonic.*, q. 494, docere theologos morales

talem contractum non fore ab usuraria labe immunem; et citat Azor, de Lugo, Salmanticenses, item Reiffenstuel, Pirhing et Schmalzgrueber, ad tit. *de Usuris*, V, xix : quibus addi possunt Lessius, l. 2, c. 20, n° 152; *Collat. Ambian.*, p. 470; Collet, n° 21, p. 240; Billuart, p. 217; S. Liguori, l. 3, n° 782. Ratio est, quia hoc est mutuare secundum futurum rei valorem; quod non potest mutuans, eo quod jus non habeat in valorem futurum nondum existentem, sicut habet in præsentem. Insuper sic intendit lucrum ex mutuo, quod est usurarium. Contrarium tamen sentit Soto, l. vi, q. i, art. 2, quia in hujusmodi rebus attenditur præcipue proportio corporum, non vero valoris, ut diximus. Ita etiam Molina, D. cccxi, n° 2 et seq., et Layman, l. iii, tr. iv, c. xvi, n° 14, pro casu quo mutuatario non imponitur onus solvendi eo præcise tempore quo majus erit pretium, sed ipsi liberum relinquitur restituere, si velit, ante tempus augmenti : a quibus non est alienus de Lugo, n° 118 et seq., quando non solum libertas mutuatario relinquitur, sed majus aut æque probabile est eum usurum hac libertate ad restituendum tempore decrementi. Nobis videtur decisionem multum pendere a circumstantiis : hic conscientia accusat aut excusat, ait auctor opusc. 73 *de Usuris* inter opera S. Thomæ, cujus verba citat Billuart, p. 215. Scilicet si agatur de mutuante qui rem mutuatam sit venditurus, aderit usura, quia lucrum percipiet ex mutuo : si vero sit rem in proprios usus consumpturus, evidens est eum damnum esse passurum nisi eadem quantitas ipsi restituatur. Hinc in casu de quo agit Benedictus XIV, *loc. cit.*, S. Congregatio concilii interroganti episcopo de hujusmodi contractu respondit : *Consulat theologos in casibus particularibus*.

Cæterum hæc omnia melius intelligentur ex dicendis circa usuram.

1034. III. Mutuatarius debet restituere *post aliquod temporis spatium*. Requiritur ut res saltem aliquo tempore apud mutuatarium maneat; alioquin illi inservire non posset, ut patet : imo sæpe damnum exinde pateretur. Hinc differt mutuum a cambio, in quo, v. g., commutatur aurum pro argento quod statim redditur. Igitur si terminus assignatus fuerit, non tenetur generatim mutuatarius antea reddere; art. 1899 : an adsint exceptiones huic regulæ, mox videbimus (n° 1035). Si vero nullus terminus assignatus fuerit, vel si conventum fuerit mutuatarium redditurum esse quando poterit, arbitrio judicis relinquitur terminum assignare juxta circumstantias; art. 1900, 1901. Quamvis, ut observat DURANTON, t. XVII, n° 583, prior articulus videatur tribuere judici facultatem concedendi terminum, posterior vero ipsi imponere obligationem concedendi, semper verum est totum id pendere a circumstantiis, nempe ab intentione quam habuerunt contrahentes, et a præsenti statu mutuatarii; sed quando mutuatarius se obligavit tantum ad reddendum quando poterit, exinde satis patet mutuantem consensisse ulteriori dilationi. Vid. DUVERGIER, n° 202.

1035. V°. *De obligationibus mutuantis*. In discussione codicis Civilis quibusdam videbatur non esse admittendam sectionem sub hoc titulo, quia mutuum est contractus unilateralis, nec proinde imponit obligationes mutuanti : idemque nonnulli etiamnum sentiunt. Vid. DURANTON, n^is 578 et 581. Cum tamen agnoscant omnes occasione mutui quædam officia incumbere mutuanti, opportunum dici potest ut de iis sub speciali titulo agatur : et ut mutuum nihilominus dicatur contractus unilateralis, observare sufficit dici posse has obligationes non directe sequi ex ipso pacto, ut jam advertimus de commodato. Vid. DUVERGIER, n° 191 et seq.; TROPLONG, n° 244 et seq., et n° 253 et seq. Breviter indicabimus obligationes de quibus

agunt jurisperiti; et quædam addemus de iis quæ spectant præcipue ad theologos.

1°. Tenetur mutuans *aperire vitia* rei mutuatæ quemadmodum diximus de commodante (n° 1024) : statuit enim art. 1898 mutuanti incumbere eamdem obligationem quam pro commodato sancit art. 1891 quem *ibidem* exposuimus. Si res pereat ex talibus vitiis, nec ea uti potuerit mutuatarius, non tenebitur ad rem similem restituendam : licet enim dominium transierit ad mutuatarium, cum mutuans de vitiis teneretur, ipsi periit. Ita Duvergier, n° 199.

2°. Tenetur rem *non repetere ante tempus* conventum, vel, deficiente conventione, ante tempus a judice, si opus sit, determinatum; art. 1899, 1900, 1901. Hic adesse ex parte mutuantis absentiam juris potius quam obligationem contendit Duranton, n° 581 : sed attente inspicienti aliud occurret quam absentia juris qualis agnoscenda est inter duas personas quæ nullam inter se conventionem inierunt : adest vera obligatio quæ posito mutuo naturaliter exsurgit, quamvis mutuatario non ideo tribui debeat ulla actio, qua cæteroquin opus non habet; sufficit ei exceptio contra mutuantis petitionem. Vid. Troplong, n° 253-257.

Observandum est dispositionem articuli 1889, ex qua commodans potest aliquando, superveniente necessitate, rem suam ante tempus repetere, non renovari ubi agitur de mutuo. Unde concludunt jurisperiti non posse mutuantem rem repetere ante tempus statutum nisi in casibus in quibus generatim potest creditor anticipare terminum (n° 352). Ratio cur aliter statutum fuerit in mutuo ac in commodato ea esse videtur, quod multo facilior sit restitutio in commodato in quo agitur de re non fungibili quæ remanet apud commodatarium, quam in mutuo ubi res utenti perit. Ita Pagès, n° 75, p. 262. Existimamus tamen cum eodem auctore, superveniente mutuantis neces-

sitate improvisa, teneri posse mutuatarium, saltem ex caritate, ad rem ante tempus restituendam.

1036. Præter has duas obligationes jure civili sancitas, de duabus aliis loqui possumus, quæ ad forum conscientiæ spectant.

3°. Tenetur mutuans *nihil exigere* ultra rem mutuatam, seu, ut loquuntur theologi, *ultra sortem*, nisi habeat titulum aliquem specialem. Ut ait BENEDICTUS XIV, Encyclica *Vix pervenit : Mutuum suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat quantum receptum est.* Hinc facile agnoscunt omnes tum theologi, tum jurisperiti, gratuitatem esse de natura mutui, ideoque, seclusa qualibet conventione, non posse mutuantem aliquid exigere ultra id quod dedit : et codex Civilis permittendo auctuarium exigere, requirit conventionem scripto initam : art. 1907; statuens tamen, eum qui solvit auctuarium de quo non inita fuerat conventio non posse illud repetere : art. 1906.

Sed quæstio est gravissimi momenti, an liceat pacisci de auctuario solvendo, prout hodie permittit codex Civilis, art. 1905. De ea agemus in capite speciali, ut jam præmonuimus, ubi scilicet *de Usura* (n° 1111 et seq.).

1037. — 4°. Huc etiam referri potest quæstio quam vulgo expendunt theologi, utrum *mutuum sit de præcepto*, seu utrum adsit obligatio dandi mutuo his qui postulant aut indigent? — Cum hujus solutio pendeat, non ex mutui natura, sed ex præcepto caritatis, potius spectat ad Tr. *de Caritate*. Hic ergo satis erit principia breviter indicare.

Ante omnia : « Neminem id latere potest, inquit BENE-« DICTUS XIV, Encyclica *Vix pervenit*, §. II, quod multis « in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri « succurrere, ipso præsertim Domino edocente : *Volenti « mutuari a te ne avertaris.* » Et revera si sæpe urgeat præceptum eleemosynæ, ut est inconcussum, a fortiori

aliquando urgere potest præceptum mutuo dandi, quando nempe possumus mutuum dare, non vero eleemosynam tribuere, vel quando sufficienter proximus adjuvari potest per simplex mutuum. Exstat insuper Dei præceptum, sæpius in veteri lege inculcatum, præsertim *Deuter.*, XV, 8 et seq., *Eccli.*, XXIX, 2 et 13, quodque nedum abrogatum fuerit in nova lege potius fuit a Christo confirmatum, speciatim *Luc.* VI, 30 et seq., ut ex postea dicendis (n° 1130) intelligetur. Vid. *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 220 et seq.

Ut autem determinetur quousque extendatur obligatio hujusce præcepti, duo sunt prænotanda. 1°. Duplici sensu expendi potest quæstio : an teneamur dare simpliciter, exigendo aliunde auctuarium quando adest aliquis titulus legitimus; an teneamur mutuum dare gratuito, non exigendo auctuarium etiam quando adest titulus legitimus illud percipiendi. 2°. Qui mutuum petunt in varias classes distingui possunt : alii sunt divites et mutuum postulant ad augendas opes; alii, licet divites, vere tamen hic et nunc mutuo indigent, v. g., ad subveniendum alicui necessitati statim occurrenti; alii sunt nunc pauperes, sed spem bene fundatam habent bona obtinendi, v. g., ex hæreditate, industria, etc.; alii demum sunt pauperes nec ullam spem habent bona consequendi e quibus solvere possint.

His præmissis, 1. quoad divites qui mutuum petunt ad augendas opes, vulgo dicunt theologi non adesse obligationem iis mutuandi; non enim versantur in necessitate. Quidam tamen sentiunt adesse obligationem sub levi mutuandi iis omnibus qui petunt rationabiliter; quia id postulat ordo caritatis, et dictamen rationis. Non censetur autem petere rationabiliter qui augendo opes intendit tantum luxum aut pompam, vel qui quærit tantummodo lucrum simile huic quod percipere potest mutuans, vel qui petit pecuniam aliis usibus rationabilibus destinatam,

vel qui est ignotus aut ferè ignotus mutuanti, etc. Cæterum si quando admittatur aliqua obligatio, non erit mutui omnino gratuiti; sed si adsit titulus, poterit mutuans auctuarium ex eo percipere, quia *Prima sibi charitas*.

2. Quoad divites qui vere nunc mutuo indigent, agnoscunt theologi obligare præceptum charitatis ad iis præstandum officium quod in pari circumstantia nobis ipsis præstari rationabiliter vellemus. Sed ut determinetur quousque urgeat, videndum quænam sit necessitas petentis, quænam natura bonorum ex quibus mutuans ei succurrere potest, secundum regulas quæ exponuntur ubi *de Eleemosyna*. In eo etiam casu potest mutuans exigere compensationem damni emergentis, etc.: quia etiam hoc onus mutuatario imponens satis prospicit hujus necessitati.

3. Quoad pauperes qui bona sunt deinceps habituri, omnino urget obligatio mutui. Obligat enim charitas ad subveniendum necessitatem patientibus vel per eleemosynam vel per mutuum; sed eleemosynam iis largiri non est necesse, cum bona sint habituri. Ex regula autem mox indicata judicabitur quousque extendatur obligatio; item an possit exigi compensatio damni.

4. Quoad eos qui sunt omnino pauperes, urget erga eos præceptum eleemosynæ, prout alibi evolvitur: non ergo agi potest de mutuo iis dando; frustra enim, imo et crudeliter non minus quam derisorie iis imponeretur obligatio reddendi quam implere non possunt.

Multa de his utilia, sed pluries non omni exaggeratione destituta, dabit P. DE GASQUET, *l'Usure démasq. suiv. ses rapports avec le droit divin*, t. II, p. 36 et seq.

1038. VI°. *De iis qui mutuo dare vel accipere possunt.* Hic recurrunt sane principia generalia exposita in parte I, cap. III. Sed opportunum erit breviter indicare ea quæ speciatim respiciunt mutuum, et sequuntur vel ex ejus natura, vel ex legibus specialibus.

I. *De capacitate mutuantis.* Cum per mutuum, ut vidimus (n° 1030) transferatur dominium, facile intelligitur requiri ut mutuans habeat dominium rei mutuatæ, et sit capax alienandi.

1°. Requiritur in mutuante *dominium rei mutuatæ.* In jure Romano non solum declarabatur oportere dominum esse mutuo dantem, sed exinde concludebatur dominum rei qui mutuo non consenserat nec illud ratum habuerat posse rem suam sibi vindicare apud mutuatarium, qui eam in individuo reddere tenebatur. Sed si eam consumpsisset, jam ea consumptio supplebat quod mutuo deerat : mutuatarius tenebatur erga mutuantem eodem modo ac si fuisset rei dominus, quia nempe idem commodum obtinuerat ex tali mutuo; unde principii loco ponebatur *Consummatione mutuum fieri :* sed ad nihil tenebatur erga dominum rei, nisi rem consumpsisset in mala fide, sciens nempe mutuantem non transtulisse dominium, quo in casu tenebatur erga dominum; sed extra hunc casum nullum jus contra illum competebat domino, cui actio competere nequit nisi contra rei suæ possessorem, vel contra eum qui eam in mala fide consumpsit. Ita in jure Romano, cui consentaneum erat jus Gallicum. Vid. POTHIER, n° 4-7, et n° 34; DELVINCOURT, t. III, *Notes,* p. 410, 411; DURANTON, n° 563-565; TROPLONG, n° 187.

Sed hodie habenda est ratio articuli 2279 : *En fait de meubles la possession vaut titre.* Exinde concludit TROPLONG, *ibid.* mutuatarium immunem esse a quacumque evictione ex parte domini, nisi agatur de re amissa aut furtiva, vel nisi ipse fuerit malæ fidei. Verum plura obstant quin ille articulus sumatur in sensu adeo absoluto, et satis probabile est domino rei competere jus eam vindicandi per triennium. Vid *Compendium* nostrum *de Justitia,* edit. II, n° 157 et seq. Sed quidquid sit, dominus habet saltem recursum contra mutuantem, cumque ex dictis mutuata-

rius re consumpta erga mutuantem obligetur, poterit dominus, utpote creditor mutuantis, ipsius juri subrogari sicque agere contra mutuatarium, ad sensum articuli 1166 codicis Civilis : POTHIER, n° 34; DURANTON, n° 565; DUVERGIER, n° 158. Imo existimat DURANTON, *ibid.*, dominum anteponendum fore cæteris creditoribus mutuantis, utpote exercentem jus e re sua ortum : verum docet DUVERGIER, n° 159, non posse tale privilegium tribui sine expressa legis dispositione.

2°. Requiritur insuper in mutuante *capacitas alienandi*, sine qua non posset transferre dominium. Sed cum agatur de bonis mobilibus, advertendum est potestatem administrandi aliquando includere facultatem alienandi, v. g., in tutore quoad bona pupilli, quandoque forsan in socio quoad bona mobilia societatis. Vid. TROPLONG, n^is 207, 208.

Hinc non valet mutuum factum a minore, vel ab interdicto. Scilicet quamdiu res exstat apud mutuatarium, potest vindicari ab eo qui administrat bona incapacis. Si consumpta fuerit, dicunt plures *consummatione mutuum fieri*. Illud verum est in eo sensu quod tunc mutuatarius teneatur tantum ad reddendam rem similem si bonæ fidei fuerit, et insuper ad damna compensanda si mala fide egerit : sed non ideo convalescit mutuum erga mutuantem, idest, iste non obligatur ad rem non repetendam ante terminum præfixum; non potest enim mutuans spoliari jure suo per factum mutuatarii. A fortiori ex eo quod mutuans incapax fuerit alienandi concludendum non est cum quibusdam auctoribus rem ipsi perire, si pereat antequam mutuatarius ea usus fuerit, quatenus nempe dominium penes illum remansit : nullitas enim quæ fuit inducta in gratiam incapacis non debet contra ipsum converti; neque nullitas relativa converti potest in nullitatem absolutam. Vid. DURANTON, n^is 567, 568; DUVERGIER, n^is 154, 155; TROPLONG, n^is 202, 203.

1039. II. *De capacitate mutuatarii.* Semper restricta fuit in minoribus facultas mutuo sumendi; nullus est contractus qui facilius in eorum damnum verti possit. Hinc apud nos ipse tutor non potest pro minore mutuum sumere sine auctoritate concilii familias, cujus consensus dari non debet nisi pro necessitate absoluta aut commodo evidenti, et corroborari debet per interventum judicis; art. 457, 458 : minor ipse emancipatus indiget eadem auctoritate, sed non exigitur eadem necessitas; art. 483. Aliquid simile statuitur pro prodigis, art. 513. Vidimus in part. I, cap. III, quo sensu sumendæ sint illæ dispositiones, et quamnam vim habeant in conscientia. Vid. speciatim, n^is^ 177, 180, 181, 189 et seq.

Plura statuebantur in jure Romano et disserebant theologi de mutuo facto Ecclesiæ aut civitati, quibus concedebatur privilegium aliquatenus simile privilegio minorum. Hodie privilegium non conceditur : sed civitates non possunt recurrere ad mutuum nisi in casibus extraordinariis; si earum reditus attingant aut superent centum millia fr., requiritur lex; sin minus, sufficit edictum regium : ita lex 15 maii 1818, art. 43, ap. TROPLONG, n° 211.

1040. VII°. Ex hactenus dictis jam concludere possumus *qualis contractus* sit mutuum. 1°. Est contractus *realis,* quatenus non perficitur nisi per rei traditionem. 2°. *Non solemnis*, quia nulli formæ speciali a lege subjicitur. Si tamen adjunctam habeat stipulationem hypothecæ, tunc, ut observat TROPLONG, n° 217, requiritur forma solemnis pro hac stipulatione præscripta. 3°. *Unilateralis.* Quidam hunc reponunt inter contractus bilaterales, quia mutuanti imponitur obligatio rem non repetendi ante certum quoddam tempus. Ita *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 211; BALLERINI, *de Jure div. et nat. circa Usuram*, l. I, c. I, n° 5, p. 3. Sed vulgo a jurisperitis annumeratur inter unilaterales, ut jam exposuimus (n° 1035). Cæterum ipse

Toullier, qui eum pro bilaterali habet, t. VI, n° 19, agnoscit huic non applicari dispositionem articuli 1325, quæ est forte unica, ait ipse, quæ respiciat solos contractus bilaterales. 4°. *Gratuitus*, quia, ut diximus, ex natura sua vergit in utilitatem solius mutuatarii. Ulterius progressi sunt plures auctores, asserentes gratuitatem esse de essentia mutui : sed non omnes illud eodem sensu asseruerunt. Quidam nihil aliud intenderunt nisi quod illicitum esset mutuanti lucrum aliquod percipere ex mutuo. Ita *Collat. Ambianens.*, p. 211 : in eodem sensu ait Troplong, n^is 191, 192, olim gratuitatem fuisse de essentia mutui, hodie vero esse tantum de natura. Alii e contrario illud asseruerunt ut concluderent eos qui pecuniam tradunt ad lucrum percipiendum non dare mutuum, ideoque non committere usuram, quæ ex mutuo est. Ita Broedersen, *de Usuris*, l. I, part. II, c. XI, n^is CIV, CVII, p. 68, 69 ; Baronnat, *le prétendu Mystère de l'Usure*, t. II, p. 468. Præclara sane inventio ! quæ impossibilem absolute redderet omnem usuram qualis vulgo intelligitur, ut observat Ballerini, l. I, c. II, n° 5, p. 7. Si lucrum ex mutuo percipiatur, vitiatur quidem mutuum et a fine suo avertitur; sed non ideo e medio tollitur : semper ea subsistunt per quæ constituitur, nempe objectum materiale et formale, seu res fungibilis data in consumptionem. In hoc differt mutuum a commodato : cujus discriminis ratio est quod res data in consumptionem non sit capax locationis aut alterius contractus hujusmodi, ut infra videbitur. Vid. card. Gerdil, t. XVIII, p. 33 et seq. De his fusius alibi.

CAPUT XI.

DE CONTRACTU CENSUALI.

1041. Postquam statuit codex Civilis, art. 1905, posse iniri pactum de lucro ex simplici mutuo percipiendo,

addit, art. 1909 : « On peut stipuler un intérêt moyen-« nant un capital que le prêteur s'interdit d'exiger. Dans « ce cas le prêt prend le nom de constitution de rente. » In nostro igitur codice census habetur ut omnino affinis cum mutuo, a quo proinde obvium est ut non sejungatur, si velimus ad ordinem codicis accedere quantum fieri potest.

Sed si sequamur veteres jurisperitos et theologos, censum potius referemus ad contractum venditionis, quo nempe, mediante pretio, jus acquiritur ad pensionem annuam. Hanc esse notionem ab omnibus jurisperitis allatam testatur TROPLONG, *Prêt*, n° 421. Vid. inter alios POTHIER, *Contr. de Rente*, n° 1 et seq. Hinc etiam in jure canonico de censu agitur sub titulo *de Emptione et Venditione, Extrav. comm.*, III, V. Ita etiam theologi. Quod mirum non videbitur, si attendatur censum ideo præsertim invaluisse ut vitaretur usura, ut mox videbimus; proindeque debuisse ab eo removeri quantum possibile erat ideam mutui in quo reperitur sedes usuræ.

Verum ut hæc omnia bene intelligantur, primum exponenda est natura contractus censualis.

Census nomen derivant auctores a *censeo* seu *æstimo*, quia olim censebantur auctoritate principis bona, imo et sæpe capita subditorum, ut eis congrua imponerentur tributa, quæ etiam dicebantur census, ut intelligi potest ex it. *de Censibus* in jure Romano, ff, L, XV, et ex *S. Matth.*, XXII, 17 : *Licet censum dare Cæsari?* Gallice dicimus *Rente*, quod idem est ac *Reditus, Revenu*. Triplici autem sensu sumitur : pro jure percipiendi pensionem annuam; pro ipsa pensione; pro contractu speciali quo fundatur jus percipiendi. De isto tertio respectu præcipue dicendum hic habemus. Jam vero potest census variis titulis constitui, ut permutatione, donatione, in recompensationem pro opere aut obsequiis, etc.; tunc constitutio pro

tituli ratione variam naturam sortietur. Potissimum tamen dicemus de emptione et venditione census, non solum quia hic est titulus frequentissimus, sed etiam quia, explicato hoc contractu, facile intelligetur quid dicendum sit de censibus aliis titulis comparatis, ut observat MOLINA, D. CCCLXXXIII, n° 1.

Census itaque hoc modo sumptus definiri potest: *Contractus quo quis soluto pretio quod repetere non poterit acquirit jus pensionem annuam ex re frugifera vel ex persona percipiendi;* art. 1909 mox cit.

Dicitur 1°. *Contractus*, et quidem 1. *Realis*, quia non perficitur nisi per solutionem pretii, cum non adsit obligatio solvendi censum nisi post receptum pretium: sicque differt a venditione quæ est contractus consensualis. Valeret quidem contractus quo quis, v. g., se obligaret ad solvendam mihi certam pecuniæ summam pro qua præsturus essem pensionem annuam; sed interim nondum esset contractus censualis. Ita POTHIER, n° 2 : et idem supponunt jurisperiti hodierni; DUVERGIER, *Prêt.*, n° 321; TROPLONG, n° 422. Hinc juxta POTHIER, n° 29, irrita esset clausula vi cujus census initium haberet ante solutionem pretii. 2. *Non solemnis*, quia nullam formam specialem præscribit lex civilis. 3. *Onerosus*, quia vergit in utilitatem utriusque contrahentis : et quidem *commutativus*, non aleatorius, licet aliquando quoddam periculum occurrat, ut videbitur. Est tamen quædam species census, qui nempe dicitur vitalitius, quem inter contractus aleatorios reponit codex Civilis, ut infra exponemus. 4. *Unilateralis*, quia semel soluto pretio nulla obligatio directe imponitur ei qui censum percipere debet. In quo differt etiam a venditione. Ita POTHIER, n° 3. — 2°. Quo *quis :* ille qui acquirit jus ad pensionem dicitur censualista, *rentier;* emptor, *acquéreur;* creditor, *credi-rentier*, ut vocatur a quibusdam jurisperitis : qui vero se obligat dicitur cen-

suarius, venditor, debitor. 3° *Soluto pretio*, quia ante solutionem nondum perfectus est contractus, ut vidimus. Verbum autem illud, *Pretium*, latius vel strictius sumendum erit, prout in latiori vel strictiori sensu agetur de censu. Scilicet per pretium generatim intelligimus id quod semel præstandum habet censualista ut jus suum acquirat. Unde absolute fieri potest ut nullum pretium solvendum sit, si nempe acquiratur census titulo gratuito, v. g., ex donatione aut legato : sed præterquam quod illud satis raro evenit, de tali censu non movetur difficultas an sit licitus, ut observat Billuart, Diss. v, art. 1, §. 1, p. 296; unde de eo præcise non agimus. Fieri potest etiam ut censualista non det pretium stricte sumptum quale intelligitur in venditione (vid. n° 678); attenta enim rerum natura, sufficit ut det aliquid æquivalens juri quod vult acquirere, quodcumque deinde illud sit. Sed ordinarie pretium consistit in pecunia : cui tamen assimilari possunt sub hoc respectu, ex art. 1905 codicis Civilis, aliæ res mobiles et fungibiles. Plerumque autem determinatur per legem quale debeat esse pretium, seu adest taxatio legalis, ut in decursu videbitur. 4°. *Quod repetere non poterit*, quia in hoc differt census a mutuo, in quo ille qui mutuavit jus habet ad recuperandam sortem, seu capitale quod dedit, dum in censu capitale illud, non solum transfertur in dominium censuarii ut in mutuo, sed in perpetuum alienatur. Hanc rationem discriminis agnoscunt jurisperiti et theologi, quorum plures citat Pagès, t. 1, n° 114, p. 308 et seq.; eamque expresse sancit codex Civilis, art. 1909, statuens tunc constitui censum quando mutuans renuntiat juri repetendi capitale. Ita omnes jurisperiti, inquit Troplong, n° 421. — 5°. *Acquirit jus percipiendi pensionem annuam* : illa pensio vocatur aliquando *Canon, Reditus*, aut *Redditus*, quia quotannis redit et redditur. Consistere potest vel in pecunia, vel in aliis rebus,

v. g., fructibus. Sed sedulo advertendum est objectum contractus non esse ipsas pensiones annuas successive percipiendas, sed jus illas percipiendi. Quanti sit momenti hæc observatio, et simul quantum veritati consentanea, in decursu explicabitur (n° 1049). 6°. *Ex re frugifera vel ex persona,* quia jus illud potest fundari vel in re frugifera, vel in persona seu ejus labore, industria, et ideo multiplex census distinguitur, ut mox fusius evolvemus.

Ex hac notione intelligi potest censum accedere ad naturam venditionis. Differt quidem a venditione ordinaria in eo quod sit contractus realis, et unilateralis. Sed venditio posset fieri ea pariter conditione ut non perficeretur nisi post solutum pretium aut rem traditam, nec ideo mutaretur ejus natura : item si statim solvatur pretium, venditio fieri potest quodammodo contractus unilateralis. Dum contra, quamvis census in multis cum mutuo affinis sit, semper tamen differt in eo quod adsit alienatio in perpetuum, seu capitale exigi non possit. Quando igitur codex Civilis censum adjungit mutuo non gratuito, dici potest cum Troplong, n° 422, censum non removeri a venditione, sed potius mutuum non gratuitum ad eam adduci. Quo jure, qua ratione ita egerit legislator postea expendemus. Cæterum, ut indicat idem auctor, et infra videbimus (n^is^ 1063, 1064), hæc non est disquisitio mere speculativa, sed ex eo quod census confundi non debeat cum mutuo deducuntur apud ipsos jurisperitos plura consectaria practica satis gravis momenti.

1042. Nunc si originem contractus censualis investigare velimus, quædam hujus vestigia in jure Romano deprehendunt jurisperiti : sed simul agnoscunt hunc parum viguisse, vixque ulla occurrere hujus monumenta in prioribus æræ nostræ sæculis. Vid. Pothier, n^is^ 7, 8; Troplong, n° 416. Invaluit præsertim sæculo xiii et xiv, quia, inquiunt iidem jurisperiti, cum tunc severe

prohibitum esset lucrum aliquod ex mutuo percipere, ad censum recurrebant qui volebant pecuniam non relinquere omnino sterilem, speciatim episcopi, capitula, collegia, communitates, viri ecclesiastici, nobiles, et tandem ipsi privati. Non defuerunt tunc theologi qui hunc tanquam usuraria labe infectum reprobarent; sed prævaluit opinio contraria, ut modo exponemus. Receptissimus erat ille contractus speciatim in Germania, ut refert ZECH, Diss. III, c. II, §. 195 et seq. Apud nos, ex quo coram lege civili licitum est lucrum percipere ex simplici mutuo, fere in desuetudinem abiit inter privatos contractus censualis : ait tamen TROPLONG, n° 420, hunc adhuc vigere in quibusdam provinciis, speciatim in Normannia. Sed quando Gubernia pecuniam comparare volunt aliunde quam ex novis tributis impositis, frequenter recurrunt ad census, qui dicuntur *Rentes sur l'État.*

1043. Exponendum ergo habemus quid de hoc contractu sentiendum sit, et quasnam conditiones requirat. Quod ut accurate præstetur, antea videndum est quænam sint variæ illius species.

Census est vel reservativus vel consignativus. Quando aliquis plenum rei alicujus utilis et fructiferæ dominium in alterum transferens reservat sibi pensionem annuatim aut certo quodam definito tempore solvendam, dicitur census *reservativus* (*rente foncière*). Quando vero dominus rei, retento dominio, concedit alteri jus percipiendi ex ea annuam pensionem, vocatur census *constitutus*, seu *consignativus* (*rente constituée*). Unde patet in priori casu censualistam retinere e concessione quam ipse facit censuario jus ad pensionem; in posteriori autem censualistam acquirere jus ex concessione censuarii.

Census, præsertim consignativus, iterum distinguitur in realem, personalem, et mixtum. Census *realis* est ille qui constituitur in aliqua certa re fructifera, ex quo de-

beatur census, ita ut obligatio solvendi transeat ad quemcumque hujus rei possessorem, et re pereunte pereat census. *Personalis* ille est qui constituitur immediate in ipsa persona, quæ se suosque successores obligat ad solvendum, sine ordine ad rem aliquam ex qua solvenda sit pensio, quamvis aliunde ista persona debeat habere sive bona sive lucra ex quibus hanc pensionem solvat : et licet res aliqua subjiciatur hypothecæ in hujus census assecurationem, non ideo fit realis, quia res ista non obligatur primo loco, sed in defectum personæ tantum. Hæc pluribus evolvit, et contra quosdam auctores fuse tuetur MOLINA, D. CCCLXXXIII, n° 3 et seq. *Mixtus* demum ille est qui immediate constituitur super re et persona, ita ut utraque æque immediate obligetur, et ex utraque sit pariter solvenda pensio, adeo ut re pereunte debeatur ex lucris personæ, et pereunte persona debeatur ex re.

Si pensio solvenda sit in pecunia, dicitur census *pecuniarius;* si in fructibus, *fructuarius*. Est *certus,* quando pensio certa est designata, ut tot modii ; *incertus,* quando solum pars aliquota et incerta est designata, ut quarta vel quinta pars fructuum.

Perpetuus est, qui vi contractus non habet terminum determinatum, ideoque transit ad hæredes tam censuarii quam censualistæ. *Temporalis* est, qui ex contractu habet terminum determinatum, vel certum, ut viginti annos, vel incertum, ut tempus vitæ sive censualistæ, sive censuarii, aut alterius personæ; in posteriori casu dicitur census *vitalitius, Rente viagère.*

Tandem dividitur in redimibilem et irredimibilem. *Redimibilis* dicitur ad nutum censuarii, aut censualistæ, aut utriusque, quando alterutri, vel utrique competit facultas exigendi ut contractus resolvatur per restitutionem capitalis absque deductione pensionum quæ interim obtigerunt. *Irredimibilis* est, quando talis facultas non competit.

His præmissis, agemus in tribus articulis de censu reservativo, de censu consignativo, et speciatim de censu vitalitio.

Art. 1. *De censu reservativo.*

1044. Census reservativi exemplum deprehendunt auctores in *Genesi*, XLVII, 23, 24, ubi Joseph Ægyptiorum bona in Pharaonis dominium acquisita postmodum Ægyptiis restituit, annua super his quintæ partis pensione Pharaoni reservata. Nulla movetur de ejus legitimitate controversia : qui enim alteri confert rei suæ dominium potest profecto aliquam hujus partem, seu aliquam ex ea pensionem, sibi reservare. Sufficit ut, si conferat titulo oneroso, minuat pretium ratione oneris quod imponit. Cavendum tamen ne postea censualista viis indirectis imponat censuario gravius onus quam ab initio imposuerit.

Census illi apud nos olim receptissimi erant, et vocabantur *Rente foncière*, seu *Bail à rente*. De iis specialem tractatum habet POTHIER. Duplicem speciem ab initio distinguit, *Bail à rente seigneuriale*, *Bail à rente simple*. Primæ speciei census fuerunt initio perturbationis Gallicæ abrogati, primum quidem in eo tantum quod tanquam jus feudale haberi poterat, sed postea cum longe majori extensione sub eo prætextu quod aliquid feudale adjunctum haberent : neque in ea abrogatione servatæ sunt leges justitiæ et æquitatis, prout exposuimus in Prælect. *de Justitia*, n° 593. Alterius vero speciei censuum mutata est natura, prout diximus, *ibid.*, n° 40, et nunc paulo fusius exponendum est.

Census reservativus, ut diximus, erat veluti retentio partialis dominii ; conferebat censualistæ jus in re : unde non poterat redimi, quia nemo cogi potest vendere rem suam. Si igitur censuarius vellet se liberare, id non pote-

rat nisi per rei super qua debebatur census derelictionem, quæ dicebatur *Déguerpissement*. Hinc census illi recensebantur inter bona immobilia, adeo ut super iis constitui posset hypotheca. Hæc per varias leges tempore perturbationis Gallicæ immutata fuerunt. Quando actum est de conficiendo codice Civili, quæstio exorta inter primos redactores an admittendi forent census reservativi, eos in duas partes distraxit, prout refert unus ex illis MALEVILLE, *Analyse de la discuss. du cod. Civ.*, t. II, in fine libri II, p. 141 et seq.; neque dirimi potuit controversia per alios quosdam jurisperitos ad quos isti recurrerunt. In Concilio autem Status, jam ad finem adducta codicis Civilis discussione, actum est de censu reservativo : et tandem post longam discussionem, quæ videri potest *Conférence du Code*, t. III, p. 139 et seq., vel *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente foncière*, §. II, art. V, t. XIV, p. 721 et seq., conclusum fuit non admittendum fore censum reservativum. Præcipua hujus conclusionis motiva indicat MALEVILLE, *ibid.*, p. 142, nec absolute invicta reputat. Hinc additus est art. 530, in quo statuitur quemlibet censum perpetuum institutum velut pretium venditionis, vel tanquam conditionem cessionis boni immobilis, esse essentialiter redimibilem : liberum tamen est censualistæ determinare conditiones hujus redemptionis, et pacisci hanc non habituram locum ante certum quoddam tempus, quod non potest extendi ultra triginta annos. Observat MALEVILLE, p. 143, per priorem restrictionem fere penitus enervari principium articuli : censualista enim poterit census reddere quasi irredimibilem, tales exigendo conditiones ad redemptionem ut censuarii omnino intersit non redimere. Sed, ut advertit DURANTON, t. IV, n° 157, pro non scripta haberetur, utpote fraudulenta, conditio quæ evidenter tenderet ad eludendam præcipuam legis dispositionem.

Expendendum superest 1°. quænam sit præcise mutatio

per prædictum articulum allata; 2°. an extendi debeat etiam ad census reservativos antea existentes.

1045. Quoad I^um^, agnoscunt omnes quemlibet censum hodie computari inter bona mobilia, ideoque non esse, ut olim, partem seu fractionem dominii; censualistam proinde non servare jus in re, sed solummodo jus ad rem, seu esse merum creditorem: censuarium vero esse debitorem, qui non liberatur per interitum rei, nec potest se liberare, ut olim, rem derelinquendo, *en déguerpissant*, sed tantum redimendo censum prout facultas ipsi conceditur. Agnoscunt pariter omnes hoc esse discrimen inter censum qui constituitur pro traditione boni immobilis, et eum qui pro traditione rei fungibilis: prior potest constitui irredimibilis per triginta annos, ex art. 530; posterior vero non nisi per decem, ex art. 1911.

Sed non ita constat an hoc sit unicum discrimen, adeo ut cæteroquin omnes census hodie admissi ejusdem naturæ dici debeant, seu pro consignativis haberi.

Affirmant non pauci; Hutteau, editor *Tractatus* Pothier, *Préf.*, p. xvi; et speciatim Jourdan, in peculiari dissertatione, *Thémis*, t. v, p. 321 et seq.: idemque alii supponunt. Illud deducunt tum ex discussione mox memorata, cujus conclusio sic enuntiatur: *Le Conseil rejette la proposition de rétablir les rentes foncières*; tum ex art. 530, in quo census constitutus, ut dicitur, *pour le prix de la vente d'un immeuble*, qui profecto est consignativus, omnino æquiparatur censui constituto *comme condition de la cession d'un bien immobilier*, qui solus posset haberi ut reservativus; tum ex codice Judiciali, in quo una tantum forma statuitur pro arreptione (*la saisie*) cujuslibet speciei censuum, art. 636 et seq.

Alii tamen asserunt quædam adhuc alia existere discrimina inter censum reservativum et consignativum. Sic 1°. juxta Toullier, t. vi, n° 452, quando census ortum

habet a traditione boni immobilis, si debitor non solvat, potest censualista postulare resolutionem contractus, etiamsi omiserit inscriptionem hypothecæ : in cæteris vero censibus omnino necessaria est hæc inscriptio. Hinc in priori censu, cum reditus non præscribantur nisi per quinque annos, creditor poterit quinque annos exigere; in cæteris vero nonnisi duos juxta art. 2151 cod. Civilis. Sic 2°. juxta TROPLONG, n^is 424, 425, census reservativus speciali modo attingit fructus boni immobilis pro cujus traditione constitutus fuit, adeo ut ille cui legatus esset ususfructus teneretur præstare censum potius quam hæres censuarii. Cæterum, ut ille observat, n° 426, census non potest haberi ut reservativus in sensu de quo nunc agitur, nisi bonum immobile traditum fuerit directe pro eo censu : nam si traditum fuerit pro summa pecuniaria, et pro ista constituatur census, erit mere consignativus. Discrimen inter utrumque modum constituendi explicat DURANTON, t. IV, n^is 147, 148; qui pariter admittit, n^is 152, 153, discriminis rationes quas hic indicamus inter utramque speciem census. Sic 3°. juxta eumdem TROPLONG, n° 488, censui constituto pro venditione fundi applicari non debet art. 1912, ex quo censualista potest exigere ut census redimatur si censuarius suæ obligationi non satisfecerit per biennium : censualistæ sufficit dispositio juris communis in materia venditionis. In eo sensu stat jurisprudentia. Judicium curiæ supremæ, 28 julii 1824, profert ROGRON, ad art. 1912. In eodem sensu citari possunt DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 413; DUVERGIER, n° 365.

1046. Quoad II^um, utrum nempe art. 530 extendi debeat ad census reservativos jam antea existentes, non consentiunt auctores. Juxta TOULLIER, t. III, n° 353, et t. VII, n° 478, cum lex habere non debeat effectum retroactivum, censuarius hujusmodi liberatur per interitum fundi, et potest

se liberare per derelictionem. Census est quidem mobilis et redimibilis, quia id expresse statuit jus novum : sed debitor non debet privari commodo quod ei competebat quando creatus est census. Ita etiam DURANTON, t. IV, nis 143, 151. Contra, contendit JOURDAN, *loc. cit.*, p. 327, omnes census hodie esse ejusdem naturæ, et per easdem regulas regi debere.

Cæterum quoad census consignativos recurret quæstio ejusdem generis, infra (n° 1067, 3).

ART. 2. *De censu consignativo.*

1047. Duo hic expendenda habemus : 1°. an sit licitus ; 2°. quænam esse debeant illius conditiones.

§. 1. *An licitus sit census consignativus.*

1048. Quando invalescere cœpit talis census, non defuerunt qui eum illicitum reputarent, ut jam diximus. Inter eos citatur præsertim HENRICUS A GANDAVO, dictus tempore suo *Doctor solemnis*. Docebat ille census jam legitime constitutos, v. g., quia aliquis donando suum prædium sibi reservavit jus ad quosdam reditus annuos, vel quia princeps alicui assignavit hujusmodi reditus, posse emi a quodam tertio ; cum enim tunc inveniatur verum jus emptioni præexistens, merx pretio emitur, ac proinde usura non intervenit : sed existimabat eum qui data nunc summa pecuniæ emit jus ad censum diu duraturum vel perpetuum committere usuram, quia per præstationes successivas plus accipiet quam dedit : fatetur tamen suam opinionem pluribus displicuisse, et paratum se dicit ad subjiciendum judicium suum determinationi Ecclesiæ. Vid. *Quodlibet.* I, quæst. 39 ; *Quodl.* II, q. 15 ; *Quodl.* VIII, q. 24, et *Quodl.* XII, q. 21. Ejus doctrinam satis fuse exponit THOMASSIN, *Tr. du négoce et de l'usure*, part. II, c. XXI, p. 454 et seq.; qui tamen non satis merito

tribuit Henrico, p. 465, quod ad aliam sententiam paulatim devenerit. Vid. etiam TROPLONG, *Prêt*, *Préf.*, p. CXL et seq., ubi Thomassinum sequitur.

Initio sæculi XV quæstio delata est ad quosdam Patres et Doctores concilii Constantiensis, quorum præstantissimi pro honestate talis contractus subscripserunt, prout refert ZECH, D. III, c. II, §. 195. Sed re nondum plene eliquata, expetitum fuit judicium Martini V et Calixti III; ille an. 1425, iste an. 1455, constitutiones ediderunt quæ insertæ sunt juri canonico, *Extrav. comm.*, III, V, quibus declarant licitos esse nec per bullas contra usuram latas prohibitos contractus qui ipsis propositi fuerant, cum istis scilicet conditionibus: 1°. *Ipsi debitori integraliter in pecunia numerata solvi consueverant;* non agebatur ergo de censu reservativo. 2°. *Bonis in ipso contractu tunc expressis pro ipsius census annui exsolutione in perpetuum obligatis.* Hinc vulgo concludunt theologi agi de censibus realibus. Sed observat PAGÈS, t. I, n° 146, p. 332, rigorosam non esse conclusionem: quia possunt verba allata intelligi de assecuratione per hypothecam, quæ tamen non sufficit ad realitatem census; nihil autem indicat bona fuisse ita obligata ut iis pereuntibus perimeretur census; imo contrarium deduci poterit ex sequentibus. 3°. Semper dabatur *venditoribus facultas quod ipsum annuum censum in toto vel in parte, pro eadem summa denariorum quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandocumque vellent..., possent exstinguere et redimere.* 4°. *Sed ad hoc* (redemptionem) *venditores inviti nequaquam per emptores adstringi valebant, etiam ipsis possessionibus et bonis obligatis penitus interemptis seu destructis.* Agitur ergo de censu irredimibili ex parte emptoris. Postrema autem verba indicare videntur, ut observat PAGÈS, non agi de censibus realibus: nam si census destrui debebat cum bonis obligatis, satis ridiculum fuisset pacisci ut venditor non posset cogi ad

redimendum censum jam non amplius existentem. Ergo intelligi possunt constitutiones de censibus mixtis, aut personalibus cum hypotheca. Idem jam observaverant Soto et Covarruvias apud MOLINAM, D. CCCLXXXVII, n° 2 : neque eam observationem evertere videntur quæ in contrarium affert ipse, n° 12, ad 3 ; præcipuum est quod Conradus Germanus, qui profecto cognoscebat naturam censuum quales erant in Germania, semper ut certum supponat eos cum re in qua sunt collocati expirare : sed verba SS. Pontificum non satis explicat. 5°. Quantitas pretii varia erat pro diversis circumstantiis, et relicta liberæ contrahentium determinationi : aliquando emebantur annui decem pro centum. Cæterum observant ZECH, §. 197, et PAGÈS, n° 145, p. 331, SS. Pontifices approbare quidem contractus cum iis conditionibus initos, quia tales ipsis fuerant propositi ; sed non indicare quod necessariæ sint omnes illæ conditiones : si quædam ergo desint in quodam contractu, dici quidem non poterit ab his SS. Pontificibus approbatus, sed neque pariter reprobatus.

Post has decisiones, quas confirmaverunt quidam alii Pontifices, jam sublatæ fuerunt controversiæ de legitimitate contractus censualis. Sed non statim apertum fuit qualis census foret licitus. Unde seorsim dicendum habemus de variis censuum speciebus de quibus moveri potest quæstio.

1049. I°. DE CENSU REALI. Ex dictis vix ulla esse potest difficultas : hunc licitum esse est doctrina ita communis et certa, inquit BILLUART, D. V, art. I, §. II, p. 297, ut contraria opinio pluribus videatur temeraria, maxime post decisiones allatas SS. Pontificum. Et revera 1°. si agatur de *censu fructuario*, nihil aliud est quam usus-fructus totalis aut partialis : porro nemini dubium est quin liceat usumfructum emere.

Olim quidem, ex edicto Caroli IX, 29 nov. 1565, prohibitum erat censum fructuarium pecunia comparare, prout refert POTHIER, *Rente*, n° 28; quia nempe cum valor fructuum sit variabilis et incertus, metuendum judicabatur ne emptor minori pretio compararet, sicque lucrum ex pecunia a se tradita quæreret : idemque pro Germania et Hispania testatur DE LUGO, D. XXVII, n° 43. Hodie vero non existit apud nos hujusmodi prohibitio. Sed cum taxatum fuerit pretium quo emi potest census, ut infra dicemus, si valor fructuum determinatus, ut dicitur, *d'après les mercuriales*, superaret taxationem legalem, locus esset reductioni. Vid. *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente constituée*, §. II, art. II, n° I, t. XIV, p. 648; DUVERGIER, n^is^ 276 et 323.

2°. Si agatur de *censu pecuniario*, non minus certum videtur hunc esse licitum. Quemadmodum enim possum alteri donare aut legare jus percipiendi pensionem annuam ex meis bonis, ita possum et vendere; quia profecto est pretio æstimabile. Concurrunt omnia ad emptionem requisita, scilicet merx et pretium. Merx quidem, quæ non est, ut supponebant adversarii, ipsa pensio seu pensiones successive solvendæ, sed jus ad illas percipiendas; sicut quando emo agrum frugiferum, non emo fructus annue percipiendos, alias ager nunquam posset satis emi, sed jus præsens ad illos. Jus autem illud distinguitur a pensione pecuniaria, sicut jus percipiendi fructus distinguitur a fructibus. Adest etiam pretium justum, licet de facto pensiones annuæ post lapsum temporis illud superare debeant. Etenim jus ad pensiones annuas communi hominum judicio minoris æstimatur quam omnes pensiones si essent simul collectæ; sicut quamvis fructus agri per multos annos percipiendi, si essent simul collecti, superarent pretium emptionis agri, jus tamen ad illos quod emitur in emptione agri non superat ejus pretium. Et ratio est, quia jus ad

plura minuta per longissimi temporis spatium successive recipienda, et variis incommodis ac periculis obnoxia, æquo judicio minoris valet quam valerent omnia ista minuta simul et semel collecta, nullis incommodis aut periculis obnoxia, et ad quodcumque negotiationis et lucri genus longe utiliora. Ita BILLUART, p. 298.

Uno verbo, in censu reali, si sit fructuarius, emitur pars fructuum; quod certe non minus licet quam ipsum fundum emere : si vero sit pecuniarius, fit insuper permutatio inter tales fructus et tantam pecuniæ summam; quod etiam est omnino licitum. Ita MOLINA, D. CCCLXXXV, n° 14; DE LUGO, D. XXVII, n° 14.

Ex his facile solvi possunt objectiones : quas fusius discutiunt MOLINA, *ibid.*, et COLLET, c. VI, n° 31 et seq., p. 440.

1050. II°. DE CENSU PERSONALI PERPETUO. Non eodem modo sublata est controversia. Quamvis enim, ut vidimus, Martinus V et Calixtus III videantur intelligi posse de tali censu, communiter tamen intellecti sunt tantum de censu reali. Postea S. Pius V, in constitutione *Cum onus*, 19 januar. 1569, quam ex integro referunt plures auctores, inter alios COLLET, n° 18 et seq., p. 436, et *Répert. de Jurispr., ibid.*, §. I, n° IV, t. XIV, p. 646, sic loquitur: *Hac nostra constitutione* STATUIMUS *censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera, et quæ nominatim certis finibus designata sit.... Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci* PROHIBEMUS.... *Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta,* VOLUMUS *ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio exstingui..., non obstantibus aliquibus pactis directe vel indirecte talem facultatem auferentibus.* Sed agnoscunt auctores, et ipse

tenor verborum indicat hanc non esse decisionem, sed legem positivam, quæ vim non habet nisi in locis in quibus est recepta; quod in Gallia, Belgio et Germania non contigisse affirmant auctores. Nec abnuit Benedictus XIV, *de Synod.*, l. x, c. v, n° v, ubi fatetur S. Pium V, supplicante catholico rege Philippo II, indulsisse Hispanis, ne ad suæ constitutionis, quoad eas conditiones quæ juris naturalis aut divini non sunt, exactam observationem adstringerentur. Hinc inter theologos agitari perrexit quæstio, cum ex eodem Benedicto XIV, n° vi, nulla hactenus hac de re ab Apostolica Sede prolata fuerit sententia.

Non pauci, præsertim inter antiquiores, docuerunt censum personalem esse illicitum et injustum. Ita Navarrus, et alii quos citat et sequitur Molina, dicens esse communiorem doctorum sententiam, D. cccLxxxvii, n^is 3, 7; de Lugo, D. xxvii, n° 25: Haunoldus, Tr. x, n° 305 : et e recentioribus Ballerini, *de Jure div. et natur. circa usuram*, tom. ii, opusc. iv, n° 74, p. 147; Concina, et alii quidam. Ratio ipsorum fundamentalis est quod hic in rei veritate nil aliud occurrat quam mutuum cum lucro : qui enim dat mille ut habeat annue quinquaginta, unde fiet quod post annos quadraginta habiturus sit duo millia, quid aliud facit quam mutuare mille, ut post quadraginta annos habeat duo millia? Et revera census personalis nihil aliud est quam jus personale ad certam pecuniæ summam per partes solvendam : atqui secluso periculo et damno tale jus non minus valet quam ipsa summa tota; ergo cum hæc summa successive solvenda longe superet summam traditam, non est æqualitas, nec proinde justitia in contractu. Demum semel admisso censu personali, facile devenietur ad admittendum mutuum cum lucro.

Alii tamen plurimi, præsertim inter recentiores, licitum propugnant censum personalem, modo serventur debitæ

conditiones, quas in paragr. seq. exponemus. Ita DOM. SOTO, l. VI, q. V, art. 1, concl. 4; LESSIUS, l. 2, c. 22, n° 18; SALMANTICENSES, c. IV, n° 26; BILLUART, p. 299, dicens esse certam et communem, et teneri a plurimis antiquis et omnibus fere modernis; COLLET, n° 56, p. 449, multos alios citans; S. LIGUORI, l. 3, n° 840, et alii quos recensere supervacaneum foret.

Prob. 1°. *Ex auctoritate.* Quamvis olim disceptatum fuerit, neque constet de hoc censu intelligi debere constitutiones Martini V et Calixti III, de quo supra, attamen jamdiu ita apud theologos invaluit præsens opinio, et præsertim tam aperte ad praxim deducta est in Galliis, Belgio, Germania, etc., videntibus et approbantibus pastoribus Ecclesiæ, ut jam omne dubium saltem practice sublatum censeri debeat. Quod spectat ad Galliam, olim per multa edicta regia probati fuerant census: multi constituti fuerant ab ipso Gubernio, a Clero Gallicano, a variis provinciis. Sic diversis necessitatibus providebatur absque novo subditorum gravamine. Vid. TROPLONG, n° 420. Et nedum putaretur solum censum realem esse licitum, contra quilibet census consignativus habebatur ut personalis, adeo ut pereunte re ad solutionem assignata non ideo census perimeretur. Ita POTHIER, n^is 105, 106, 214. Idem a fortiori hodie dicendum, cum census inter bona mobilia computentur. TOULLIER, t. VI, n° 455. Unde intelligitur quantum absit ne census personalis pro usurario aut injusto haberetur.

2°. *Ex ratione.* Putandum non est, ut olim quidam existimare videbantur, censu personali hominis personam obligari omni prorsus modo quo obligatur bonum reale, adeo ut possit vendi seu in servitutem redigi defectu solutionis: absit profecto! Sed in eo sensu tantum obligatur quod teneatur pensionem annuam solvere ex labore et industria sua, vel ex suis bonis et lucris quibuscumque,

quemadmodum tenetur solvere ille qui credito emit; et quod hæc obligatio, non secus ac aliæ obligationes personales ex contractu, transeat ad hæredes juxta vires hæreditatis. Ad hoc igitur reducitur census personalis ut aliquis, data semel et irrevocabiliter pecuniæ summa, jus acquirat ad pensionem annuam percipiendam. Porro in tali conventione nihil illicitum reperitur : adduci possunt momenta allata pro censu reali. Nec adest usura, nec injustitia. 1. Non adest usura. Nam usura non reperitur sine mutuo : atqui hic non fit mutuum. Ad mutui enim essentiam pertinet obligatio reddendi post certum tempus rem mutuatam : hic autem non imponitur talis obligatio, sed res data alienatur irrevocabiliter. 2. Nec injustitia. Etenim hic quemadmodum in censu reali reperitur merx et justum pretium. Sicut possum alteri donare aut legare jus ad pensionem annuam, ita possum et vendere pretio per communem hominum existimationem determinato. Ergo, etc. Huic opinioni omnino standum putamus.

1051. III°. De census temporaneo. Intelligitur, ut vidimus, ille in quo pensiones non debentur in perpetuum, sed solum ad tempus determinatum, v. g., ad octo vel decem annos : sed semper supponendum est, ut observat Juenin, *Cas de consc.*, t. II, Tr. IX, c. II, p. 147, eo tempore elapso non esse restituendam sortem principalem; alioquin non esset census nisi de nomine, sed in rei veritate esset mutuum. Jam vero si pensiones solvendæ simul sumptæ non debeant superare sortem principalem, evidens est nullam esse posse difficultatem. Quæstio ergo movetur tantum de casu quo censualista successive recipere debeat plus quam dedit; v. g., si pro 1000 nummis quos dedit recipiat per duodecim annos pensionem annuam 100 nummorum : tunc enim termino eveniente, reipsa recepit 1200 nummos.

Circa hujusmodi censum eodem circiter modo ratioci-

nantur auctores ac circa censum perpetuum. Qui ergo admittunt censum perpetuum realem, non vero personalem, eamdem distinctionem hic afferunt. Ita MOLINA, D. CCCLXXXVI; DE LUGO, n° 34-36. In sententia igitur quam tenuimus, existimamus censum temporaneum, sive realem, sive personalem, licitum esse posse, modo pro sat diuturno tempore constituatur ut sit vera emptio et venditio, non vero mutuum simulatum. Ita LESSIUS, l. 2, c. 22, n° 42 et seq.; COLLET, n° 104, p. 465 et seq., et alii.

Prob. Eadem argumenta quæ probant licitum esse censum perpetuum, ostendunt licitum esse et temporaneum. Id intelligi potest ex eo quod illi qui impugnant posteriorem impugnent simul et priorem iisdem argumentis. Sed insuper videtur per se satis apertum. Etenim si liceat emere jus perpetuum ad partem fructuum, vel ad pensionem annuam, cur non liceret emere jus temporaneum? Certe si censualista det idem pretium, seu non majorem pensionem percipiat quam si ageretur de censu perpetuo, omnino evidens est non committi ab eo injustitiam. Sed etsi aliquid amplius recipiat, non ideo fit injustitia. Quod manifestum erit, si hæc duo attendantur. 1°. Ut observat LESSIUS, n° 43, nulla afferri potest ratio cur communi hominum æstimatione vel principum lege non possit juribus de quibus agitur justum pretium componi, spectatis omnibus circumstantiis quæ solent intervenire. 2°. Pretium illud justum esse potest, etiamsi sit inferius pensionibus successive percipiendis : quod enim supra dictum est hic proportionaliter applicari potest; variæ sunt causæ cur pensiones successive per multos annos percipiendæ minoris æstimentur quam si spectentur collective, et ita judicant omnes homines. Ergo, etc.

Dixi *Modo constituatur pro sat diuturno tempore, etc.*, quia si pro paucis tantum annis constituatur, et ita deter-

minetur pensionis quantitas ut censualista intra illud breve tempus plus recipiat quam dederit, jam conventio illa mutuum usurarium omnino sapiet : locus erit præsumendi censualistam nil aliud intendere quam sortem cum lucro recuperare, et ideo tantum consentire restitutioni divisim et per partes faciendæ ut sibi vel aliis illudat. Insuper tunc deerit ratio cur possit juste plus recipere quam dedit, ex eo nempe desumpta quod ingens pecuniæ summa simul data pluris valeat quam quæ nonnisi post longum tempus et per partes non sine multiplici periculo colligenda est : summa enim post paucos tantum annos recipienda non aliis subjacet incommodis quam quæ communi mutuo adnexa sunt. Quodnam autem tempus exigendum sit, difficile determinari potest. Molina, quoad censum realem quem admisit, exigit plus quam decem annos, n° 5; eum citat, nec improbat de Lugo, n° 36. Billuart, p. 305, profert in exemplum viginti, triginta, aut quadraginta annos. Id multum pendere potest ex variis circumstantiis, ex quibus dijudicari poterit sive de intentione contrahentium, sive de justitia pretii.

§. 2. *De conditionibus census consignativi.*

1052. Plurimæ conditiones exiguntur in Constitutione S. Pii V jam citata : quatuordecim enumerant varii auctores qui in ea exponenda laboraverunt, quales sunt Molina, Lessius, de Lugo, Collet, etc.: has breviter recenset Juenin, t. II, tr. IX, c. III, p. 152 et seq.[1] Sed, ut observat Lessius, n° 74, quæ requiruntur de jure naturæ ad pauca reduci possunt : iis tantum insistemus,

[1] Videri potest etiam Cencius, *de Censibus*, Augustæ Taurinorum, 1638, 2 vol. in-fol. In priori exhibetur tractatus auctoris : in posteriori, post 561 decisiones S. Rotæ Romanæ ad hanc materiam spectantes, exhibetur Glossa Leonelli super Bulla S. Pii V, et tandem subduntur ea quæ de censibus scripsit Molina, Disp. 381–395.

ea simul investigando quæ in jure nostro civili statuuntur. Et quidem, ut ab initio monuimus, directe loquemur de censibus qui acquiruntur per emptionem : data tamen occasione, exponemus ea quæ possunt esse peculiaria censibus alio titulo acquisitis, speciatim ex donatione vel testamento, v. g., iis qui dantur aut legantur ecclesiis, communitatibus, etc.

Punct. 1. *De pretio census consignativi.*

1053. Cum agamus de censu qui acquiritur per emptionem, intelligitur requiri ut pretium sit justum, id est, ut adsit æqua proportio inter illud quod solvit censualista, et censum quem debet percipere. Illud determinatur vel ex communi hominum æstimatione, vel ex auctoritate legis. Jamdiu apud nos lex determinavit pretium censuum, quod diversum fuit pro variis temporibus, ut referunt Pothier, n° 10, Pagès, n° 120, p. 318, Duvergier, n° 237, *Note*, p. 296, et Troplong, n° 443. Aliquando constitui debuit census, ut dicitur, *au denier dix*, aliquando *au denier douze*, *au denier trente*, *etc.*: quæ verba significant pro censu unius danda esse decem, duodecim, triginta, etc. Ex edicto junii 1725 taxatum fuerat pretium *au denier vingt*. Sed lex 11 apr. 1793, declarando pecuniam mercis instar habendam esse, taxationem reliquit contrahentium arbitrio. Hodie cum lex æquiparet censum mutuo, communiter docent jurisperiti censui applicandam esse taxationem factam per legem 3 sept. 1807; ac proinde inter privatos constituendum esse censum ad quinque pro centum, seu, ut olim dicebatur, *au denier vingt*. Ita Duranton, t. xvii, n° 603, quem citat et sequitur Petit, *Tr. de l'Usure*, p. 99 et seq.; Duvergier, n^is 326, 327; Troplong, n^is 361, 443, qui mirum esse ait quod contrarium docuerit Favard de Langlade, *Répert. de la nouv. Législat.*, v° *Intérêts*, n° vii, t. iii,

p. 109. Dicitur *Inter privatos*, quia quando Gubernium recurrit ad censuum creationem, illa lex non attenditur, sed pretium determinatur per licitationem seu concursum qui instituitur inter eos qui volunt emere : in hujusmodi censibus, ait Troplong, est semper aliquid aleatorium cujus ratio haberi debet.

1054. Sed circa illud pretium legale quædam sunt advertenda. 1°. Illa taxatio facta fuit solum in gratiam debitoris seu censuarii, ita ut non possit imminui pretium, v. g., dari pro censu unius minus quam viginti; sed non obstat quominus pretium augeatur, seu aliis verbis quominus censualista percipiat minus quam quinque pro centum. Ratio est quia non nisi ex illa parte occurrit periculum injustitiæ, quatenus timendum est ne censuarius qui indiget pecunia adducatur ad solvendum plus quam quinque pro centum pro summa quam recepit. Ita Pothier, n° 11, qui observat hic non esse ratiocinandum quemadmodum ubi agitur de emptione fundi : qui fundum emit potest decipi circa illius valorem, ideoque si ultra pretium justum solverit recursum habet; at vero is qui emit censum non potest decipi circa ejus valorem, ideoque si solvat ultra pretium taxatum, censetur velle donare excessum; adeo ut non posset ita agere, si ipsi prohibitum esset donare, aut donare tali personæ. Ita etiam Troplong, n° 445. Idem admittunt theologi : de Lugo, D. xxvii, n° 44; Collet, n° 275, p. 514; Pagès, n° 121, p. 320, et alii communiter.

1055. — 2°. Lex allata, ex art. 5, non extenditur ad stipulationes factas antea. Si ergo census ante 3 sept. 1807 constitutus fuerit alio pretio, sicut fieri potuit toto temporis spatio quod effluxit inter legem 11 apr. 1793 et eam de qua nunc loquimur, conventioni standum est, dummodo peculiari aliquo vitio infecta non fuerit. Et revera id sequitur ex principiis generalibus, quæ non

sinunt ut lex habeat effectum retroactivum cum damno jurium jam acquisitorum. POTHIER, n° 16; TROPLONG, n° 444.

1056. — 3°. Hinc deduci potest utrum et quatenus census solvi debeat integer, seu, ut dicitur, *sans retenue*. Quod ut intelligatur, sciendum est olim imposita fuisse per auctoritatem Regis tributa quæ dicebantur *du dixième, du vingtième,* quibus nempe ob necessitates regni Rex exigebat a subditis per aliquod tempus decimam aut vigesimam partem redituum quibus fruebantur. In his adjunctis, censuarius seu debitor census poterat retinere seu non solvere censualistæ decimam aut vigesimam partem census : cum enim ille census constituat reditum censualistæ, non vero censuarii cujus bona æstimari non debent nisi deducto onere censuum, si iste solvisset simul et censum integrum et tributum proportionatum valori integro suorum bonorum, jam solvisset tributum ultra proportionem suorum redituum, et censualista e contrario tributum inferius; igitur quando censuarius persolverat, v. g., vigesimam partem suorum redituum non deducto onere censuum, censebatur solvisse nomine et loco censualistæ vigesimam partem census, quam proinde retinere poterat : et illud est quod vocabatur *payer avec retenue*. Vid. POTHIER, n° 125. Illudque adeo verum erat, ut injusta reputaretur conventio contraria, quatenus nempe hoc erat medium quo censualista perciperet ultra taxationem legalem, cum præter quinque pro centum, v. g., perciperet immunitatem a tributo. *Ibid.*, n^is^ 13, 80 et seq.; COLLET, n° 230, p. 499. Tempore perturbationis Gallicæ, lex 23 nov. 1790 permisit stipulari ut locum non haberet retentio : lex autem 3 febr. 1796 statuit servandas fore conventiones ea de re initas; deficientibus vero conventionibus, standum fore quoad censuum reliquias (*les arrérages*) quæ obtigissent ante 1 julii 1790 legibus tunc

vigentibus, et quoad eas quæ obtigissent post 22 sept. 1796 retinendam fore quintam partem. Tandem lex 3 sept. 1807 taxando pretium seu auctuarium, addit, art. 1, *Le tout sans retenue.* Ex quo intelligitur necessarium non esse hodie ut in conventione mentio fiat de non imminuenda solutione census; de jure enim integer solvendus est: sed ex art. 5 supra memorato, pro censibus constitutis ante 3 sept. 1807 standum est dispositioni legum quæ vigebant quando fuerunt constituti, vel, deficiente lege, conventionibus contrahentium; et in eo sensu judicavit curia suprema, 31 oct. 1804 et 12 mart. 1805; *Répert. de Jurispr.*, v° *Intérêts*, §. VI, n° IV, t. VIII, p. 537.

1057. — 4°. Taxatio legalis directe respicit primam constitutionem, seu, ut aiunt, creationem census. Sed movetur quæstio, an semel constitutus possit emi minori pretio? — Attentis principiis generalibus, dicendum videretur taxationem factam simpliciter et absque restrictione respicere non tantum primam emptionem census, sed et posteriores; ita enim intelligitur taxatio quæ fit quoad alias merces: id reipsa dicunt LESSIUS, l. 2, c. 22, n° 45; DE LUGO, D. XXVII, n° 49; BILLUART, §. III, q. 4°, p. 308, 309, et alii. Attamen agnoscunt iidem auctores fieri posse ut alicubi res aliter se habeat, vel ut consuetudine restrictio inducta fuerit taxationi legali, adeo ut census semel constitutus sit instar aliarum mercium, quarum pretium determinatur æstimatione communi hominum. Jam vero in Gallia satis communiter admissum videtur taxationem non respicere nisi primam creationem. Ita docent *Collat. Parisiens., de Usura*, t. II, l. V, Conf. II, p. 342 et seq.; *Collat. Andegavens., Contrats*, Conf. IV, q. III, p. 550; LA PALUELLE, *Résolut. des plus import. quest.*, part. III, *De l'achat des rentes*, p. 510 et seq., ubi profert plures jurisperitos in eo sensu; COLLET, n° 274,

p. 513; La Porte, *Princip. théolog. sur l'usure*, t. II, p. 380; et alii, quos sequebatur D. Richard: et inter recentiores Pagès, n° 125, p. 321, et D. Bouvier, t. VI, p. 479, quamvis non ita aperte. Unde concludi potest licitum esse emere censum pretio currenti. Quod ut melius intelligatur, indicari possunt varii casus, quia in quibusdam id magis certum est quam in aliis. 1°. Si census vendatur per auctionem publicam (*aux enchères*), applicari possunt quæ diximus de hujusmodi venditione, n° 757: justum pretium determinatur per ipsos licitantes, modo serventur conditiones *ibid.* expositæ. 2°. Si census sit litigiosus, vel difficilis solutionis, si timeatur hujus reductio, etc., tunc de eo ratiocinandum est quemadmodum de chirographis incertis; de quibus antea pariter diximus, n° 748. Et eo major est ratio minuendi pretium, quod, ut observat La Paluelle, p. 514, qui emit chirographum exigibile potest statim urgere debitorem, antequam fiat omnino impar solvendo, dum ille qui emit censum non potest exigere restitutionem sortis. 3°. Si emptor consentiat emptioni in gratiam venditoris, applicari possunt quæ diximus, n° 595, de illo axiomate, *Merces ultroneæ vilescunt*. In his tribus casibus satis concordes videntur auctores, etiam illi qui tanquam principium generale statuunt non posse censum emi infra pretium legale. 4°. Si attenta copia censuum qui venales exponuntur, attento pariter numero venditorum et emptorum, census minoris æstimentur, tunc quamvis res non sit ita aperta, nec idem occurrat auctorum consensus, dicendum tamen videtur licitum esse stare pretio communi: ita *Collat. Ambianens.*, t. IV, p. 101, qui illud admittit tanquam exceptionem principio generali quod in contrarium statuit. Et revera ex ipso facto æstimationis communis, saltem si non sit mere transitorium, sed constans et quasi ordinarium, concludi posse videtur vel taxationem principis non

respicere hujusmodi emptionem, vel taxationi derogatum esse per contrariam consuetudinem.

1058. Cæterum admissa facultate emendi infra pretium creationis, operæ pretium est quædam adnotare, speciatim circa quasdam restrictiones quas afferunt nonnulli auctores.

1. Juxta POTHIER, *Contr. de vente*, n° 579, etiam in foro externo non licet censum emere infra pretium, quando venditor eum assecurat, seu vendit, ut aiunt, *Avec la clause de fournir et faire valoir :* quia cum tunc ipse venditor se debitorem constituat simul cum primævo debitore, dicendum foret censum constitui infra pretium legale. Sed non videmus quare dicatur venditorem se constituere debitorem ; aliud enim est quod sit assecurator seu fidejussor, aliud quod fiat directe debitor. Equidem si pretium talis census decreverit quia ex parte debitoris solutio est difficilis aut incerta, et periculum illud tollatur per fidejussionem, jam dici potest venditorem jus habere ad majus pretium quia per assecurationem compensat id quod deest ex parte debitoris : sed non ideo dicendum quod census sic assecuratus majori pretio vendi debeat quam cæteri census in quibus eadem occurrit securitas ; imo, ut observat *Collat. Parisiens.*, §. 3, p. 359, cum emptor antequam recurrat ad fidejussorem teneatur adire censuarium, quod non fit sine multis incommodis et expensis, planum est concludere censum caducum, ut vocant, etiam post assecurationem, manere minoris pretii. Vid. DE OLEA, *de Cessione jurium et actionum*, tit. VI, quæst. X, n° 2-12, ubi, quamvis eodem modo ratiocinetur ac Pothier, attamen suam sententiam restringit ad casum in quo non viget consuetudo ut census emi possit minori pretio.

2. Juxta LA PALUELLE, p. 518, quando census emitur infra pretium quo fuit constitutus, paciscendum est de-

bitorem seu censuarium, si velit censum redimere, non soluturum emptori nisi summam quam ipse solvit, et excessum tribuendum fore venditori : agnoscit tamen aliquando forte contrarium in pactum deduci posse. Verum non perspicimus quo fundamento id nitatur. Emptor emit jus ad censum integrum, et quidem ex hypothesi pretio justo; venditor recepit pretium justum : ergo nulla est ratio cur emptor totum recipere et retinere nequeat. Non desunt quidem auctores qui contrarium asserunt, ut refert DE OLEA, n° 49 et seq. Sed nituntur præcipue quibusdam legibus positivis ; nec iis assentitur iste auctor, quamvis non satis clare mentem suam aperiat.

3. Docet idem LA PALUELLE, *ibid.*, venditorem census, si solvere ipse teneatur in defectum debitoris principalis, non teneri præstare emptori, sive quoad sortem, sive quoad reditum, nisi proportione habita summæ quam ipse recepit. Verum idem fere observari potest ac in casu præcedenti.

4. Supponit LA PORTE, t. II, p. 384, 385, cum quibusdam auctoribus quos citat in *additione* initio voluminis, p. XII, emptorem census non posse percipere reditum qui sit supra taxationem legalem, ratione habita summæ quam persolvit ad emendum censum. Sed hæc decisio stare nequit cum principiis quæ antea admiserunt iidem auctores : si enim census juste ematur pretio quod sit inferius taxationi legali, necessario sequitur juste percipiendum fore ex pecunia soluta reditum taxationi superius; nisi dicatur tunc imminui census in gratiam debitoris, quod esset contra omnem rationem.

5. Quæ hactenus diximus non respiciunt ipsum censuarium : utrum ipse possit censum a se debitum emere, seu potius redimere infra pretium quo fuit constitutus, est difficultas peculiaris de qua mox dicemus, ubi nempe *de Redimibilitate census* (n° 1062).

6. Circa census præsertim publicos, id est, ab ærario publico vel a diversis societatibus industrialibus persolvendos, multæ iniri solent conventiones, quæ vocantur *Opérations de Bourse*, et de quibus non modicæ moveri possunt difficultates, præsertim quoad forum conscientiæ. De iis nonnulla alio loco dicemus, postquam nempe disseruerimus *de Usura*.

1059. — 5°. Si census emptus fuerit minori pretio quam valeret, sicque emptor injustitiam commiserit, expendunt theologi quomodo debeat eam reparare; an nempe ipsi sufficiat solvere quantum minus dedit in pretio ita ut pretium justum adæquet, an vero debeat etiam restituere pensiones receptas, saltem quatenus superabant pretium pro censu solutum? — Docet MOLINA, D. CCCXC, n° 9, cum quibusdam aliis, restituendas esse pensiones secundum excessum quem habuerunt supra proportionem pretii accepti : quia contractus videtur fuisse irritus quoad illum excessum, ac proinde nullum titulum habet emptor ad eas pensiones retinendas. Alii tamen putant satis esse ut emptor augeat pretium solvendo id quod defuit, et resarciendo damnum si quod fuit. Ita LESSIUS, l. 2, c. 22, n° 107; DE LUGO, D. XXVII, n° 54; HAUNOLDUS, tr. X, n° 314. Ratio est, quia venditor non est fraudatus ex eo quod emptor pensiones perceperit, cum ipsi essent debitæ ex valido contractu, sed quod justum pretium non fuerit ipsi persolutum. Et vero in venditione ordinaria si emptor minus pretium solverit, satisfacit solvendo defectum pretii justi, nec tenetur restituere fructus interim perceptos : nulla autem occurrit valida ratio cur in præsenti casu aliter ratiocinandum sit.

Ob similem rationem, si venditor receperit supra justum pretium, non tenetur restituere quod defuit pensionibus solutis ut corresponderet toti pretio accepto, sed solummodo excessum quem accepit supra justum pretium. Ita DE LUGO, n° 56 ; HAUNOLDUS, n° 315.

PUNCTUM 2. *De redimibilitate census consignativi.*

1060. Census dicitur redimi quando ille qui censum vendendo pretium recepit illud reddit emptori, sicque eximitur a censu persolvendo. Redimibilitas spectari potest vel ex parte venditoris seu debitoris, vel ex parte emptoris seu creditoris : id est, quæri potest an debitor jus habeat propria sponte censum redimendi, an a creditore cogi possit ad redimendum.

I. *Ex parte venditoris.* Communiter agnoscunt auctores non esse essentiale censui ut sit redimibilis ex parte venditoris : est enim species venditionis ; porro constat venditionem esse ex natura sua irredimibilem, nec ulla afferri potest ratio cur necessario aliud dicendum foret de censu. Sed simul fatentur nil obstare quin census constituatur redimibilis : imo æquitati et bono publico omnino consentaneum est ut debitores, qui ordinarie non nisi necessitate pressi census super se constituunt, possint ab eo onere se liberare. Hinc census a Martino V et Calixto III approbati supponebantur redimibiles : et S. Pius V statuit ut census posset *pro eodem pretio exstingui*, non obstante qualibet præscriptione, aut quibuslibet pactis in contrarium, ut supra retulimus (n° 1050).

Apud nos, existimat TROPLONG, n° 434, in jure antiquissimo census fuisse irredimibiles. Sed quando reformatum fuit jus consuetudinarium, statutum fuit censum posse redimi, et velut in axioma transiit jus quod dicebatur *de rachat, ou de franchissement :* quod tanti momenti habebatur, velut ad ordinem publicum spectans, ut pro irritis haberentur pacta quæ illud jus auferre aut coarctare poterant, ut explicat POTHIER, n° 52.

Hodie ex art. 1911 census perpetuus est essentialiter redimibilis : solummodo pactum iniri potest, vi cujus debitor non possit sese liberare ante quoddam tempus deter-

minatum, quod non potest extendi ultra decennium, vel non nisi quodam tempore determinato post præmonitum creditorem. Si pactum iniretur de censu numquam redimendo, olim docebat POTHIER, n° 51, contractum inde effici irritum, nec proinde deberi censum donec emptor huic clausulæ renuntiaverit; sed non omnes ita sentiebant : hodie docent auctores reductioni solummodo locum fore, id est, censum fore semper validum, sed post decem annos redimibilem; ita TROPLONG, n° 440. Propter eamdem rationem, si iniretur pactum de non redimendo censu ante quindecim annos, non prorsus irrita esset clausula ita ut posset venditor statim redimere; sed posset redimere post decem annos. Id concludi potest per analogiam ex art. 1660, qui respicit facultatem redimendi in venditione. Ita DURANTON, n° 611; DUVERGIER, n° 333; TROPLONG, n° 438.

1061. Ut autem intelligatur quomodo fieri possit et debeat illa redemptio, quædam sunt observanda.

1°. Illa redemptio fit per restitutionem pretii quod recepit ille qui censum vendidit. Id supponunt omnes jurisperiti. Si compertum non sit quale pretium solutum fuerit, sive quia indicatum non fuit, sive quia census acquisitus fuit alia via quam solutione summæ pecuniariæ, summa restituenda determinatur juxta taxationem quæ locum habebat quando census fuit constitutus. Ita DUVERGIER, n° 368, post POTHIER, n° 173.

2°. Si census constitutus fuerit juxta taxationem legalem, non potest pactum iniri de restituendo majori pretio quam persolutum fuerit. Tale pactum haberetur ut usurarium, utpote creditori jus tribuens ultra taxationem legalem. Insuper, eo admisso, posset ita augeri pretium ut contra dispositionem legis census redderetur quasi irredimibilis. Ita POTHIER, n° 92; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 414; DUVERGIER, n° 334; TROPLONG, n° 459.

3°. Si pactum incatur de restituendo minori pretio, habendum est ut donatio facta venditori ab emptore : non potest proinde valere nisi in casibus in quibus nil obstat simili donationi. Ita POTHIER, n° 92; *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente constit.*, §. v, n° VIII, t. XIV, p. 658.

1062. — 4°. Nil vetat iniri pactum ut census redimatur, non juxta pretium quo constituitur, sed pretio currenti tempore redemptionis, ita ut si tunc census pluris æstimetur, majori pretio, si minoris, minori redimatur. Tunc enim servatur justum pretium in utroque tempore. Insuper est plerumque contractus aleatorius. Ita docent LESSIUS, l. 2, c. 22, n° 48; DE LUGO, D. XXVII, n° 46; COLLET, n° 278, p. 514.

Sed quæri potest quid dicendum, secluso pacto, si pretium census imminutum fuerit; utrum nempe possit ipse debitor censum redimere infra pretium quo fuit constitutus, in casibus ubi id posset extraneus, ex antea dictis (n° 1057)? — Supponunt communiter theologi non posse venditorem cogere censualistam ad recipiendum præsens pretium, sed debere, si nunc coacte redimere velit, refundere totum pretium quod recepit. Etenim in eo sensu censetur initus contractus, ut vidimus. Ita DE LUGO, n° 48; COLLET, n° 279, p. 515. Sed si ipse censualista censum suum vendere velit, seu venalem exponat, quamvis doceant quidam auctores ipsum debitorem non posse pretio currenti emere, alii tamen dicunt eum non esse pejoris conditionis ac alios; et revera non potest tunc conqueri creditor qui libere vendit, et potest renuntiare pretio majori quod forte reciperet si expectaret donec ipse debitor vellet propria sponte redimere. Ita DE LUGO, n° 47; COLLET, n° 279, p. 515; D. RICHARD. Addunt quidam debitorem libere renuntiare juri quod habet censum non redimendi, et illam renuntiationem esse pretio æstimabilem. Ita LA PALUELLE, p. 518; *Collat. Parisiens.*, t. II,

l. v, Conf. II, §. 8, p. 378. A fortiori si non redimat nisi in gratiam creditoris qui illud expostulat, et redimat cum aliquo suo damno aut saltem incommodo, potest minori pretio emere, juxta ea quæ diximus de venditione generatim (n° 695.) Sed si fraude utatur ad obtinendam imminutionem, simulans se nolle redimere, quamvis reipsa velit, injustitiam committit, nec potest retinere eam partem pretii quam tali modo obtinet. Ita BILLUART, p. 310; COLLET, n° 284, p. 516; D. BOUVIER, p. 478. Pariter si imminutio pretii oriatur ex culpa debitoris, v. g., propter ejus moram aut difficultates in solvendo, fatentur theologi eum non posse hoc imminuto pretio redimere : tenetur contra efficere ut census recuperet suum pretium. Unde decisio quam attulimus non respicit nisi casum in quo imminutio provenit a causis debitori extrinsecis.

1063. — 5°. Redemptio census non potest fieri per partes; id est, nisi aliter conventum sit, non potest debitor cogere creditorem ad recipiendum partem pretii, sed debet illud simul integrum refundere. Id agnoscunt jurisperiti, et sequitur ex principio generali quod statuit art. 1244. Si tamen debitor plures relinquat hæredes, docent plures auctores inter eos dividi censum, non solum quoad solutionem pensionum, ut omnes agnoscunt, sed etiam quoad ipsam sortem, ac proinde posse quemlibet pro sua parte redimere, quemadmodum in mutuo quilibet reddit pro sua parte. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 416; DURANTON, n° 613, qui tamen illud non extendit ad censum olim constitutum; DUVERGIER, n° 336. Attamen contrarium docebat olim post Molinæum POTHIER, n° 190, et agnoscunt auctores mox citati ita reipsa dicendum fuisse sub veteri jure : hodie vero idem docent MERLIN, *Répert.*, v° *Rente constit.*, §. IX, n° III, t. XIV, p. 664, et præsertim TROPLONG, n° 463 : ita enim sta-

tuitur in materia venditionis ordinariæ art. 1667 et 1670 cod. Civilis; jam vero hic agitur de vera venditione, et art. 1911 loquitur de redemptione, quæ vox refertur ad venditionem, non de restitutione qualis locum habet in mutuo.

6°. Debitor non potest censum redimere nisi solutæ fuerint omnes ejus reliquiæ (*tous les arrérages*). Ita jurisperiti, qui illud ita stricte intelligunt, ut si unus ex hæredibus debitoris qui non tenetur nisi pro sua parte velit totum censum redimere, debeat prius solvere etiam partes redituum ab aliis hæredibus debitas. POTHIER, n^is 196, 199; TROPLONG, n^is 465, 466.

1064. — 7°. Census redimi potest per viam compensationis, in eo sensu quod compensatio offerri possit vel opponi a debitore, sed non a creditore : debitor enim potest redimere, sed non cogitur; unde cum redemptio sit ex ipsius parte facultativa, duo debita non sunt exigibilia, nec proinde fit pleno jure compensatio. Sed ut creditor teneatur eam acceptare, necesse est ut tantum debeat ipse quantum ipsi debet censuarius, cum ex dictis iste non possit redimere per partes. Vid. POTHIER, n^is 204 et seq.; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 415; TOULLIER, t. VII, n° 404 et seq., quem citat et sequitur DUVERGIER, n° 335; TROPLONG, n^is 467, 468.

1065. Quæ hucusque diximus de redimibilitate respiciunt census inter privatos. Si agatur de censibus qui solvuntur a Gubernio seu ab ærario publico, nemo nescit quantæ a pluribus annis exortæ fuerint controversiæ circa illorum redimibilitatem, speciatim quoad census qui dicuntur *Rentes* 5 p. 100, quorum prima origo repetenda est ex anno 1793, et quorum pretium a quibusdam annis est supra taxationem legalem, ut dicitur, *Au-dessus du pair*. Quæstio est, an Gubernium possit eos redimere juxta taxationem legalem (*au pair*), quod fieret vel restituendo centum pro quinque iis qui id exigerent, vel im-

minuendo secundum proportionem determinatam censum quotannis persolvendum iis qui non exigerent restitutionem pretii; qui ultimus modus dicitur *la Conversion des rentes*, quatenus nempe pro 5 p. 100 solverentur 4 aut $4\frac{1}{2}$ p. 100. Prævaluisse generatim videtur opinio eorum qui existimant Gubernium non esse pejoris conditionis ac privatos, ac proinde penes ipsum semper esse facultatem se liberandi per restitutionem pretii legalis. Eam satis fuse propugnat TROPLONG, n° 442, p. 382-408, ubi probare satagit nihil esse sive in lege an. 1793, sive in legibus subsequentibus, quod deroget principio constanti et jamdiu in Galliis recepto de redimibilitate census, quod proinde semper exstare dicendum est. Sed non desunt qui putant, abstrahendo a legalitate hujus restitutionis aut conversionis, eam difficile conciliari posse cum principiis justitiæ et æquitatis. Etenim ex una parte, si ratio habeatur primævæ originis censuum de quibus hic agitur, nonne dici potest a justitia alienum esse ut Gubernii creditores, qui an. 1793 coacti sunt perferre jacturam duarum e tribus partibus sui crediti, quando nempe pro iis constitutus est census æquivalens tertiæ tantum parti hujus crediti (qui ideo vocatur *Tiers consolidé*), nunc denuo aliam adhuc reductionem pati cogantur, quando præsertim reponere possunt sibi promissum fuisse, non pretium principale quod in hac primæva constitutione nullatenus determinatum fuerat, sed ipsummet censum seu reditum annuum, cujus securam possessionem jure ac merito sibi polliceri potuerunt, donec ipsis expedire videretur pretium capitale obtinere censum vendendo pretio currenti? Ex altera parte, si pretium censuum imminutum superesset, quemadmodum diutius fuit, infra taxationem legalem, censualistæ profecto non possent exigere aut sperare restitutionem sortis principalis, ut dicitur, *au pair*, sicque deberent vel censum eumdem servare, vel vendendo pati imminu-

tionem pretii : numquid æquitati consonum videtur ut, adaucto contra pretio, non possint exinde lucrum consequi, sed teneantur pati restitutionem huic pretio inferiorem? Sed quidquid sit, præcipua difficultas versatur et verisimiliter diu adhuc versabitur circa opportunitatem talis restitutionis aut conversionis. Hinc est quod lex hanc conversionem statuens jamdiu a multis scriptoribus politicis expetita, et pluries a cœtu Deputatorum admissa, toties a cœtu Procerum rejecta fuerit.

Nostrum certe non est hanc controversiam sub ullo respectu dirimere. Sed satis libenter diceremus quod illustrissimus D. D. DE QUÉLEN, archiepiscopus Parisiensis coram cœtu Procerum aiebat, quando prima vice discussa fuit lex hujusmodi, 31 maii 1824 : « La loi est-elle juste? « ne l'est-elle pas? Peut-on appliquer à l'État débiteur et « à ses créanciers les mêmes règles qui gouvernent les « particuliers? Quand la loi seroit juste dans son principe, « l'est-elle dans le mode qu'elle emploie? Quand elle le « seroit dans l'un et dans l'autre, une justice si rigoureuse « n'est-elle pas communément appelée une injustice? « Cette rigueur de la justice peut-elle être, est-elle avan- « tageuse aux rentiers, et comment la justice pourroit- « elle être si onéreuse?... Autant de questions, et bien « d'autres encore, arduës, difficiles et périlleuses.... J'ai « cherché de bonne foi à les étudier et à les résoudre.... « J'oserai le confesser, malgré l'avis unanime de votre « Commission, la justice elle-même m'a apparu envi- « ronnée de quelques nuages; je l'ai aperçue cependant. » *Opinion de M. l'Archev. de Paris sur le projet de loi relatif au remboursem. ou à la réduct. de l'intér. des rentes cinq pour cent*, p. 6, 9, 11.

1066. II. De redimibilitate census *ex parte emptoris*. Eatenus diceretur census ex ea parte redimibilis, quatenus emptor seu censualista posset cogere venditorem seu

censuarium ad sibi refundendum pretium capitale. Jam vero tres assignantur casus in quibus ea facultas ipsi per legem civilem tribuitur aut agnoscitur. 1°. Si debitor per duos annos omittat satisfacere suæ obligationi; art. 1912. Elapsis scilicet duobus annis quin census persolutus fuerit, creditor potest statim exigere pretium capitale : nec requiritur ut per aliquem actum constituat debitorem in mora, quando census est, ut dicitur, *portable;* sed si sit solummodo *quérable*, necesse est ut per aliquod medium legale constet creditorem postulasse solutionem; alioquin dici non posset debitor obligationi suæ defuisse. Hanc distinctionem sancivit constans jurisprudentia, et admittunt auctores, quamvis reluctetur DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 414, cui videtur sufficere ut constet censum non fuisse solutum per biennium. Si nihil conventum fuerit de modo solutionis, census habetur ut *quérable*, juxta art. 1247, ex quo solutio facienda est in domicilio debitoris. Vid. TOULLIER, t. VI, n° 559; DURANTON, n^is 619, 620; DUVERGIER, n° 342 et seq.; TROPLONG, n° 474 et seq. 2°. Si debitor non tradat assecurationem promissam in contractu; art. 1912. Idem profecto dicendum, si destruat assecurationem jam datam. Vid. DURANTON, n^is 627, 628; DUVERGIER, n^is 340, 341; TROPLONG, n° 489 et seq. 3°. Si debitor incidat in statum decoctionis (*en faillite ou déconfiture*); art. 1913. Apertum est tunc non superesse creditori assecurationem.

Tales sunt casus in quibus censualista potest exigere ut sibi refundatur pretium. Habendi sunt ut consectarium principii, art. 1184 sanciti, juxta quod conventiones resolvuntur propter inexecutionem conditionum quas includunt. In contractu censuali pretium alienatur quidem in perpetuum, ut diximus; sed ea tantum conditione ut censualista et censum percipere regulariter et securus esse possit. Hac ergo deficiente, applicatur principium arti-

culi 1184. Vid. TROPLONG, nos 471, 472. Sed ulterius progreditur art. 1912, ex quo judici liberum non est moram debitori concedere : idem est tunc ac si conditio resolutoria *expresse* apposita fuisset. (Vid. dicta nº 342.) Ita DURANTON, nº 616. Idque omnes jam admittunt : æquum fuit ut lex provideret ne creditor nimiis difficultatibus obnoxius remaneret. Vid. TROPLONG, nº 474-478.

1067. Sed quæstio est quousque illa dispositio legis extendenda sit?

1. Jam vidimus supra (nº 1045) priorem partem articuli 1912 non esse applicandam censui reservativo. Idem dici potest de posteriori. Venditor potest resolutionem contractus postulare, sed non indiget præsenti articulo : ipsi applicantur art. 1654 et seq. *de Venditione* generatim spectata. TROPLONG, nº 496. Pariter in casu decoctionis creditori sufficit jus commune. *Ibid.*, nº 499.

2. Si agatur de censu constituto titulo gratuito, v. g., per donationem aut testamentum, non constat an in casibus articuli 1912 debitor cogi possit ad solvendum capitale. — Ipsi applicandam esse priorem partem articuli 1912 de negligentia in solvendo judicavit curia Rotomagensis, 25 julii 1812, cujus judicium infirmare recusavit Curia suprema, 12 julii 1813, prout in extensum refert MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, vº *Rente de don et legs*, nº II, t. XIV, p. 693 et seq. Verum aliud docent jurisperiti. Articulus enim ille expresse non loquitur nisi de censu qui constitutus fuit titulo oneroso, de quo scilicet agitur art. 1909 : ergo non debet ad alium casum extendi sine ratione convincenti. Porro nedum adsit ratio extendendi, contra multiplex est ratio non extendendi. Articulus enim est valde rigorosus erga debitorem, cum creditori plus juris conferat quam ordinarie competit ex art. 1184 : ille rigor qui facile concipitur erga eum qui pretium recepit et ejus reditum non persolvit, exorbitans videretur erga donatorem. Insuper

ille articulus eo tendit ut resolvatur contractus initus : quomodo autem locus esse potest resolutioni donationis, præcise quia donator non implet suam obligationem? Sufficere ergo debent censualistæ media ordinaria quibus adducat debitorem ad implendum suum promissum. Ita DURANTON, n° 622; DUVERGIER, n° 364; et præsertim TROPLONG, n° 486. Quoad secundam partem articuli 1912 de defectu assecurationis, idem dicendum videtur : ipsa verba ostendunt agi tantum de eo qui pretium solvit, *au prêteur*. Ita TROPLONG, n° 494; qui tamen observat, n° 495, paulo majorem rigorem adhiberi posse, si census donatus fuerit sub aliquo onere, si agatur de hærede donatoris, etc. Idem fere dici potest de casu decoctionis. *Ibid.*, n° 498.

3. Demum si agatur de censibus constitutis ante codicem Civilem, quæstio est an iis eodem modo applicari debeat art. 1912? — Affirmativam partem tuetur jurisprudentia constans supremæ Curiæ, quam sequuntur MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente constit.*, §. XII, art. III, n° II, t. XIV, p. 686, 687, et v° *Effet rétroactif*, sect. III, §. III, art. III, n° XI, t. V, p. 576; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 413; TOULLIER, t. VI, n° 250. Ratio est, quia ea quæ respiciunt exsecutionem contractuum ordinanda sunt per legem temporis in quo locum habere debet illa exsecutio. Non pauci tamen hanc jurisprudentiam impugnant, quasi tribuentem legi effectum retroactivum; contrahentes enim voluerunt pactum inire juxta legem suo tempore vigentem : non debent ergo eorum conventiones immutari. Ita CHABOT, *Quest. transit.*, v° *Rente constit.*, §. I, t. II, p. 281; DURANTON, n° 615; PROUDHON, *Cours de Code*, t. I, p. 40 (64, 65), quem sequitur ejus annotator VALETTE, *ibid.* Existimat TROPLONG, n° 485, standum esse jurisprudentiæ Curiæ supremæ : idemque ultimate docet DUVERGIER, quamvis paulo diversam rationem afferat, n° 355-359.

Extra hos casus, jus nostrum non admittit in emptore jus exigendi ut census redimatur. Ut enim jam vidimus, in eo naturam census reponunt jurisperiti et discrimen a mutuo, quod sors repeti non possit. Si ergo emptor sibi reservaret jus exigendi sortem, jam non adesset census. Sed non ideo pactum illud reprobaretur a lege : cum enim admittat mutuum cum auctuario, non reprobaret indirecte factum quod directe fieri potuisset, nisi per hanc viam obtineretur auctuarium supra taxationem legalem. Ita MERLIN, *Répert.*, v° *Rente constit.*, §. II, art. III, n° III, t. XIV, p. 654.

1068. Sed quæstio est gravis momenti, quid de censu redimibili ex parte emptoris, seu ut communiter dicitur, ex utraque parte, sentiendum sit attento jure naturæ, seu potius in foro conscientiæ; utrum nempe haberi possit tanquam licitus etiam ab iis qui admittunt illicitum esse lucrum ex mutuo perceptum? Cum ea quæstio accurate solvi nequeat nisi instituta comparatione inter censum utrinque redimibilem et mutuum usurarium, ejus solutionem remittimus ad alium locum, ubi nempe agemus *de Usura*.

ART. 3. *De censu vitalitio.*

1069. Quamvis codex noster Civilis agat de censu vitalitio sub titulo *de Contractibus aleatoriis*, jam diximus (n° 920) cur magis opportunum videretur de eo agere cum Pothier et plerisque theologis ubi *de Censu*. Illud melius adhuc intelligetur ex ejus natura, quæ nunc est investiganda.

Census vitalitius generatim ille est qui finiendus est cum vita unius aut plurium personarum in contractu designatarum. Hinc differt tum a censu perpetuo, tum a censu qui dicitur temporaneus, qui nempe persolvendus est tantum per aliquod tempus determinatum alio modo

quam per vitam alicujus. Hinc etiam includit aliquid aleatorium, cum omnino incerti sint dies hominis.

Si censum illum spectemus ex parte tituli quo fundatur, definiri potest : *Contractus quo quis titulo gratuito vel oneroso acquirit jus ad pensionem annuam percipiendam durante vita unius aut plurium personarum designatarum.*

Dicitur 1°. *Contractus,* quia hic est modus frequentior, et quamvis census aliquando debeatur ex testamento, huic applicantur eædem regulæ, proportione servata, ut in decursu explicabitur.

Dicitur 2°. *Titulo gratuito vel oneroso,* quia duplici illo titulo constitui potest census, ex art. 1968, 1969. Utrum et quale discrimen inter utrumque casum agnoscendum sit pariter explicabimus.

Dicitur 3°. *Acquirit jus,* ad indicandum objectum immediatum contractus. Juxta quosdam auctores, non eodem modo ratiocinandum est de censu vitalitio ac de censu perpetuo. In isto, pensio annua habetur ut reditus summæ capitalis, cujus censualista est creditor : in censu autem vitalitio, nulla est summa capitalis; si qua soluta fuerit, est omnino amissa pro censualista : nihil ergo occurrit quod fructus seu reditus producat, sed ipsæmet pensiones annuæ efficiunt sortem, quæ sic per partes successive percipitur. Hinc concludebant quidam auctores, census vitalitios esse computandos inter bona mobilia, etiam in consuetudinibus quæ census perpetuos inter immobilia computabant. Ita Pothier, n° 249, qui tamen fatetur contrariam opinionem prævaluisse in foro (*au palais*) : hunc hodie sequitur Toullier, t. xii, n° 110. Verum docent Delvincourt, t. i, *Notes,* p. 350, et præsertim Troplong, n° 215, nullum esse motivum aliter ratiocinandi de censu vitalitio ac de perpetuo, sed in utroque adesse quoddam creditum seu sortem, et pensiones annuas habendas esse instar fructuum, qui ex illa sorte producuntur. Et revera

in codice Civili inter fructus computantur reditus censuum generatim, absque ulla distinctione, imo et speciatim reditus census vitalitii; art. 584, 588 (vid. *de Justitia*, n° 611), 610, 1401, 1909 et 1910, 1977, 2151, 2277. Hæc omnia evolvit Troplong. Cæterum hodie constat censum vitalitium inter bona mobilia computandum esse; art. 529. Hinc, quamvis contradicat Toullier, *ibid.*, dicendum est cum Troplong, n° 225, censum vitalitium pertinentem ad unum e conjugibus delabi ad communitatem conjugalem nisi aliter conventum fuerit, ac proinde uno conjuge defuncto conjugem superstitem qui censum attulit debere in illius partem admittere hæredes conjugis defuncti.

Dicitur 4°. *Ad pensionem annuam*, id est, ad pecuniæ summam, vel ad aliquam quantitatem fructuum determinatam. Si quis enim, v. g., collata pecuniæ summa jus acquirat ad habitationem, victum et vestitum usque ad vitæ finem, est conventio quam vocant jurisperiti *Bail à nourriture*, sed non est census vitalitius, neque hujus regulis subjicitur. Ita Troplong, *Contr. aléatoires*, n° 230. Sic etiam quando Clemens V, cap. *Monasteriorum*, 1, *de Reb. eccles. non alienandis*, Clementin. III, IV, permittit, in casu necessitatis tantum, ut jura, reditus, possessiones monasterii aut ecclesiæ alicui ad vitam ejus pecunia inde recepta concedantur, quamvis plures id referant ad censum vitalitium, est potius venditio fructuum seu locatio. (Vid. n° 771.)

Dicitur 5°. *Durante vita*, scilicet naturali; census enim non exstinguitur per mortem civilem illius cui debetur; art. 1982. In contractibus enim quando homines loquuntur de vita et morte, intelligunt vitam et mortem naturalem; ne cogitant quidem ordinarie de morte civili. Ita Pothier, *Rente*, n° 256, et alii. Si igitur creditor moriatur civiliter, census ipsi adhuc persolvetur, si sit per

modum pensionis alimentariæ; secus vero, transibit ad illius hæredes. Ita MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente viagère*, n° XIV, t. XIV, p. 804; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 424, quem sequitur TROPLONG, n° 360. Observat iste auctor, n° 352 et seq., debitorem census qui ad censum exstinguendum ipse occideret creditorem suum, non posse fructum percipere ex suo crimine, ideoque cogendum esse ad restituendum pretium quod recepit: cum enim violaverit contractum initum tollendo aleam cujus intuitu pretium receperat, non potest illud retinere.

Dicitur 6°. *Unius aut plurium personarum*, quia census potest constitui, ut dicitur, *sur une ou plusieurs têtes;* art. 1972. Tunc majorem aleam incurrit debitor, ut patet: unde hujus circumstantiæ ratio habetur quando determinandum est pretium census. Quid vero statuendum erit una ex iis personis moriente; faciendane erit census imminutio? — Si personæ designatæ diversæ sint a creditore census, manifestum est censum deberi integrum quamdiu aliqua ex iis superstes est. Sed si census constitutus fuerit in gratiam et super vita duarum personarum, una moriente posset exsurgere aliqua difficultas: unde opportunum est ut ab initio mens contrahentium aperte declaretur. Sed si expressa non adfuerit declaratio, existimat DURANTON, t. XVIII, n° 134, exstingui censum quoad partem debitam personæ defunctæ. Verum juxta alios dicendum est censum integrum deberi personæ superstiti: nam alioquin essent duo census distincti, debiti duabus personis distinctis, non vero unicus census; census haberi debet ut aliquid indivisibile. Ita plures antiqui auctores quos citat et sequitur TROPLONG, qui affert pariter in eo sensu judicium Curiæ supremæ, 18 januar. 1830. Vid. n° 243-246.

Dicitur 7°. *In contractu designatarum*, quia census

constitui potest super vita non solum illius qui pretium solvit, sed etiam alterius qui nullum jus habet hunc percipiendi; art. 1971. Nullatenus necesse est ut ille tertius sit capax contrahendi; siquidem, ut aiunt jurisperiti, non est *in dispositione*, sed tantum *in conditione*. Imo nil obstat quin census constituatur super vita ipsius debitoris, de quo tunc metuendum non erit ne exoptet mortem creditoris : si iste præmoriatur, census debebitur ejus hæredibus. Sed ordinarie census constituitur super vita creditoris; et quando mentio fit de censu vitalitio, res ita intelligitur, nisi aliud exprimatur. Vid. POTHIER, n° 226; DURANTON, n° 128 et seq.; TROPLONG, n° 236 et seq.

Præmissa hac notione generali, accuratius investigandum est quænam sit natura, quænam conditiones census vitalitii, quinam ejus effectus inter contrahentes.

§. 1. *De natura et conditionibus census vitalitii.*

1070. Census vitalitius constitui potest, ut diximus, vel titulo gratuito, vel titulo oneroso; quando constituitur titulo oneroso, id fieri potest duplici modo, ut mox dicemus. Unde triplicem veluti speciem seu hypothesim distinguere possumus.

I. De censu vitalitio qui acquiritur *titulo gratuito*. Census vitalitius constitui potest titulo gratuito, per donationem inter vivos, vel per testamentum; art. 1969. Certe nil obstat quin aliquis alteri hoc modo faveat, nec ullum dubium moveri potest de legitimitate talis census. Non debet tunc reponi inter contractus aleatorios, et subjicitur regulis specialibus.

1°. Quando census constituitur titulo ex omni parte gratuito, servandæ sunt formæ præscriptæ pro donatione, vel pro testamento; art. 1969. Has formas exposuimus in cap. II (n° 540 et seq.).

Dicimus *Ex omni parte* gratuito, quia si pretium sol-

vatur ab uno in gratiam alterius, quamvis adsit liberalitas, non subjicitur formis ad donationem præscriptis; art. 1973. In eo casu est quidem donatio erga censualistam; sed adest contractus onerosus inter censuarium et eum qui pretium solvit, et donatio non est nisi onus seu accessorium hujus contractus, seu donatio indirecta : ergo non subjicitur formis, juxta antea dicta (n° 557); tunc applicatur art. 1121. Vid. supra (n^is 232, 233).

2°. Si census constituatur *per modum donationis*, etiam indirectæ, irritus est quando est in gratiam personæ incapacis accipiendi, reductibilis vero, si superet portionem disponibilem; art. 1970, 1973. Sed cum illa nullitas lata fuerit, non in gratiam illius qui pretium accepit et debet censum, sed in gratiam hæredum donatoris, non poterit debitor se eximere a censu persolvendo, sed tenebitur solvere hæredibus donatoris, donec vixerit donatarius. Ita POTHIER, n° 241 ; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 420, 421 ; DURANTON, n° 142; TROPLONG, n° 252.

Quid dicendum, si duæ personæ census vitalitium emant communibus sumptibus, eo pacto ut uno mortuo devolvatur ad superstitem; haberine debet ut donatio facta superstiti? — Ex principiis quæ alia occasione indicavimus, (ubi nempe *de Substitutionibus*, n° 629, et *de Societate*, n° 879), dicendum est non adesse donationem, sed contractum aleatorium inter has duas personas. Et ita docent jurisperiti : DURANTON, n° 136; TROPLONG, n° 253, qui fuse expendit, n° 254-257, quid statuendum de censu quem, durante matrimonio, maritus comparavit sumptibus communitatis, eo pacto ut integer devolveretur ad conjugem superstitem.

1071. II. De censu vitalitio qui acquiritur *numerata pecunia*. Ille qui jus ad censum acquirit collata pecuniæ summa, eam alienat in gratiam venditoris, qui vocatur etiam *le Constituant* (art. 1977), quemadmodum in censu

perpetuo : imo et perfectius, ut notant jurisperiti ; etenim in censu perpetuo emptor sperare potest sortem fore aliquando refundendam ad exstinguendum censum, dum in censu vitalitio nihil tale occurrit : *Sors totalem sentit mortem,* inquiunt doctores. POTHIER, n° 227; TROPLONG, n° 214. Ille vero qui pretium recipit se obligat ad solvendum censum, non perpetuum, sed vitalitium. Adest igitur, quemadmodum in censu perpetuo, vera venditio et emptio ; sed cum hoc discrimine, quod hic adsit simul aliquid essentialiter aleatorium : emptor enim dat sortem, quæ est aliquid certum, pro reditu quem forte mors præmatura brevi eripiet ; venditor autem pro pretio quod recipit forte diutissime censum persolvendum habebit : sicque est *commutatio periculi.* Illudque adeo essentiale judicant jurisperiti, ut si tollatur alea, applicari jam non debeant plura ex iis quæ statuta fuerunt pro censu vitalitio, intuitu scilicet aleæ. Sic, v. g., si Petrus det Paulo 4000 pro censu vitalitio 200, ubinam erit alea? Quamvis Petrus ad extremam longævitatem perveniat, Paulus nullum damnum patietur, cum solvat tantum auctuarium legale pecuniæ, nec ipse Petrus lucrum percipiet, ob eamdem rationem : adest ergo tantum spes lucri pro Paulo, et periculum damni pro Petro, si citius moriatur ; sed nulla adest compensatio, nec proinde commutatio periculi, seu alea. Ita TROPLONG, n^is^ 211, 212, 288.

1072. Hinc 1°. census taxatio non determinatur per legem, sed pendet a libera conventione contrahentium ; art. 1976. Ratio est quia pretium census varium esse debet pro variis circumstantiis omnino mutabilibus : pendet enim ex ætate ejus ad cujus vitam præstatio reservatur, et ex ejus complexione et valetudine ; item ex ubertate seu penuria pecuniarum, et aliis ejusmodi. Non potuit ergo lex statuere taxationem uniformem. Ordinarie constituitur a 7 ad 15 p. 100. Nec venditor conqueri potest,

si propter extraordinariam emptoris longævitatem nimium onus subire videatur; neque emptor si mox debilitata ipsius valetudo ostendat se potuisse majorem præstationem exigere: *ab initio* judicandum est de justitia talium contractuum, non *ab eventu*. TROPLONG, n° 283-286. Sed si census ita constituatur ut emptor non recipiat nisi eamdem præstationem quam obtinere potuisset in censu perpetuo, tunc censetur donare summam quam solvit et sibi reservare tantum ejus usumfructum vita durante; proinde non posset ita agere erga eum cui donare non posset. Ita POTHIER, n^os 239, 240, quem sequitur DURANTON, n° 155. Sed cum ea donatio perficiatur per traditionem summæ pecuniariæ, non subjicitur formis donationum. *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente viagère*, n° II, t. XIV, p. 796; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 420.

Nota. Ex decreto 23 junii 1806, xenodochia possunt accipere sub censu vitalitio a pauperibus ibi degentibus summas pecuniæ quas tradere volunt; sed census non potest dari ultra 10 p. 100. Si summa non sit 500 fr. major, sufficit approbatio præfecti; si sit ultra, requiritur approbatio Regis.

Hinc 2°. census vitalitius nihil commune habet cum mutuo usurario. Nullum adest mutuum, cum sors refundi non debeat: et excluditur usura per incertitudinem vitæ, quæ facit ut emptor nihil certi lucri exspectare possit, nec venditor damni; et sic propter æqualem incertitudinem contractus in æqualitate consistit. TROPLONG, n° 207.

Hinc 3°. quamvis quidam theologi, qui ab initio, ut vidimus (n° 1048), impugnabant censum perpetuum, impugnaverint quoque censum vitalitium, brevi tamen invaluit, et ab omnibus passim est receptus. Eædem enim afferri possunt rationes quas attulimus pro censu perpetuo vel temporaneo. Quibus addi potest utrumque contrahentem æqualiter subire aleam lucrandi vel amittendi;

ideoque nullam adesse injustitiam. Occurrit quidem peculiaris difficultas, quia evenire potest, et aliquando evenit ut debitor inducatur ad exoptandam mortem creditoris. Sed illud vitium, non contractui, sed personæ tribuendum est. Idem evenire potest occasione successionis, testamenti, etc., quæ tamen non ideo reprobari possunt. Res in se justa damnari non potest eo quod quidam ea possint abuti : quot enim rebus abutuntur homines ! Contra sæpe valde utilis est præsens contractus, utpote suppeditans seni, infirmo, indigenti medium obtinendi congruam pensionem, seu reditum fragilitati suæ vitæ proportionatum. Vid. TROPLONG, n° 210.

1073. III. De censu vitalitio qui acquiritur *per cessionem boni mobilis vel immobilis*. Constat ex art. 1968 censum eo modo constitui posse. Sed quæstio est, utrum tunc haberi debeat ut ejusdem prorsus naturæ, ac ubi constituitur pro numerata pecunia? — Pecunia numerata semper exhibetur ut pretium, et ipsa præstatio annua tanquam res vendita. Sed bonum mobile aut immobile, inquit TROPLONG, n° 217, haberi nequit ut pretium : tunc e contrario bonum illud est vere res vendita, census vero habetur instar pretii ; et illud est quod vulgari loquendi modo diserte exprimitur, quando talis conventio vocatur *Vente à fonds perdu*.

Jam vero, juxta eumdem auctorem, n° 219-223, exinde deducuntur quædam consectaria satis gravis momenti. 1°. Quando agitur de solvendo tributo (*du droit d'enregistrement*), non reputatur census vitalitius, nisi constituatur pro numerata pecunia ; secus, habetur ut transmissio boni mobilis aut immobilis. 2°. Census pro numerata pecunia habetur, quemadmodum census perpetuus, tanquam contractus realis, qui non perficitur nisi per traditionem pecuniæ : ita olim docebat POTHIER, n° 221, et hodie deduci potest ex eo quod census vitalitius exhibea-

tur tanquam pertinens ad censum perpetuum, qui ipse art. 1909 assimilatur mutuo. Si vero census constituatur pro bono immobili, cessio seu venditio illius boni erit contractus consensualis; ante traditionem, rei dominium transit ad emptorem, cui perit; et ipse debet censum a tempore contractus : si moriatur venditor, etiam ante traditionem rei, census exstinguetur, et res pertinebit ad emptorem. 3°. Census pro numerata pecunia est contractus unilateralis eodem sensu quo explicavimus de censu perpetuo (n° 1041) : in altero autem casu, est contractus synallagmaticus. Unde huic applicandus erit art. 1325, qui exigit duplex scriptum : ita DURANTON, n° 157, ubi propugnat censum pro numerata pecunia posse etiam obligare ad instar contractus consensualis, id est, perfectum esse ante traditionem pecuniæ, si ita paciscantur contrahentes; quod etiam admittit DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 418.

Quidquid sit, facile intelligitur censum constitutum pro cessione boni mobilis aut immobilis non minus legitimum esse ac constitutum pro numerata pecunia. Imo magis adhuc aperte recedit ab ipsa usuræ apparentia. Hunc videmus jam in usu a sexto vel septimo sæculo, sub nomine precarii, quo privati, rebus propriis datis Ecclesiæ, recipiebant e rebus Ecclesiæ fructuario usu duplum aut triplum, prout refert THOMASSIN, *du Négoce et de l'Usure*, part. II, c. XXI, n^is^ 14, 15, p. 465, 466, quem sequitur TROPLONG, n° 205.

1074. Ex his omnibus intelligi potest 1°. ad censum, quomodocumque constituatur, requiri ut vivat persona super cujus vita constituitur : si enim tempore contractus mortua sit, licet mors ejus ignoretur, contractus nullum producet effectum; art. 1974. Tunc deest quasi elementum seu substratum contractus, et nulla incurritur alea. Aliud quidem de assecurationibus maritimis statuit codex

Commercii art. 365; validæ habentur, licet res assecurata jam perierit, modo illud ignoretur. Sed, prout diximus (n° 958), illud est peculiare tali contractui, qui pro objecto habet præcavere omnia pericula, etiam præterita, modo ignota. Vid. TROPLONG, n° 261.

Imo idem statuitur de persona jam laborante morbo ex quo mortua est intra viginti dies a die contractus; art. 1975. Adest enim tunc error circa circumstantiam quæ habetur ut substantialis in tali contractu : et si venditor hanc cognoverit, adest insuper dolus, cum tunc nullam aut fere nullam aleam incurrat. Hinc etiam olim quando persona jam morbo laborabat, contractus habebatur ut irritus; POTHIER, n° 225 : sed cum non determinatum fuisset temporis intervallum intra quod mors accidere debebat ut applicaretur decisio, id arbitrio judicis relinquebatur; unde oriebantur multæ lites et difficultates, quas de medio tulit codex Civilis statuendo regulam certam, seu præsumptionem, ut dicitur, *juris et de jure*. Est autem hæc regula omnino generalis, et applicatur etiam quando agitur de morbo ipsius creditoris : quamvis enim non ignoraverit suum statum, potius præsumitur eum falsa spe delusum fuisse, ut toties evenit; qui enim se brevi moriturum putat non init contractum hujusmodi. In eo sensu judicant tribunalia. Vid. DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 425, 426; TOULLIER, t. VI, n^is 46, 47; DURANTON, n° 149; TROPLONG, n° 263-266, qui illud ita stricte intelligit, ut pronuntiet, n° 268, idem dicendum fore, licet facto constaret ægroto perspectum fuisse suum statum, sicque existimari posset eum voluisse donationem facere : si donare intendebat, inquit, non debebat recurrere ad contractum lege irritatum; unde huic applicari potest illud : *Fecit quod non potuit, quod potuit non fecit*. Fatemur donationem non esse facile præsumendam : aliquando tamen tales possunt occurrere cir-

cumstantiæ, ut moraliter constet de voluntate contrahentis, qui donationem simulavit sub specie contractus onerosi; in tali casu videtur validam fore donationem, juxta principia quæ antea exposuimus (nis 169 et seq., et 557).

Sed art. 1975 non applicatur ei qui jam morbo laborans rem aliquam donat, sibi reservando censum vitalitium. Scopus enim articuli est impedire ne lædatur æqualitas, sublata alea; ergo non attingit donationem, in qua non adest alea. Ita judicavit Curia suprema, 18 julii 1836, cujus judicium refert ROGRON, ad art. 1975. Ita etiam TROPLONG, nº 267.

Cæterum advertendum est ex illo articulo non sufficere ut creditor moriatur intra viginti dies : requiritur ut morbo jam laboraret tempore contractus, et ut ex illo morbo moriatur. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 424, 425; DURANTON, nº 146; TROPLONG, nº 270-272. Non applicatur etiam quando census constitutus fuit super vita plurium personarum, quarum una tantum morbo laborat : remanet adhuc alea. Ita iidem auctores, et Curia suprema, 22 februar. 1820, ap. ROGRON.

1075. Intelligi potest 2°. qualis contractus sit census vitalitius. 1. Si constituatur titulo gratuito, non est contractus aleatorius, sed est contractus solemnis, nisi fiat per donationem indirectam aut simulatam (nis 1070, 1074). 2. Si constituatur titulo oneroso, est aleatorius, et non solemnis : si pro numerata pecunia, est saltem ordinarie realis, et unilateralis; si vero pro cessione boni, est consensualis, et bilateralis. Hæc omnia satis exposita sunt.

§. 2. *De effectibus census vitalitii inter contrahentes.*

1076. Sub triplici respectu considerantur hi effectus.

1°. Quoad *alienationem summæ capitalis* persolutæ ab emptore census. Hæc alienatio est, ut jam diximus, ma-

gis absoluta quam in censu consignativo. Attamen cum non fiat pure et simpliciter, sed sub certis tantum conditionibus, omnino consentaneum est principiis ut revocari possit, si hæ conditiones non impleantur. Reipsa statuit art. 1977 censualistam posse postulare resolutionem contractus, si debitor non det securitates promissas : v. g., si fidejussorem promiserit et non constituat, etc. Idem dicendum ex recepta jurisprudentia, si securitates jam datas auferat aut notabiliter imminuat : quod tamen non nimis urgendum monent jurisperiti. Vid. TROPLONG, n° 291 et seq. Sed idem locum non haberet, si securitatum imminutio non oriretur ex facto debitoris. *Ibid.*, n° 295. Hæc resolutio non fit pleno jure, sed requiritur sententia judicis : unde si ante sententiam moriatur ille super cujus vita census est constitutus, vel si debitor satisfaciat suæ obligationi, jam non tenetur sortem restituere. *Ibid.*, n^is 296, 297. Sententia semel lata, sortem restituit debitor, nec potest exigere ut censualista restituat pensiones jam perceptas, etiam quando sunt supra taxationem legalem auctuarii ordinarii pecuniæ ; nam illæ pensiones sunt veluti pretium aleæ quam subiit creditor, ac proinde sunt legitime et irrevocabiliter acquisitæ : sed a die sententiæ, si summa non statim restituatur, jam non debetur coram lege auctuarium, nisi juxta taxationem legalem, quia non est amplius census, sed debitum ordinarium. *Ibid.*, n° 298 et seq. Hæc omnia erant pariter in veteri jurisprudentia admissa. Vid. POTHIER, n° 227-230.

Ex eodem principio concludendum videretur locum esse pariter resolutioni contractus, si debitor non solvat pensiones debitas, quemadmodum statuitur generatim de omnibus contractibus, art. 1184, de venditione, art. 1654, et speciatim de censu consignativo, art. 1912. Attamen statuit art. 1978 non posse censualistam, propter solum

defectum solutionis, exigere restitutionem summæ persolutæ, vel fundi alienati, sed posse tantum exigere ut vendantur debitoris bona, et obtinere ut summa sufficiens adhibeatur ad assecurandum censum debitum. Varias rationes hujus dispositionis afferunt auctores, quas discutit TROPLONG, n° 305-309. Sufficiat dicere cum DEMANTE, *Programme*, t. III, n° 721, p. 340, legislatorem motum per incommoda quæ inducit hæc resolutio, et per difficultatem ordinandi in eo casu jura partium, noluisse ut resolutio fieret propter hanc causam, quæ reipsa minus est favorabilis quam præcedens, quia censualista sibi imputare debet quod nimis facile secutus fuerit fidem debitoris. Non constat an id applicandum sit censibus antea constitutis sub lege quæ resolutionem in pari casu admittebat. Negat CHABOT, *Quest. transit.*, v° *Rent. viagères*, §. I, t. II, p. 284. Eodem modo ratiocinandum videtur ac in casu articuli 1912, de quo supra (n° 1067, 3). Sed quidquid sit, hæc dispositio non obstat quin contrahentes possint inire conventionem contrariam : ita admissum fuit in discussione codicis Civilis, et in eo sensu judicant tribunalia; TROPLONG, n° 310. Si vi conventionis initæ contractus resolvatur, nulla reductio facienda est pensionum jam perceptarum. *Ibid.*, n° 316.

1077. — 2°. Quoad *pensiones a censualista percipiendas*. Quemadmodum irrevocabilis est alienatio summæ persolutæ, ita æquum est ut irrevocabile sit jus ad pensionem annuam. Aliunde cum obligatio hanc solvendi cessare debeat cum vita personæ designatæ, non aderat eadem ratio statuendi redimibilitatem census vitalitii ac in censu perpetuo. Hinc statuit art. 1979 debitorem non posse se liberare a sua obligatione offerendo restitutionem summæ capitalis, et condonationem pensionum jam perceptarum; sed teneri persolvere per totam vitam personæ designatæ, quantumvis hæc protrahatur, ac proinde one-

rosa fiat obligatio. Docet tamen TROPLONG, n° 324-326, posse inter contrahentes iniri pactum ut liceat debitori summam restituere et censum exstinguere, quia nihil in tali pacto injustum occurrit. Contrarium supponere videntur quidam jurisperiti.

Jus ad pensiones non acquiritur nisi de die in diem, ad instar nempe fructuum civilium, quibus assimilantur hæ pensiones, art. 584, 586. Hinc moriente censualista, seu potius persona designata, non debentur pensiones nisi proportione habita dierum quibus vixit; art. 1980. Attamen si juxta conventionem aut titulum pensio persolvenda esset in antecessum (*d'avance*), pars quæ termino adveniente solvi debuit remanet creditori acquisita ab illo die; *ibid.* Olim aliud docebant plures jurisperiti. Vid. POTHIER, n° 248. Sed nostris legislatoribus visum est anteponendam esse regulam allatam, quæ magis consentanea est intentioni præsumptæ contrahentium, et nihil in se illicitum includit. TROPLONG, n° 331-333.

1078. Pensiones illæ simul atque censualistæ acquiruntur sunt inter illius bona, ac proinde sunt pignus ejus creditorum, juxta principium generale art. 2092, 2093. Hinc census constitutus titulo oneroso, seu, ut accuratius loquamur, quem censualista acquisivit titulo oneroso, non potest declarari, ut aiunt, *insaisissable*, id est, subtrahi vindicationi creditorum; art. 1981. Sed ex eodem articulo aliud dicendum de censu quo censualista fruitur titulo gratuito. Etenim ex principio juris : *Unicuique licet quem voluerit modum liberalitati suæ apponere.* Neque donator imponendo hanc conditionem ullum damnum infert creditoribus, siquidem penes ipsum erat censum non donare. Imo quando census constituitur titulo gratuito per modum pensionis alimentariæ, jure præsumitur apposita hæc conditio, licet in donatione vel testamento non expressa; art. 581 cod. Judicialis. POTHIER, n° 252;

TROPLONG, n° 339-345. Juxta hunc postremum auctorem, n° 346-348, ope ejusdem distinctionis solvenda est quæstio, an possit iniri pactum aut statui ut non liceat censualistæ censum vendere (*que la rente soit incessible*)? Ita statuere potest donator : et hæc clausula, quandoque necessaria ne ad miseriam reducatur vir prodigus aut decoctor, benigne excipienda est : neque haberi potest ut substitutio prohibita; quamvis enim imponat onus servandi, non obligat ad reddendum alteri, prout requiritur ad substitutionem prohibitam (n° 623). Sed si census constituatur titulo oneroso, jam neque debitor seu venditor potest hujusmodi clausulam apponere, neque ipse creditor seu emptor potest seipsum jure suo spoliare : nisi ergo interveniat quidam tertius cujus intersit ne censualista censum alienet, qualis esse posset ipsius creditor, et erga quem se obligaverit, valida erit cessio.

1079. — 3°. Quoad *durationem census vitalitii*. 1. Exstinguitur, ut diximus, per *mortem naturalem*, non vero per mortem civilem personæ designatæ. Hinc creditor non potest censum postulare nisi ostendat se adhuc vivere vel personam designatam; art. 1983 : census non debetur nisi conditionate, ac proinde creditori incumbit onus probandi verificari conditionem. Lex ipsa non determinavit modum probandi; id relinquitur prudentiæ judicis. Ex lege 6-27 martii 1791, art. 11, designantur magistratus ad quos pertinet dare testimonia scripta quæ vocamus *Certificats de vie*, (*les présidents des tribunaux de première instance et les maires des chefs-lieux d'arrondissement*) : sed non præcipitur sub pœna nullitatis ad eos recurrere; unde sufficere posset testimonium duorum notariorum, aut unius notarii cum duobus testibus. Quando agitur de censibus ab ærario publico persolvendis, per decreta 21 aug. et 23 septembr. 1806 constituti sunt notarii, quibus hæc cura committitur, qui vocantur *Notaires cer-*

tificateurs : ex edicto regio 30 junii 1814, Parisiis omnes notarii hoc munere perfruuntur; sed eorum testimonium simplex non admittitur ubi agitur de censu a privato quodam persolvendo : exigitur tunc instrumentum quod habeat formam qualem determinat lex notariatus. Id quidem videtur rigorosum. Sed donec aliter statuatur, prudenter aget censualista qui cautiones necessarias non negliget. Ita TROPLONG, n° 362-364.

1080. — 2. Potest etiam census exstingui per *præscriptionem*. Scilicet ex art. 2277 reliquiæ census vitalitii, quemadmodum et perpetui, præscribuntur per quinque annos : neque permittitur ut juramentum deferatur debitori ; quod ostendit præcriptionem non niti mera præsumptione facti. Ipse autem census præscribetur per triginta annos, ut diximus in Tr. *de Justitia*, n° 456. Quidam illud negaverunt, quia existimabant in censu vitalitio non adesse sortem capitalem, sed totum constare ex reditibus qui non nisi successive elapsis terminis acquiruntur, nec proinde exstingui posse per præscriptionem. Sed observat DELVINCOURT, t. II, *Notes*, p. 636, aliud concludendum esse ex art. 588, ut supra vidimus (n° 1069) : et vulgo admittunt jurisperiti censum ipsum vitalitium attingi per art. 2262, quo omnes actiones declarantur per triginta annos præscriptibiles. Docebat POTHIER, n° 259, quando persona super cujus vita constitutus est census fuit diu absens, ita ut non potuerit probari ejus vita, si postea etiam elapsis triginta annis compareat, posse creditorem reliquias censuum repetere, quia *Contra non valentem agere non currit præscriptio*. Sed observat MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Rente viagère*, n° 15, t. XIV, p. 804, illud difficile conciliari posse cum art. 2251, ex quo præscriptio currit contra eos omnes qui non excipiuntur per legem. Imo licet creditor quolibet quinquennio solutionem postulaverit, si deficiente probatione non obtinuerit, eodem

modo valebit præscriptio, quia postulatio non admissa non interrumpit præscriptionem ex art. 2247. Ita Delvincourt, t. III, *Notes*, p. 423; Duranton, t. XVIII, n° 184.

CAPUT XII.

DE CAMBIO.

1081. Cambium generatim sumptum idem est ac permutatio, de qua jam locuti sumus post contractum venditionis (n° 762 et seq.). Sed prout communiter apud auctores sumitur, restringitur ad permutationem pecuniæ pro pecunia. Hinc affinitatem habet cum mutuo pecuniario : ideoque de eo in præsenti loco agimus. Hæc permutatio quæ variis modis perficitur locum dat pluribus quæstionibus, quarum cognitio est confessariis necessaria, quia, ut ait card. de Lugo, D. XXVIII, ut confessarius consulere possit conscientiis mercatorum, necesse habet hujus contractus naturam, ejusque justitiam vel injustitiam notitia non vulgari callere : quamvis, quod dolendum, addit post alium theologum Haunoldus, tr. X, c. III, ejus intellectum difficillimum reddant novæ et quotidianæ mercatorum inventiones, quorum cupiditas excogitavit tot artes lucrandi in contractu cambii, ut superent aciem et acumen ingenii cujusvis. Idem jam antea observaverat Dom. Soto, l. VI, q. VIII, art. I, ubi hanc materiam exhibet ut cognitu maxime necessariam, simul et mercatorum novis quotidianisque inventis intricatissimam. Illud verum erat præsertim quando per ipsas leges civiles reprobabatur quodvis lucrum ex mutuo : tunc enim multa excogitabantur ut prohibitio illa eluderetur. Hodie apud nos necessarium vulgo non reputatur id indirecte et viis simulatis appetere quod directe exerceri potest : sed ad id dirigitur industria ut percipi possit lucrum supra taxationem

legalem. Nobis hic satis erit principia ponere circa ipsum cambium in se spectatum : si qui occurrant hujus modi quibus involvatur mutuum cum lucro, ampliorem de iis disquisitionem remittemus ad locum ubi agemus *de Usura*.

Cambium itaque definitur : *Lucrosa pecuniæ cum alia pecunia permutatio*. Dicitur *Lucrosa*, quia si neutrius contrahentis lucrum adsit, jam nulla occurrit difficultas. Sed non dicimus cum multis theologis *Cum lucro campsoris*, quia sæpe in casibus particularibus satis incertum est uter e contrahentibus dici debeat proprie campsor, unde lucrum aliquando reperitur aut saltem primo intuitu reperiri videtur ex parte alterius. Cæterum quando agitur de lucro, non intelligitur lucrum purum, seu absque ulla compensatione ; cambium enim non habetur ut contractus gratuitus in quo unus alteri favere intendat, sed uterque proprium commodum quærit, et ille qui lucrum percipit affert ex sua parte laborem, industriam, vel aliud hujusmodi, ut in decursu evolvetur : unde quidam in definitione dicunt : *Lucro adveniente ei cui onus et incommodum*. Ita La Porte, *Princip. théologiq. sur l'usure*, t. II, p. 71.

1082. Auctores satis communiter dicunt cambium duplex distingui, *fictum* seu *siccum*, et reale. Prius non est nisi apparentia cambii, id est, merum mutuum sub specie cambii occultatum, v. g., quia fingitur pecunia solvenda in alio loco, dum solvenda est in eodem in quo est tradita, etc. Dicitur siccum, inquiunt auctores, quia non habet humorem ad fructificandum, seu deest titulus lucri legitimi. Alii suspicantur, inquit Zech, diss. III, §. 53, siccum vocari quia mare non transgreditur : cum enim præcipue Venetiis et Genuæ cambia in provincias ultra mare sitas celebrarentur, forte per ludibrium *sicca* appellabantur quæ locum ubi eriguntur litteræ non egrediebantur. Quidquid sit, merito observat Haunoldus,

n° 873, hanc divisionem non esse propriam cambii, sed universalem ad omnes contractus, cum nullum sit genus contractuum in quo non alius sit justus, et alius injustus. Non ergo separatim dicemus de cambio sicco : satis erit, quando occasio occurret, remittere ad ea quæ dicentur ubi *de Usura*.

Cambium itaque *reale* seu verum (quæ quidem verba videri possunt inutilia, et non adhibentur nisi ad sequendum usum receptum) triplex distingui potest, manuale seu minutum, locale, et temporale seu ad terminum.

Cambium *minutum* seu *manuale* illud est quo permutatur pecunia cum alia pecunia præsente, v. g., aurum cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius, ut moneta Gallica cum Anglica vel Hispanica, moneta recens et adhuc recepta cum moneta jam extra commercium posita, etc. Qui pecunias diversas expositas habent ad tale commercium exercendum apud antiquos vocabantur *Argentarii*, *Nummularii*, *Trapezytæ*, *Collybistæ*, de quibus plura dabit Gibalinus, *de Usuris*, l. v, art. vii, t. ii, p. 311, et nunc proprie dicuntur *Cambiatores* seu *Campsores*, gallice *Changeurs*.

Cambium *locale* illud est in quo permutatio pecuniæ ita fit ut pro pecunia uno loco accepta tantumdem alio loco solvatur : quod quidem dupliciter fit : si permutetur pecunia præsens pro distante, v. g., si hic Parisiis tradam campsori pecuniam a me recipiendam Lugduni; et si absens pro præsente, ut si mihi tradat campsor pecuniam quam Lugduni postea recipiet. Ideo vocatur etiam *trajectitium*; et quia ordinarie fit mediantibus litteris quarum ope recuperetur pecunia tradita, dicitur pariter cambium *per litteras*. Quædam ejus vestigia apud Romanos et veteres populos deprehendere sibi videntur plures eruditi. Vid. Gibalinus, *ibid.*; Zech, §. 48; Pothier, *Contr. de Change*, n° 6. Sed quæcumque fuerint rudia ejus exordia,

commerciis dein magis ac magis florescentibus, ad summum perfectionis gradum perductum est cambium, et in artem peculiarem abiit. Qui hanc exercent dicuntur etiam a multis *Campsores*, sed magis proprie apud nos vocantur *Banquiers*, et a jurisperitis et theologis *Bancarii*[1]. Undenam repetenda sit origo hujus artis non constat. Multi e nostris auctoribus eam referunt ad Judæos, qui e Gallia expulsi sub Philippo Augusto an. 1181 et pluries postea, hac via usi sunt ut ope peregrinantium et epistolarum breviorum recuperarent summas quas proficiscendo apud amicos deposuerant. Sed observat *Collat. Parisiens.*, t. II, l. II, conf. 1, §. 2, p. 84, parum probabile esse quod Judæi, propter rapinas et injustitias admissas expulsi, quosdam invenerint qui ipsorum pecunias in depositum reciperent, et cum eis postea negotium haberent. Alii igitur ad Italos referunt; id innuunt, inquit ZECH, §. 49, ipsa vocabula hujus negotiationis propria, quæ omnia Longobardicæ originis esse videntur. Gliscentibus nempe dissidiis Gibellinorum et Guelphorum, multi Itali sedibus suis ejecti, in vicinas provincias se contulerunt, ubi subsidio cambii e patria sua receperunt vel pretium bonorum suorum, vel reditus annuos. Saltem certum est hujusmodi negotiationes jam viguisse sæculo XIII. Vid. etiam FRÉMERY, *Études de Droit commercial*, c. XV, p. 88 et seq.; DELAMARRE et LE POITVIN, *Contr. de Commission*, t. I, p. XI et seq.

Cambium denique temporale, seu potius *temporaneum, à terme*, est illud quo permutatur pecunia præsens cum pecunia post certum tempus solvenda, licet non semper in alio loco. Varia sortitur nomina pro diversis civitatibus in quibus est in usu; sic dicitur cambium Lugdunense, Francofordiense, etc., ut postea paulo fusius dicemus.

[1] Nomen illud deducunt auctores ex *banco* seu tabula super qua olim cambium manuale exercebatur.

Ut hæc omnia paucis complectamur, dici potest permutari posse pecuniam vel pro pecunia præsente, et est cambium manuale; vel pro pecunia alio loco recipienda, et est cambium locale; vel pro pecunia alio tempore solvenda, et dicitur cambium temporaneum. De hac triplici specie sigillatim dicemus.

ART. 1. *De cambio manuali*, seu *minuto*.

1083. Quamvis nonnullas difficultates de eo cambio moverint quidam theologi, communiter tamen, ne dicam unanimiter, jamdiu receptum est licitum esse tale cambium, modo serventur debitæ conditiones.

Prob. Duplici ex parte considerari potest cambium, seu potius lucrum quod ex eo percipitur : ex parte campsoris, et ex parte ipsius pecuniæ. Porro ex utraque parte non desunt tituli quibus fundetur justitia hujus lucri. 1°. *Ex parte campsoris.* Occurrit titulus in officio, sæpe auctoritate publica imposito aut saltem mediante quodam pretio (Gallice dicimus *Patente,* cui tributum majus minusve imponitur) obtento, et in expensis, industria, labore ad illud exercendum : debet enim campsor congregare in magna quantitate pecunias omnis generis ut petentibus satisfaciat, quod non sine magnis expensis et laboribus fieri potest; debet insuper ministros, domum et alia huic commercio necessaria conducere, subire varia pericula mutationis valoris in monetis, infidelitatis ministrorum, etc.; debet pecunias quæ servantur in omnem eventum paratæ relinquere otiosas, et ipse vel ministri interim dum vacant cambio ab alia negotiatione quæstuosa abstinere, unde titulus lucri cessantis : hæc autem omnia sunt certe pretio æstimabilia. Est ergo titulus legitimus, absque ulla injustitiæ aut usuræ labe. 2°. *Ex parte pecuniæ.* Si primo intuitu videatur lædere contractus æqualitatem ille qui dando, v. g., centum nummos in auro,

recipit nummos argenteos ejusdem omnino valoris et insuper quoddam lucrum, satis erit ad difficultatem illam tollendam advertere pecuniam sub duplici respectu considerari posse : quatenus est pretium rerum, seu formaliter ut pecunia; et ratione materiæ, seu formæ, quæ sunt diversæ pro diversis monetis. Jam vero sub priori respectu agnoscendum est pecuniam habere pretium legale a principe taxatum, nec proinde posse sub eo respectu pluris aut minoris æstimari. Sed sub posteriori respectu, non habet nisi pretium vulgare, quia una moneta est commodior quam altera, ad plures usus aptior, facilius potest occultari vel in longinquum transferri, in pluribus regionibus est recepta, etc. : unde fit ut pro variis temporum et locorum adjunctis pluris minorisve æstimetur, quin ullo modo infringatur taxatio principis, quæ hunc respectum non attingit. Est igitur vera merx vendibilis. Illud facilius adhuc intelligitur, si agatur de moneta quæ cursum legalem non habeat in loco ubi initur contractus; tunc enim attendendus est, ut patet, valor naturalis seu materialis. Plura de his subtiliter discussa videri possunt ap. DE LUGO, D. XXVIII, n° 9 et seq.

Confirm. ex praxi ubique recepta, et ex ratione boni publici : multi enim indigent pecunia minuta, multi pecuniis quæ in aliis regnis quo peregrinaturi sunt recipiantur, multi pecuniis quæ facile transferri possint, etc. : his autem variis necessitatibus providetur per cambium, quod proinde a quibusdam exerceri interest omnino boni publici; nec sane exigi potest ut absque ullo suo emolumento exerceant.

Dixi *Modo serventur debitæ conditiones*, quibus nempe removeantur fraus et deceptio, et quarum præcipua est ut servetur justum pretium. Si adsit pretium legale seu lege taxatum, huic profecto standum est : sin vero, servandum est pretium communi consuetudine et judicio

peritorum in hac parte determinatum. Uno verbo, cum hujusmodi cambium ultimate reducatur ad venditionem, servandæ sunt regulæ assignatæ ubi *de Venditione*.

1084. Ex his solvi possunt variæ difficultates quæ circa hanc materiam proponuntur a theologis.

I. *An ille qui artem cambiendi non exercet possit lucrum aliquod percipere ex commutatione pecuniæ pro pecunia?*

Negant Cajetanus, et alii quidam antiqui theologi, quos sequitur D. Bouvier, t. vi, p. 485, quia nullum habet titulum. Affirmant Soto, l. vi, q. ix, et alii quos affert *Collat. Ambianens.*, t. iv, p. 160; Salmanticenses, Tr. xiv, c. iv, n° 8, quos sequitur S. Liguori, l. 3, n° 851 : quia ille privatus idem commodum præstat alteri ac campsor publicus, et semper adest quidam labor et quædam industria. Alii demum, quos sequi videtur Collat. Ambian., *ibid.*, utramque opinionem conciliare volunt : permittunt lucrum, sed minus quam campsori ex professo.

Nobis videtur quæstionem sub duplici respectu considerari posse : ratione lucri in se spectati; in ordine ad campsores, si juxta leges quibusdam reservatum sit illud officium. Sub priori respectu, privatus quilibet non habet quidem omnes titulos quos habet campsor; sed tamen cum pecunia in cambio spectetur tanquam merx, ut diximus, nil vetat quin eam vendat pretio currenti, quemadmodum et ipsi mercatores. Et certe si quis pecuniam pretiosiorem deferat ad campsorem recepturus minus pretiosam, v. g., si deferat aurum recepturus argentum, nemini dubium esse potest quin possit lucrum ab ipso recipere : sic enim emunt ipsi campsores ut postea carius vendant, quemadmodum fieri solet in aliis mercibus. Sub posteriori respectu, videndum quid præcise ferant leges, si quæ latæ sint. Sed ordinarie etsi prohibeatur ne quis propria auctoritate et ante solutum quoddam tributum munus campsoris assumat, non est tamen vetitum privatis ne data occasione

cambiant, etiam cum lucro. Et etiamsi vetitum esset, dicunt multi privatum hunc saltem non teneri ad restitutionem, quia nec reipublicæ damnum infert, nec ei quocum cambit. Sed dici potest cum COLLET, c. v, n° 50, p. 426, eum qui munus campsoris clanculum exercet, non obtento privilegio, damnum inferre iis qui privilegium illud data pecunia obtinuerunt, juxta principia quæ exponuntur ubi *de Legibus Tributorum*, quo spectat iste quæstionis respectus.

1085. II. *An etiam in ordine ad emptiones vel debitorum solutiones possit certa quædam species pecuniæ, v. g., aurum, æstimari supra taxationem legalem?*

Plura ea de re afferunt theologi; sed vix potest esse alia quæstio quam de nomine, ut monet DE LUGO, D. XXVIII, n° 15-17, quem sequitur GIBALINUS, *de Usuris*, l. v, c. I, art. III, n° 1 et seq., t. II, p. 299. Eatenus id licitum erit, quatenus aderit quædam permutatio, saltem virtualis aut implicita. Sic si quis ex pacto teneatur solvere in moneta pretiosiori, v. g., auro, non poterit illam computare supra valorem legalem, quia cum creditor ad illam jus habeat, nulla præsumi potest aut dari permutatio. Sed si non adsit speciale pactum, certum est debitorem posse solvere in quacumque moneta legali : si ergo paratus sit, v. g., solvere cum argento, et creditor postulet aurum, poterit debitor deducere pretium commune quo æstimatur aurum supra argentum : idem enim est ac si primum solveret cum argento, et postea fieret permutatio; fit nunc virtualiter et implicite. Idem dicendum, si debitor offerat aurum eadem conditione, et creditor libere acceptet. Sed non potest creditor cogi ad acceptandum, quia non tenetur permutationem pati : unde si nolit pretium solvere, tenebitur debitor vel solvere in alia moneta, vel dare monetam etiam pretiosiorem secundum taxationem legalem.

1086. III. *An ille qui cambium exercet cum pecunia aliena possit retinere lucrum ex eo perceptum?*

Si id peragat ex mandato domini pecuniæ, vel tanquam illius socius, certum est standum esse conventionibus inter eos initis. Agitur ergo tantum de eo qui sic adhibet pecuniam alterius absque illius consensu; v. g., de famulo qui, accepta a domino pecunia aurea ad solvendum creditori, vel ad emendum domui necessaria, hanc permutat cum pecunia argentea, pro qua permutatione lucrum accipit, et cum hac ultima pecunia exsequitur mandatum domini. Docent satis communiter auctores hunc posse regulariter lucrum illud sibi retinere, quia est fructus illius industriæ; et aliunde nullum damnum infert sive creditori, sive domino. Dicitur *Regulariter*, quia agnoscunt duplicem casum excipiendum esse. 1°. Si damnum inde patiatur dominus, v. g., quia pecunia quacum auream permutavit, et quæ est de se magis mutationi obnoxia, reipsa mutationem passa est; ex quo fit ut major quantitas jam adhiberi debeat a famulo ut mandato domini satisfaciat : detrimentum illud tenetur compensare. 2°. Si pariter creditor damnum patiatur, v. g., quia intentio domini erat ut ei traderetur pecunia aurea, quacum lucrum aliquod consequi posset : tunc famulus tenebitur eum indemnem præstare, habita ratione probabilitatis lucri quod fuisset ab eo percipiendum. Ita post plures doctores quos citat *Collat. Ambianens.*, t. IV, p. 162 et seq.; MOLINA, D. CCCCII, n° 2 et seq.; DE LUGO, n^is 24, 25; GIBALINUS, n° 8 et seq.; BILLUART, D. V, art. II, §. II, p. 316; JUENIN, *Cas de conscience*, t. II, tr. X, c. IV, p. 169. Contrarium quidem docet COLLET, n° 51, p. 427, eo quod famulus ille artem sibi prohibitam exerceat cum jactura domini sui, cui contigisset lucrum quod cessit famulo. Sed ex modo dictis hæc ratio non valet : et ipse Collet, n° 52 et seq., contra Concinam probat in locis

in quibus omnibus licet cambium exercere posse famulum tale lucrum facere. Idem docet *Collat. Ambianens.*, p. 192, de depositario pecuniæ alienæ, quia eadem militat ratio.

Cæterum vulgo monent auctores peccare famulos qui sic negotiantur de pecunia dominorum, qui ægre ferre solent talem pecuniæ suæ, se invitis aut inconsultis, contrectationem. Sed si nullum incurrant periculum damni inferendi, ut facile evenire posse concipitur quando cambium et solutio nulla mora interposita fiunt, videntur excusari posse saltem a peccato gravi.

1087. IV. *An liceat cambire monetam infra valorem legalem, propter timorem ne brevi valor ille minuatur, seu aliis verbis, an campsor qui talem monetam recipit possit ea de causa majus lucrum sumere?*

Si privata scientia tantum hanc imminutionem seu imminutionis periculum noverit, videtur non posse hujus rationem habere in pretio cambii : quamdiu enim illa imminutio ignoratur, moneta retinet valorem suum, non solum legalem, sed et vulgarem seu in communi hominum æstimatione. Advertit tamen Collet, n° 62, p. 429, licitum esse debere huic campsori cambium in iis circumstantiis denegare : quia æquum non est ut teneatur damnum pati in gratiam campsarii, qui forsan ejusdem imminutionis non ignarus jacturam suam redimere studet jactura alterius.

Sed si communiter notum sit periculum hujus imminutionis, agnoscunt communiter auctores exinde minui valorem monetæ, quemadmodum in tempestate aliove periculo merx minoris valet et potest emi minori pretio. Itaque quamvis, donec locum habuerit imminutio prævisa, possit hæc moneta juxta valorem legalem adhiberi ad usus consuetos, quia servat valorem legalem, nihilominus in ratione mercis non servat valorem naturalem seu communem, ideoque potest minoris æstimari in cam-

bio. Hæc facile intelliguntur ex dictis. Vid. DE LUGO, n° 18; GIBALINUS, n° 6.

ART. 2. *De cambio locali*, seu *per litteras*.

1088. Ut de hoc cambio judicium ferri possit, paulo fusius exponendum est quænam sit hujus natura, quænam species, quænam personæ ad illud concurrant, quænam obligationes ex eo exsurgant, undenam repetenda determinatio pretii in eo solvendi. Duplici præsertim modo fit cambium locale. Si ille qui onus suscipit ut pecunia alio loco solvatur se obliget directe ad solvendum, dicitur *cambium personale* : scriptum ordinarie dicitur *Billet à ordre*, seu *à domicile;* qui se obligat, vocatur subscriptor, *souscripteur;* ille vero erga quem obligatur, *beneficiarius, bénéficiaire*. Si autem qui onus suscipit cuidam tertio mandet ut solvat loco convento, scriptum illud dicitur *Lettre de change*. Qui scriptum illud exarat, juxta stylum commercii dicitur *le Tireur*, Latine apud auctores *trassans:* ille in cujus gratiam exaratur, vocatur *le Preneur;* ille vero cui trassans imponit onus solvendi, dicitur *le Tiré, trassatus*, qui si onus illud susceperit, dicitur *Accepteur, acceptans*. Cum vero nimis onerosum foret illi in cujus gratiam litteræ conscriptæ sunt ut semper teneretur per seipsum solutionem recipere, ipsi relinquitur facultas jus suum alteri transmittendi per cessionem, vel mandatum, quæ ordinarie scribuntur in dorso litterarum, et ideo vocantur *Endossement, indossatio* : ipse cedens aut mandans dicitur *Endosseur, indossator;* recipiens vero, *Endossé, indossatarius*. Vid. PARDESSUS, *Droit commerc.*, t. 1, n° 23-25. Qui pecuniam alio loco recipiendam tradit, dicitur *le Donneur de valeur, remittens*. Ille demum qui solutionem exigit, litteras cambiales exhibendo, dicitur *le Porteur, lator, præsentator, exactor*. Pecunia quæ data est a remittente alio loco recipienda, in litteris cambialibus dicitur apud

Latinos *Valuta*, Gallice *Valeur* : ea vero quæ penes trassatum est aut esse censetur ut solvat, vocatur *Provision*[1]. Tale est cambium quale fit ordinarie, et de quo præsertim hic agimus.

1089. Ex his notionibus intelligi potest varias oriri ex contractu cambii obligationes, prout breviter exponit Zech, D. III, §. 61 et seq., et multo fusius Pothier, cap. IV, n° 51 et seq. 1°. Inter remittentem et trassantem : prior obligatur ad præstandam valutam, vel statim, vel, si ita conventum fuerit, quando ipsi acceptatio facta innotuerit ; posterior autem obligatur curare ut pecunia conventa, loco et tempore convento, præsentanti solvatur. Hæc est obligatio principalis, quæ præcise constituit cambium : unde patet esse permutationem inter pecuniam uno loco traditam et pecuniam alio loco tradendam ; sicque huic applicari principia venditionis, quemadmodum vidimus *de Permutatione* generatim (n° 762). Cæteræ obligationes exsecutionem negotii cambialis respiciunt. 2°. Inter trassantem et trassatum intercedit species mandati, cum iste acceptans se obliget ad solutionem pro alio præstandam. Unde cambium acceptare invitus non tenetur, nec solet acceptare nisi prius per litteras avisorias certior reddatur qua ratione sibi satisfacturus sit trassans. 3°. Si remittens sit diversus a præsentante, inter utrumque diversa potest esse obligatio : aliquando præsentans fit dominus cambii, si istud restituta valuta emerit ; aliquando est mandatarius tantum, si pecuniam nomine remittentis exigit. 4°. Cambio acceptato, exoritur obligatio acceptantis erga præsentantem ; sed cum agat ex mandato et negotio alieno, si postea deneget solutionem, potest in eo

[1] Apud multos auctores veteres eo nomine intelligitur pensio seu salarium quod campsori solvitur. Sed in codice Commercii, art. 116, et apud jurisperitos hodiernos vox illa communiter sumitur in sensu quem hic damus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

casu conveniri trassans, tanquam mandans principalis. 5°. Si factæ sint una aut plures indossationes, indossatarius succedit in locum campsarii (*du preneur*), et indossans respectu ejus repræsentat trassantem; perinde enim est ac si indossatarius pecuniam cambio daret indossanti, et ab eo litteras cambiales acciperet. Unde indossatarius et indossantem et trassantem sibi obligatum habet; et si hoc sæpius fiat, indossatarius ultimus omnes indossantes obligatos habet. Igitur, ut observat PARDESSUS, t. II, n° 319, cambium est quasi compositio plurium contractuum: habet nihilominus naturam suam specialem, nec confundi debet cum cæteris contractibus, etiam cum iis ex quibus efformatur; sed potius ex illa compositione exsurgit contractus specialis, qui regitur principiis sibi propriis, ut observat etiam TROPLONG, *Prêt*, n° 38, et pluribus evolvit THIERIET, professor in facultate Argentinensi, *Revue de Législation*, juill. 1846, nouv. série, t. v, p. 295-297.

1090. Sed ut ea principia rite applicentur, advertendum est cum POTHIER, n° 3, et PARDESSUS, t. II, n° 318, non confundi debere contractum cambii cum litteris cambii, quæ sunt hujus exsecutio. Sæpe quidem contractus non initur nisi quodam modo implicite, quando nempe statim traduntur litteræ: sed si statim non tradantur, potest antea existere contractus, et quidem perfectus.

Itaque contractus cambii in se spectatus est *consensualis*, et *non solemnis*. Statim ac inter nos convenit te mihi daturum esse litteras cambii, et me tibi talem summam soluturum, contractus perfectus est, inquit POTHIER, n° 51, et obligatio mutua existit. Talis conventio non aliis formis subjicitur quam venditio et aliæ conventiones commerciales, et quoad ejus probationem applicanda sunt quæ generatim statuuntur de probatione obligationum commercialium. Si hæc conventio scripto ineatur, vim habet juxta formam talis scripti; sed non tenet

locum litterarum cambii, quarum est mera promissio, et a quibus essentialiter differt. Hinc etiam tali conventioni non applicatur art. 189 codicis Commercii, ex quo actiones quæ spectant ad litteras cambii præscribuntur spatio quinque annorum : sed hæc obligatio, sicut aliæ obligationes, subjicitur præscriptioni ordinariæ. Perfecto igitur contractu, tenetur quilibet contrahens implere suam obligationem : neuter potest a contractu resilire sine consensu alterius, nisi novæ supervenerint circumstantiæ quibus censeri possit solutus a sua obligatione. Si tamen alteruter suæ obligationi desit, illud adest discrimen inter utrumque : obligatio illius qui litteras promisit est obligatio faciendi, ac proinde ejus violatio dabit tantum locum compensationi damnorum juxta art. 1142 cod. Civ., sed non poterit alter obtinere ut, v. g., litteræ exarentur auctoritate judicis, etc.; dum contra obligatio illius cui litteræ tradendæ erant est obligatio dandi, ac proinde poterit alter offerendo litteras obtinere ut cogatur ad solvendam summam promissam. Sed licet perfectus sit contractus, ille cui promissæ sunt litteræ non ideo acquirit dominium summæ destinatæ solutioni, seu provisionis : unde si ille qui futurus erat *trassatus* solveret ob eam solam promissionem, et ante litteras cambii, summam quam debet futuro trassanti, non liberaretur, quia nondum accepit mandatum solvendi. Hæc omnia fusius exponit PARDESSUS, n° 321-328.

1091. Litteræ autem cambii, quæ sunt exsecutio præfati contractus, subjiciuntur formis specialibus. Scilicet cambium proprie dictum producit obligationes strictissimas, sive inter contrahentes, erga quos habetur ut actus commercii etiamsi causa sit extranea commercio, sive erga eos ad quos transmittuntur litteræ, qui sæpe exponuntur jurium suorum imminutioni (*à des déchéances irréparables*). Ideo lex varias præscripsit formas, quæ rigorose requi-

runtur ut obtineantur tales effectus, adeo ut dubitandi locus sit, inquit PARDESSUS, n° 316, an liceat uti verbis æquipollentibus. Hinc quidam legislatores non omnibus liberum reliquerunt tales operationes inire : apud nos, statuit tantum codex Commercii, art. 113, 114, litteras cambii subscriptas a mulieribus commercium non exercentibus valere tantum ut meras promissiones, seu obligationes civiles; subscriptas vero a minoribus non exercentibus commercium irritas esse erga ipsos, salvis juribus respectivis partium, juxta art. 1312 cod. Civilis. Jam vero forma litterarum cambii determinatur art. 110 cod. Commercii : « La lettre « de change est tirée d'un lieu sur un autre. — Elle est « datée. — Elle énonce la somme à payer, — le nom de « celui qui doit payer, — l'époque et le lieu où le payement « doit s'effectuer ; — la valeur fournie en espèces, en mar- « chandises, en compte ou de toute autre manière. — « Elle est à l'ordre d'un tiers ou du tireur lui-même. » Ad nostrum scopum non spectat explicare has conditiones : videri potest PARDESSUS, n° 332-540. Si vel una omittatur, inquit ille, n° 331, litteræ vel carent effectu, vel saltem minores effectus obtinent ac litteræ perfectæ. Scilicet ex art. 112 cod. Comm. pro simplicibus promissis habentur litteræ cambii in quibus adest suppositio sive nominis, sive qualitatis, sive domicilii, sive locorum ubi exarantur vel ubi solvendæ sunt. Si vero omittatur quædam ex formis præscriptis, et tamen non desint ea quæ sunt essentialia ad contractum qualemcumque, valebit actus in sua specie, v. g., si trassans velit se liberare erga suum creditorem, erit solutio; si velit mutuum præstare ei cui tradit litteras, referetur ad mutuum; si velit tantum ut exactor summam nomine suo recipiat, erit mandatum, etc.; hujusmodi litteræ imperfectæ vulgo dicuntur Gallice *Mandat*. Non habentur ut actus commercii, nisi exaratæ dicantur pro negotio commerciali, vel nisi ineun-

tur inter commercium exercentes. Sunt tamen capaces *indossationis*, quia hæc transmissionis via non est propria solis cambii litteris. Qui eas detinet curare debet ut suo tempore solvantur : sed ad id obtinendum ea tantum præstare tenetur de quibus inita est conventio, vel explicita, vel implicita tantum juxta circumstantias et usum communiter receptum. *Ibid.*, n° 457-467.

1092. Ex his omnibus concludi potest cambium duplicis speciei distingui posse, solemne nempe, et non solemne, prout initur per litteras cambii cum omnibus formis legalibus exaratas, vel non. Cambium solemne est semper actus commercii, excepto casu ubi initur a muliere vel minori. Cambium vero non solemne non est per se actus commercialis, sed tantum quando initum exprimitur pro negotio commerciali, vel quando initur inter commercium exercentes. Porro haud modicum existit discrimen inter cambium commerciale, et non commerciale. 1°. Generatim loquendo in actibus commercialibus majori periculo exponitur ille qui accurate non sequitur ea quæ leges ad consulendum juribus eorum ad quos interest præscribunt, sive quoad varias formas servandas, sive quoad tempus quo servandæ sunt vel quo exigenda est exsecutio obligationum, sive quoad cautiones adhibendas ubi non obtinetur suo tempore ea exsecutio, etc. : etenim ob securitatem commercii simul ac celeritatem, facilius coram lege e jure suo excidit ille qui ea negligit quæ peragere debebat, aut saltem privatur variis commodis seu privilegiis quæ in materia commercii tribuuntur ad propriorum jurium vindicationem. Non ideo quidem semper perimitur in conscientia jus illius, nec tollitur obligatio naturalis et conscientiæ ex parte illorum qui erga ipsum obligati fuerunt sive ratione conventionis, sive ratione rei acceptæ : attamen fieri potest ut, si quidam ex illis fiant obligationi implendæ impares, creditor qui sibi imputare debet quod

contra eos tempore aut modo opportuno non egerit recursum suum contra alios amittat. Porro vix ullus est actus commercii in quo hæc facilius evenire possint quam in litteris cambialibus. 2°. In materia commercii sæpius et facilius locus est apprehensioni corporis (*à la contrainte par corps*), ut postea dicemus, ubi *de Accessoriis Contractuum* (cap. XIV) : speciatim huic locus est sive quoad cambium solemne, quando agitur de summa principali 200 fr. et supra, cum quibusdam tamen restrictionibus, sive etiam quoad cambium non solemne, quando agitur de negotiis commercialibus. *Ibid.* Plurimi igitur interest in casibus particularibus distinguere quale præcise cambium exerceatur, an commerciale, an non commerciale.

1093. Sed quodcumque sit, difficultates quæ oriri possunt pro foro conscientiæ respiciunt præsertim pretium quod pro cambio solvitur. Pretium illud fundatur quidem primum in officio campsoris, qui multas expensas perferendas habet, ut diximus loquendo de cambio manuali : sed insuper desumitur ex pluribus circumstantiis mutabilibus [1]. Si supponeretur parem pecuniæ quantitatem mittendam esse, v. g., e Lutetia Lugdunum et e Lugduno Lutetiam, et simul præsto adessent omnes creditores et debitores qui secum invicem paciscerentur, transmissio fieret cum solis expensis modo memoratis. Sed plerumque major pecuniæ quantitas in unam urbem mittenda est quam exinde retrahenda : aliquando non adeo pervium est commercium cum una urbe ac cum altera. Cum insuper aliquod occurrat periculum, sive in pecunia in alium locum mittenda, sive in recipiendis pro pecunia simplicibus litteris quibus forsan non satisfaciet trassatus, horum et

[1] Dicit quidam apud FRÉMERY, *Étud. de Droit commerc.*, c. XV, p. 87 :

Change et vent
Changent souvent.

aliorum hujusmodi ratio habetur inter contrahentes, et ut inducatur æqualitas pretium ab uno alteri solvitur, quemadmodum in permutatione rerum inæqualium. Illud est quod Gallice dicitur *Prix du change*, vel simpliciter *Change* : et cum naturaliter idem aut fere idem sit in variis conventionibus quæ ineuntur eodem tempore et inter easdem urbes, inde efformatur quod vocant *Cours du change*. Dicitur pretium illud *au Pair*, quando pro summa recipienda in uno loco par summa solvitur in altero : dicitur cambium esse *Pro tali urbe*, quando pro summa in ea urbe recipienda major summa in alia persolvenda est; *Contra talem urbem*, quando minor. Vid. PARDESSUS, t. 1. n° 26. Idem aliis verbis explicat POTHIER, n° 52. Si, v. g., Lutetiæ multi habeant pecuniam mittendam Lugdunum, pauci vero e Lugduno repetendam, plures præsto erunt qui tradant pecuniam pro obtinendis litteris cambii, pro quibus proinde aliquid solvendum erit; dum contra si multi habeant pecuniam e Lugduno repetendam, pauci vero illuc mittendam, plures erunt qui velint pro litteris cambii recipere pecuniam, pro qua obtinenda aliquid consequenter solvendum erit : in priori casu, ut aiunt, *Le papier gagne sur l'argent;* in posteriori, *L'argent gagne sur le papier.*

Hæc pretii varietas longe major occurrit quando agitur de cambio inter urbes diversorum regnorum, quia præter causas mox memoratas, causa peculiaris desumitur ex diversitate monetarum. Monetæ scilicet duplicem valorem habent, alium naturalem seu intrinsecum ex materia ipsa desumptum, alium legalem seu extrinsecum per legem determinatum. Cum vero istum non servent extra regnum in quo vigent, hinc fit ut quando agitur de cambio inter diversa regna prioris tantum valoris ratio habeatur. Aliæ etiam dantur circumstantiæ diversi generis, unde oritur major pretii varietas, prout fusius exponit

PARDESSUS, n° 27. Vid. etiam LA PORTE, t. II, p. 196 et seq.; MOLINA, D. CCCCVI, n^is 3 et 4.

1094. His omnibus præmissis, pro certo tenent theologi licitum esse cambium locale, modo debitæ serventur conditiones.

Prob. 1°. *Ex auctoritate.* S. PIUS V, Const. *In eam*, an. 1571, quam ex integro refert COLLET, c. V, n° 35, p. 419, ait : *Legitimum cambiorum usum, quem necessitas publicaque utilitas induxit, sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem depravari* : supponit ergo cambium esse in se licitum, et non nisi per cupiditatem seu abusum depravari. Aliunde ubique exercetur videntibus nec reclamantibus Ecclesiæ pastoribus. Demum ab omnibus theologis admittitur assertio sic generatim posita.

2°. *Ex ratione.* Ex notionibus allatis intelligitur in cambio fieri virtualiter translationem pecuniæ ex uno loco ad alterum, et quidem cum assecuratione : sive enim campsor seu bancarius recipiat, v. g., Lutetiæ pecuniam quam mediantibus litteris restituet Lugduni, sive contra tradat Lutetiæ pecuniam quam Lugduni postea recipiet, satis patet idem quoad effectum ab ipso præstari ac si reipsa pecuniam e Lutetia Lugdunum vel e Lugduno Lutetiam transferret. Porro illud est pretio æstimabile. Si enim realis translatio fieret ejus impensis et periculo, certe non id gratis præstare teneretur. Quod autem has impensas et periculum vitet, id ex una parte ejus industriæ tribuendum est, ex altera vero non fit sine aliis expensis et periculis : tenetur enim in variis locis aut saltem in præcipuis urbibus habere procuratores seu correspondentes pecuniis instructos, et ipse paratas etiam habere pecunias, plures conducere ministros, scripturas conficere, etc., quæ omnia non solum ipsius curas et labores postulant, sed etiam non sine diversis expensis et periculis obtinentur. Igitur pretium quod in cambio percipitur

nec usurarium, nec injustum dici potest, cum vi tituli omnino justi percipiatur.

1095. Hinc 1°. valet decisio quamvis de facto in casu peculiari utilius sit campsori pecuniam hic recipere, quia alioquin ipse debuisset expensas facere ad eam huc transferendam. Ita satis communiter theologi, quia id est per accidens et bonæ ejus fortunæ tribuendum. Nec ideo tollitur fundamentum lucri mox expositum. Idem est ac si dominus quærens domus suæ custodem quem soluto salario constituat, inveniat conductorem qui, nedum salarium exigat, pretium locationis solvet; vel si quis equum a se conductum ad dominum reducere propriis impensis obligatus, illum locet alteri qui et expensas perferet et pretium solvet. Plura alia exempla similia afferri possent. Officium præstitum remanet semper pretio æstimabile, seu non amittit pretium ob utilitatem præstantis. Ita Molina, D. cccv, n° 2; Lessius, l. 2, c. 23, n° 32; de Lugo, D. xxviii, n° 57; Gibalinus, art. iv, n° 11, et art. xv, n° 3; Haunoldus, tr. x, n° 392; *Collat. Ambian.*, t. iv, p. 172; Billuart, p. 317; Collet, n° 26, p. 415, et alii.

1096. Hinc 2°. licitum esse potest lucrum, non solum ex parte trassantis, sed etiam ex parte remittentis, seu accipientis litteras cambii. Id negant quidam theologi, ut La Porte, t. ii, p. 116 et seq., *Collat. Andegacens.*, *Contrats*, *Conf.* viii, *Quest.* iv, p. 633 : quia, inquiunt, lucri legitimitas fundatur in translatione virtuali pecuniæ; ergo percipi potest tantum ab eo qui onus illius translationis in se suscipit, non vero ab eo in cujus gratiam suscipitur. Verum alii loquuntur omnino generaliter, et dicunt standum esse æstimationi communi, non distinguentes an trassanti, an remittenti faveat. Et revera cum remittens ipse quoque virtualiter transferat seu reducat pecuniam quam hic et nunc tradit, si pecunia minus

abundet in isto loco, sicque, ut supra dicebamus, *le papier gagne sur l'argent*, nulla est ratio cur lucrum illud non possit percipere.

1097. Hinc 3°. potest lucrum percipi etiam ab eo qui munus publicum campsoris non exercet. Id negant Billuart, p. 314, Habert, c. xvi, p. 340, D. Bouvier, t. vi, p. 485, quia cum tantum recipiat quantum dedit, et aliunde nullum laborem, nullas expensas sustineat, sed potius utilitatem inde obtineat, nullus est titulus vi cujus lucrum percipiat. Verum hic applicari possunt quæ diximus *de Cambio manuali* (n° 1084). Ille privatus reipsa præstat aliquid pretio æstimabile, quod ex se expensas requirit : si ipse eas vitet, est per accidens, nec ideo minuitur pretium, ut jam dictum est. Aliunde nulla lege prohibetur privatis tale cambium, saltem si aliquando tantum et data occasione exerceatur. Ita Molina, D. ccccv, n° 1; de Lugo, n° 55; *Collat. Ambianens.*, t. iv, p. 171. Agnoscit La Porte, p. 108, officium præstitum esse in se appretiabile; sed addit tale officium in gratiam amici non debere præstari intuitu lucri : « Un homme « d'honneur et de probité, » inquit, « auroit honte de « cette bassesse. » Non eo usque progreditur *Collat. Ambianens.*, p. 173 : ait tamen minus lucrum tunc exigi debere; additque hanc esse praxim proborum mercatorum, imo plures magis generose se gerere, et nullum lucrum percipere. Et ita satis communiter observatum videmus, præsertim apud eos qui commercium non exercent.

1098. Hinc 4°. si nimium lucrum percipiatur, erit injustum, sed non præcise usurarium : hic enim non instituitur mutuum, quod solum est sedes usuræ. Nisi ergo includatur mutuum implicitum ratione dilatæ solutionis, de quo infra, non erit usura. Ita Molina, D. ccccIII, n° 8; Gibalinus, art. iv, n° 8 : et e jurisperitis Leotardus, *de Usuris*, q. xxv, n° 39; Pothier,

n° 52. Unde concludi potest cum TROPLONG, *Prêt*, n° 386, lucrum illud non attingi per taxationem auctuarii quod ex mutuo coram lege percipi potest.

1099. Dixi : *Modo debitæ serventur conditiones.* I^a est *bona fides*, seu ut removeatur fraus et simulatio. Si enim sub specie cambii occultetur alius contractus qui sit in se usurarius vel injustus, satis patet non posse excusari ex rationibus allatis, quæ soli cambio reali applicantur. Hinc essentiale est cambio, ex art. 110 cod. Comm., ut fiat de loco ad locum; alioquin, ait PARDESSUS, t. II, n^is 320 et 332, non existerent elementa quibus constituitur. Hinc non excusatur cambium quod vocant *siccum* aut *fictum* : « Necesse est, inquit BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, « l. X, c. V, n° 7, ut in cambio locali vera fiat pecuniæ « translatio, aut saltem ut qui pecuniam accipit serium « habeat animum illam alibi restituendi; si enim sciret eo « ipso in loco ubi accepta est fore restituendam, quamvis « cambii litteræ alio directæ fingerentur, sub cambii « specie vera lateret usura, quæ hominum quidem judi- « cium effugere, Deum autem eludere non posset.... Hæc « manifesta sunt, et vix ulli obnoxia difficultati. » Hinc idem fere dici potest de alia captiosa, ut eam vocat idem BENEDICTUS XIV, n° 8, specie cambii quod vocant *obliquum*. In exponenda ejus natura non immorabimur : videri potest idem auctor, post cujus expositionem si non statim intelligatur hujus conventionis natura, intelligetur saltem quam merito concludat, n° 9, facile esse suspicari tot involutas ambages esse unice excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur; ideoque tale cambium, licet a quibusdam excusetur, quod forsan dici potest pro foro externo in quo ita res gesta præsumitur sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno ubi sola spectatur veritas, esse illicitum, turpe et usurarium.

1100. II^a conditio est ut servetur *justum pretium*. Pretium illud, ut intelligitur ex dictis, pendet a tot circumstantiis ut modo certo et constanti non possit determinari. Standum est ergo consuetudini, seu æstimationi communi. Ordinarie non consistit in puncto indivisibili, sed admittit quamdam latitudinem, quemadmodum diximus generatim de pretio mercium (n° 682) : requiritur ergo ut contrahentes non excurrant extra hanc latitudinem.

Sed quæritur an aliqua mutatio induci possit aut debeat ob dilationem solutionis? — Generatim ait cum multis aliis Billuart, p. 314, nihil accipi debere pro dilatione solutionis : id enim in cambio non minus foret usurarium quam in mutuo; quia, juxta S. Thomam, 2. 2, q. lxxviii, art. ii, ad vii, exspectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Illud tamen aliqua explicatione indiget pro variis quæ fingi possunt hypothesibus.

1°. Si ille qui accipit litteras cambii statim aut fere statim solvendas (requiritur enim tempus quo mittantur in locum ubi solutio facienda est), non statim tradat pecuniam campsori, sed tantum promittat post aliquod tempus tradendam, plures dicunt non posse ideo campsorem aliquid exigere ultra pretium commune; sed advertunt alii sæpe eum habere titulum lucri cessantis. Nobis videtur hic cum cambio conjungi mutuum quoddam implicitum, prout explicat Pardessus, t. ii, n° 319, ac proinde applicanda esse principia generalia.

2°. Aliquando campsori conceditur terminus ad pecuniæ solutionem; id est, campsor statim recipit pecuniam, et dat litteras nonnisi post certum quoddam tempus solvendas : ideoque nullum exigit cambii pretium. Quæstio est an adsit ibi usura, non quidem ex parte campsoris qui nihil percipit, sed ex parte campsarii? — Non pauci judicant esse reipsa usuram, seu lucrum perceptum vi mutui. Nam constat salarium seu pretium aliquod deberi

campsori pro cambio : in præsenti autem casu campsarius ab illo salario eximitur. Porro cur ita eximitur? Ratione solius dilationis, quæ, ut vidimus, nihil aliud est quam mutuum implicitum : campsor non intendit illi favere, nec donum concedere; sed cum sibi per aliquod tempus relinquatur pecunia seu quasi mutuo detur, intendit aliquid pro tali mutuo solvere, quod præstat renuntiando salario seu pretio ordinario cambii. Ergo campsarius seu remittens lucrum vere percipit ratione mutui. Ita MOLINA, tr. II, D. CCCCIII, n° 8; et alii plures quos indicat GIBALINUS, art. IV, n° 12; HAUNOLDUS, tr. X, n° 384; *Collat. Andegavens.*, Conf. VIII, q. IV, p. 633; LA PORTE, t. II, p. 128; JUENIN, *Cas de consc.*, t. II, tr. X, c. V, p. 175, 176; CUNILIATI, tr. X, c. VI, §. III, n° 3, p. 376. Attamen hanc praxim videmus passim receptam etiam apud viros valde timoratos : et existimat DE LUGO, D. XXVIII, n° 59, quem non improbat GIBALINUS, *ibid.*, hanc excusari posse mutata intentione : nam campsarius potest fieri campsor, et intendere trajectionem pecuniæ ex alio loco ad præsentem locum, et sic ipse anticipando solutionem beneficium campsori conferet, nedum usuram committat; vel potest intendere ut fiat mera permutatio pecuniæ præsentis pro pecunia æquivalenti, seu compensatio inter translationem præsentem et translationem quæ fiet quando solventur litteræ. Verum illa ratio non videtur magni ponderis. Nam campsor nullatenus intendit aliquid solvere pro translatione, quæ reipsa non fit in ipsius gratiam; quod adeo verum est, ut si non ipsi concederetur dilatio, salarium nihilominus exigeret, quamvis etiam in illo casu adsit eadem translatio, permutatio, aut compensatio. An adsit alia quædam ratio quæ hanc praxim excuset, viderint sapientiores : nullam invenire aut excogitare potuimus, et ibi nil aliud videmus quam lucrum perceptum ex mutuo implicito : et quidem percep-

tum ab eo qui salarium seu cambii pretium deberet persolvere, scilicet aliquando ab eo qui pecuniam mittit, aliquando ab eo qui recipit, prout sumptus translationis ad unum vel ad alterum spectant; unde si facienda sit restitutio, ab isto facienda erit : unus tantum casus occurrit in quo potest nihil usurarium adesse; si nempe ille qui tradit litteras nolit pretium cambii exigere, prout supponi potest in iis qui non sunt ex officio campsores, et non postulet dilationem seu terminum nisi ad præmonendum correspondentem seu trassatum, ut possit absque damno aut incommodo pecuniam habere paratam ad satisfaciendum his litteris quando ipsi præsentabuntur.

1101. III[a] et ulteriores conditiones eæ sunt quæ præscribuntur constitutione S. Pii V jam citata : nempe ut sive a principio sive alias certum et determinatum interesse non in pactum deducatur, etiam in casu non solutionis; ut cambia non exerceantur nisi ad primos terminos juxta consuetum usum locorum, etc. In locis ubi viget ea constitutio, profecto servandæ sunt eæ conditiones, de quibus variæ moventur quæstiones quæ videri possunt apud de Lugo, n° 107 et seq. Sed cum agnoscant omnes plura ibi statui quæ non sunt de jure naturali, non adest obligatio ea servandi in locis in quibus constitutio illa non est recepta. Porro putat Lessius, l. 2, c. 23, n° 93, quem non improbant de Lugo, *ibid.*, et Haunoldus, n° 412, eam paucis in locis, et forte nusquam (saltem quoad omnia in ea contenta) esse receptam. Certe non viget, nec unquam viguit apud nos. Unde in ea exponenda diutius non immorabimur.

1102. Superest nunc ut quædam explicemus de quibus loquendi nondum se dedit occasio, aut quæ non nisi obiter indicata fuerunt.

I. *De obligationibus trassantis.* Præcipua, ut vidimus, est curare ut litteris cambii suo tempore satisfiat. Exinde

vulgo deducitur obligatio procurandi ut litteræ a trassato acceptentur. Attamen ex ipsa cambii natura non oritur necessitas acceptationis : fieri enim potest ut trassans nondum provisionem trassato contulerit; et modo conferat ante elapsum terminum, dici potest obligationi suæ satisfacere. Sed ex usu et consuetudine commercii mos invaluit requirendi acceptationem : cum enim eo tempore quo cambium frequentius exerceri cœpit solutio plerumque fieret in nundinis, et quidem non tam per traditionem pecuniæ quam per compensationem inter varios debitores et creditores institutam, denegatio acceptationis haberi poterat ut denegatio solutionis; qui mos etiam mutatis circumstantiis perseveravit. Ita explicat FRÉMERY, c. XVII, p. 102 et seq. Quidquid sit, hodie ex art. 118 et seq. codicis Commercii trassans est sponsor acceptationis : quæ si denegetur, fit protestatio quam vocant *Protêt faute d'acceptation*, qua posita trassans tenetur vel dare fidejussorem, vel summam refundere cum omnibus expensis sive protestationis, sive recambii de quo infra. Aliquando tamen in ipsis litteris cambii exprimitur eas non esse acceptationi obnoxias : in eo casu locus non est huic requirendæ.

Altera obligatio quæ deducitur ex præcipua obligatione trassantis est monere trassatum; quod vulgo fit per litteras separatas, quæ dicuntur *Lettres d'avis*. Sed hæc monitio non requiritur nisi ut medium procurandæ acceptationis et solutionis: unde si trassans ita negotia sua cum trassato composuerit ut sine prævia monitione hic soluturus sit, jam non est necessaria. Hinc in litteris cambii sæpe dicitur *Sans autre avis*, vel *Avec ou sans avis*.

1103. II. *De Indossatione.* Ex principiis juris communis ille qui litteras cambii accepit non posset alteri transferre jus suum nisi per cessionem regulariter factam, et quidem intimatam ei qui solvere debet, ad sensum ar-

ticuli 1690. Revera per plura sæcula nulla facta est derogatio huic juri etiam in materia commercii : unde ignota prorsus erat indossatio, sive quoad nomen, sive quoad rem. Hujus initium refert FRÉMERY, c. XX, p. 127, ad sæculum XVII. Ea semel admissa litteræ cambii facile et cito ab uno ad alterum transmittuntur, et quidem in indefinitum, cum magno negotiorum commercialium commodo. Ea transmissio in ipsis litteris conscribi debet ; unde si numero indossationum impar sit folium, aliud additur quod vocant *Allonge* : moris tamen est ut, non in hac additione, sed in ipsis litteris scribatur a præsentante testimonium de solutione quod vocant *l'Acquit*.

Ut autem intelligantur indossationis effectus, sciendum est hanc duplicis speciei distingui, perfectam seu regularem, et irregularem.

1°. Indossatio *regularis* ea est qua fit plena transmissio litterarum cambii, assecurata solutione elapso termino. Talis transmissio est verum cambium : attamen cum non sit nisi operatio accessoria, non exigitur ut fiat de loco ad locum. Ex art. 137 cod. Commercii : « L'endossement est « daté. — Il exprime la valeur fournie. — Il énonce le « nom de celui à l'ordre de qui il est passé. » Hinc ad transmittendam proprietatem litterarum cambii non sufficit mera subscriptio. Attamen non interest qua manu exaratæ sint enuntiationes præscriptæ : unde ipse indossatarius eas supplere potest ; et valebit omnino transmissio, nisi probetur id per fraudem aut absque ullo jure factum fuisse. In desuetudinem abiit lex 12 octobr. 1795, quæ prohibebat ne negotiatio litterarum cambii fieret, ut dicitur, *en blanc*. Ita PARDESSUS, t. II, n° 344-346. Vid. etiam FRÉMERY, p. 130 et seq., qui observat non satis forsan consequenter agere legislatorem qui ex una parte eas enuntiationes exigit ut vera fiat proprietatis transmissio, et ex altera non efficacius curat de modo quo fieri

debent. Quidquid sit, per hanc regularem indossationem indossatarius acquirit omnia jura quæ indossanti competebant sive erga debitorem principalem, sive erga alios sponsores; unde et ipse ad alios transferre potest. Vid. PARDESSUS, n° 347 et seq.

2°. Indossatio *irregularis* dicitur quando deest aliqua e formis modo indicatis: ex art. 138, « Si l'endossement « n'est pas conforme aux dispositions de l'article précé- « dent, il n'opère pas le transport; il n'est qu'une procu- « ration. » Talis indossatarius jus habet postulandi solutionem elapso termino, et per solutionem ipsi factam liberatur debitor: sed si hic debitor haberet aliquam exceptionem opponendam indossanti, vel si iste revocasset mandatum aut alio modo obstaret solutioni, indossatarius nullam actionem haberet. Potest pariter indossatarius, nisi aliqua restrictio apposita fuerit in indossatione, litteras alteri transmittere: sed erga suum mandantem tenetur de earum pretio. Vid. PARDESSUS, n° 353 et seq.

Ex his intelligitur parvi interesse in ordine ad liberationem debitoris, an exactor seu præsentator litterarum cambii eas acceperit per indossationem regularem, an per irregularem: in priori casu solutionem accipit ut proprietarius, in posteriori ut mandatarius proprietarii. Solummodo illud adest discrimen, quod in priori casu nulla exceptio ipsi opponi potest nisi sit ipsi personalis; in posteriori vero opponi possunt exceptiones quæ spectarent ad mandantem seu auctorem indossationis irregularis, non vero quæ spectarent ad ipsum mandatarium. PARDESSUS, n° 399.

1104. III. *De juribus et obligationibus latoris litterarum cambii.* Possunt hæc spectari quoad acceptationem, quoad solutionem, et quoad provisionem.

1°. *Quoad acceptationem.* Generatim potest lator exigere acceptationem; eamque reipsa exigere illius interest,

tum ut novam exinde securitatem consequatur habendo trassatum sibi directe obligatum, tum quia, si plura exarata sint litterarum exemplaria, fieri posset ut aliud exemplar ad obtinendam acceptationem exhiberetur sicque a jure suo ipse excideret. Non tamen tenetur acceptationem requirere, nisi hæc obligatio ipsi imponatur per legem, conventionem aut mandatum. Imponitur autem per legem, quando solutio non est affixa certo diei, sed tali tempori post acceptationem, v. g., *A un mois de vue*, etc. : tunc ex art. 160 cod. Comm., conceditur latori mora alicujus temporis, majoris vel minoris pro distantia locorum et difficultate itinerum : sed eo tempore elapso, jam amittit recursum suum contra indossatores suos, et contra ipsum trassantem, si iste, ut dicitur, *a fait provision*. Aliquando obligatio requirendi acceptationem exsurgit ex conventione inita cum eo qui litteras tradidit : si id negligat lator, et exinde trassatus solutioni difficultates opponat quas non potuisset opponere si acceptatio requisita fuisset tempore opportuno, poterit lator teneri ad compensationem damnorum erga eum cui se obligaverat. Tandem si lator non habeat litteras nisi ut mandatarius, debet stare mandato, et ea peragere quæ postulat utilitas mandantis. PARDESSUS, n° 358.

Si trassatus deneget acceptationem, lator potest recurrere ad protestationem de qua jam locuti sumus; imo ad id tenetur in casibus in quibus tenebatur requirere acceptationem; alioquin non posset exercere recursum qui ipsi a lege conceditur. *Ibid.*, n° 381.

1105. — 2°. *Quoad solutionem*, lator litterarum debet eam exigere ipso die assignato; art. 161 cod. Comm. Dies ille determinatur juxta principia quæ statuuntur art. 129 et seq. Si denegetur solutio, tunc die sequenti recurrere debet ad protestationem quæ dicitur *Protêt faute de payement;* art. 162. Hujus forma seu modus indicatur

art. 173 et seq. : per nullum alium actum suppleri potest, ex art. 175, nisi in casu litterarum deperditarum, de quo art. 150 et seq. Hac protestatione peracta, potest lator agere vel individue contra trassantem et singulos indossatores, vel collective contra eos omnes; art. 164. Ideo debet protestationem intimare et eos ad quos vult recurrere in jus vocare intra quindecim dies, quibus additur temporis spatium lege determinatum, quando domicilium illius contra quem dirigitur actio distat plus quam 5 myriametris (12 leucis et dimidia); art. 165, 166. Si tempus illud elabi sinat, e jure suo excidit, seu recursum amittit, *il est en déchéance;* art. 168 : quod tamen locum non habet erga trassantem qui non probat *provisionem*, art. 117, 170; nec erga eos qui post elapsum tempus receperunt quocumque modo summam destinatam solutioni; art. 171. Hæc omnia quæ nonnisi breviter indicare vacat, exponit PARDESSUS, n° 418 et seq. Vid. etiam FRÉMERY, c. XVIII, p. 111 et seq., ubi observat eatenus latorem qui elabi permisit tempus statutum privari suo jure, quatenus hæc mora damnum inferre potest iis contra quos recursum vult posthac exercere; unde concludit videndum esse in casibus peculiaribus, an reipsa damnum illatum sit, seu an aggravata sit conditio trassantis aut indossatorum : agnoscit tamen non absolute in eo sensu latas esse dispositiones juris, speciatim art. 163 et 168; quas ideo redarguit, et sæpe in usu non observari contendit. Quidquid sit, saltem in foro conscientiæ ratio habenda est principii allati : lex enim intendit tantum ut trassans aut indossatores damnum non patiantur ex mora latoris; sed non vult iis cum hujusce damno favere.

Præter recursum concessum latori litterarum in casu protestationis, ipsi tribuitur facultas obtinendi cum licentia judicis occupationem bonorum mobilium trassantis, acceptantium, et indossatorum, ad servanda sua jura; art. 172.

1106. — 3°. *Quoad provisionem* quæ fieri debet ad assecurandam solutionem litterarum cambii, interest determinare quodnam sit jus latoris, seu utrum in casu quo vel trassans vel trassatus fiant impares debitis solvendis (*tombent en faillite*), hæc provisio inservire debeat exclusive ad solvendas litteras, adeo ut cæteri creditores nullum jus in eam sibi vindicare valeant. Eam quæstionem sic solvit Pardessus, n° 392. Cambium, ut jam vidimus, satis affine est venditioni : nihil ergo obstat quin applicentur principia venditionis, agnoscendo competere latori jus exclusivum in provisionem destinatam solutioni litterarum quarum habet dominium. Etenim vel provisio erat penes trassatum quando confectæ sunt litteræ, vel non nisi postea facta est. In priori casu, vi contractus lator acquisivit dominium provisionis, conditionatum quidem, id est, posito quod provisio remaneat penes trassatum (quia potest semper trassans de ea disponere, modo satisfaciat oneri quod suscepit procurandi acceptationem), sed nihilominus dominium verum et casu eveniente exercendum : igitur si elapso litterarum termino hæc provisio supersit penes trassatum, nulla est ratio hujus dominium latori non tribuendi. In posteriori casu, quando nempe provisio non erat penes trassatum, lator non acquisivit quidem dominium provisionis nondum existentis, sed acquisivit jus conditionatum, posito scilicet quod existeret elapso litterarum termino : verificata igitur conditione, est vere illius dominus. Unde concludi potest in casu decoctionis sive trassati, sive trassantis, posse latorem hanc provisionem sibi vindicare præ cæteris creditoribus : et quidem quæcumque sit hujus natura. Ita Pardessus, indicans in eo sensu varia Curiæ supremæ judicia, quæ spectant ad casum decoctionis ex parte trassantis. Allegari potest art. 149 cod. Comm., in quo inter causas propter quas impediri potest solutio non reponitur decoctio trassantis. Addit Pardessus in casu quo plures

concurrunt litterarum latores, provisionem addici debere ei cujus litteræ fuerunt acceptatæ, quia cum præter jura trassantis habeat jura acceptantis qui sibi est obligatus, cæteris anteponi debet : si nullæ litteræ acceptatæ fuerint, nulla distinctio inter earum latores admittetur.

Agnoscendum tamen hæc non carere difficultate, præsertim quando provisio non consistit in re certa et determinata, sed in mero debito trassati erga trassantem, vel in quodam valore indeterminato : tunc enim litterarum lator videtur esse merus creditor, nec proinde præferri debere cæteris creditoribus, nisi agnoscatur ipsi competere privilegium, quod magis expressum esse deberet. Hinc rem aliter explicat jam citatus THIERIET, *Revue de Législat.*, juillet 1846, nouv. série, t. v, p. 298 et seq. Juxta illum, quamdiu trassatus non acceptavit litteras, harum lator non est dominus, sed tantum creditor provisionis, quæ remanet periculo trassantis inter manus trassati. Hinc trassans potest eam repetere; sed non ideo potest latorem spoliare jure suo : hic contra ipsum recursum habebit præ cæteris ejus creditoribus, prout judicavit Curia Rothomagensis, 17 aug. 1838. Hinc potest etiam trassatus provisionem reddere trassanti. Sed post acceptationem, qua trassatus constitutus est debitor, jam non potest obligari ad dimittendam provisionem. Lator habet igitur, non jus proprietatis, sed jus personale, quod est jus speciale sui generis et vocari posset *Droit d'affectation spéciale*, ut vocavit Curia suprema 9 junii 1841. Vi illius juris lator non anteponetur cæteris creditoribus trassati aut acceptantis, qui est merus debitor : sed anteponetur creditoribus trassantis, quia provisio separata ab ejus bonis specialiter destinata fuit ad satisfaciendum litteris cambii; est quasi pignus illius obligationis. Post illud principium generale, auctor citatus varios casus recenset, et varia tribunalium judicia exponit, p. 300-307.

1107. IV. *De obligationibus trassati.* Jam diximus trassatum non teneri acceptare litteras cambii, quemadmodum nemo tenetur acceptare mandatum : tenetur tamen intra quatuor et viginti horas a momento quo præsentatæ sunt litteræ declarare an acceptet, necne; alioquin tenebitur compensare damna quæ ex ejus mora passus fuerit præsentator; art. 125. Fieri potest ut antea ad acceptationem se obligaverit sive erga trassantem, sive erga latorem : tunc etiam tenebitur de damnis quæ ex denegatione acceptationis sequi poterunt; sed præviæ illæ declarationes non ideo æquivalebunt acceptationi aut eam supplebunt. Vid. PARDESSUS, n° 362 et seq.

Acceptatio, si detur, dari debet scripto : ordinarie exprimitur hoc verbo, *Accepté*, quod tamen suppleri potest per verba æquivalentia. Requiritur subscriptio acceptantis : item indicatio epochæ (*la date*), si litteræ sint *à un ou plusieurs jours ou mois de vue;* si desit indicatio, litteræ solvendæ erunt adveniente termino ibi expresso, numerando a die quo conscriptæ sunt litteræ; art. 122. Ordinarie exprimitur summa pro qua fit acceptatio, quamvis illud non sit necessarium nisi quoad mulieres commercium non exercentes, quarum subscriptio, ut vidimus, habetur ex art. 113 ut obligatio mere civilis. Ordinarie pariter acceptatio scribitur in ipsis litteris : nil tamen obstare videtur quin fieri possit per actum separatum, qui ad obtinendam solutionem exhibendus erit simul cum litteris. Judicavit quidem Curia suprema, 16 april. 1823, absolute requiri ut acceptatio in ipsis litteris conscribatur : sed illud judicium fuse refellit MERLIN, sive ex discussione codicis Commercii, sive ex ipso art. 122; *Répert. de Jurispr.*, v° *Lettre et billet de change*, §. IV, n° X, t. X, p. 41 et seq. Acceptatio fieri non potest modo conditionato, sed restringi potest ad partem summæ in litteris expressæ, et tunc quoad partem non acceptatam sequenda

sunt ea quæ diximus de casu in quo denegatur acceptatio; art. 124. Vid. PARDESSUS, n° 365-374.

Acceptatio semel data constituit acceptantem debitorem directum latoris litterarum; art. 121 : unde trassans et qui post eum tenentur remanent tantummodo sponsores solutionis; art. 118. Hinc efformatur inter acceptantem et latorem contractus unilateralis, quo prior ita astringitur ut jam non possit retractare, etiamsi trassans non det ei provisionem, vel jam in decoctionis statu versaretur, ipso inscio, tempore acceptationis; art. 121 : sibi imputare debet quod imprudenter egerit. Sed mandato sic acceptato, jam obligatum sibi habet mandantem; diverso quidem modo, prout provisionem jam accepit, vel non accepit. Si non acceperit, sed acceptaverit, ut dicunt, *à découvert*, mandantem sponsorem habet pro onere quod suscepit, et pro compensatione damnorum quæ exinde pati potest, juxta art. 1999 et 2000 codicis Civilis; sed non potest exigere ut ante solutionem sibi tradatur provisio. Si jam provisionem acceperit, videndum est quænam sit hujus natura. Si consistat in summis quas ipse debet mandanti, quocumque casu pereant jactura recidit in trassatum, quia debitor non liberatur per jacturam suæ fortunæ. Si consistat in rebus ipsi traditis titulo depositi aut pignoris, standum regulis quæ statuuntur circa depositum. Si sint merces traditæ ad vendendum, vel alia hujusmodi, trassatus non tenebitur nisi de sua culpa aut negligentia; ac proinde quando jactura non erit ei imputanda, jus habebit exigendi novam provisionem, vel post solutionem agendi contra trassantem eodem modo ac si nunquam accepisset provisionem. PARDESSUS, n° 375-380, et n^is 389, 390.

1108. V. *De recambio*, Gallice *rechange*. Si elapso litterarum cambii termino solutio non obtineatur, intelligitur ex dictis latori deberi indemnitatem a trassante, et etiam a variis indossatoribus. Porro indemnis erit lator si

ipsi suppetat medium statim obtinendi tum summam quam ex litteris percipere debebat, tum impensas quas perferendas habuit, tum compensationem damnorum. Illud autem medium occurrit in novis litteris cambii quas exarat priorum litterarum lator a debitore suo solvendas, id est a trassante suo, vel ab uno ex indossatoribus. Istæ novæ litteræ vocantur *Retraite*, et contractus quo obtinentur, vel pretium quod pro iis solvitur, vocatur *Recambium*; art. 177-179. Eas præcedere debet priorum litterarum protestatio : iisque adjungi computatio quam vocant *Compte de retour*; art. 180. Ea computatio includit summam principalem litterarum de quibus facta est protestatio, impensas sive protestationis, sive alio titulo debitas, v. g., *Commission de banque, courtage, timbre et port de lettres*, et tandem pretium novi istius cambii; et hæc quidem testimoniis lege determinatis corroborata (*d'un agent de change ou de deux commerçants*) : art. 181, 186.

Ex ista notione intelligitur nihil ibi occurrere unde recambium minus licitum dicatur quam cambium. Quædam tamen sunt advertenda.

1°. Quoad summam principalem, si ille qui priores litteras accepit majorem summam dederit, attento scilicet cambii cursu, quam quæ in litteris expressa fuit, primo intuitu videri posset ipsum posse repetere quod solvit, quemadmodum emptor in casu evictionis potest repetere pretium integrum, prout vidimus n° 717. Attamen re attentius expensa, manifestum videtur non fuisse promissam nisi summam litteris expressam, ideoque hanc solam deberi. Ita Pardessus, n° 437.

2°. Quoad pretium recambii, determinatur erga trassantem, « par le cours du change du lieu où la lettre de « change étoit payable sur le lieu d'où elle a été tirée; » erga indossatores, « par le cours du change du lieu où la « lettre de change a été remise ou négociée par eux, sur

« le lieu où le remboursement s'effectue; » art. 179. Id facile intelligitur quando lator recurrit ad ipsum trassantem. Sed si recurrat ad unum ex indossatoribus, prout ipsi liberum est ex art. 118, 164 et 178, aliqua oriri potest difficultas. Si enim litteræ cambii per plures urbes transierint, et per easdem transeant litteræ recambii, jam quæri potest quis ferre debeat varia horum diversorum recambiorum pretia, an in primum trassantem ultimate recidere debeant? In quibusdam regionibus ita servatur : lator recipit, v. g., ab ultimo indossatore pretium recambii; ultimus recipit a penultimo tum recambium solutum latori, tum illud quod debetur pro litteris quas ad eum dirigit, et sic deinceps : sic illi omnes per quorum manus transierunt litteræ servantur indemnes, et primus trassans omnia compensat. At non ita jamdiu res ordinantur apud nos : ex art. 183, « Les rechanges ne peuvent être cumu-« lés. Chaque endosseur n'en supporte qu'un seul, ainsi « que le tireur. » Itaque trassans solvet primum recambium solutum a latore, et quilibet indossator solvet recambium solutum ab eo cui litteras transmiserat et a quo nunc eas redeuntes excipit. Vid. Locré, *Esprit du Code de Comm.*, ad art. 182 et 183, t. II, p. 285 et seq.; Frémery, c. XXV, p. 157 et seq.; Pardessus, n^is^ 438 et 444, ubi observat locum non esse recambio inter indossatorem et indossatarium quando uterque degit in eodem loco ubi facta est indossatio.

3°. Post peractam protestationem, potest quilibet tertius solvere, ut aiunt, *par intervention*, pro trassante vel pro quodam ex indossatoribus; art. 158. Ille autem qui sic solvit subrogatur juribus latoris, et subjicitur iisdem obligationibus quoad formas servandas; art. 159. Vid. Pardessus, n° 405 et seq.

4°. Si lator litterarum vel interveniens habeant medium summam litteris expressam obtinendi sine damno et im-

pensis, v. g., quia lator potest obtinere statim solutionem ab uno ex indossatoribus, vel quia ipse interveniens provisionem habet a trassante vel ab indossatore pro quo intervenit, dubium videri potest an possint recurrere ad recambium cum impensis quas inducit. Coram lege id impune poterunt. Sed nonne exigit saltem æquitas ut abstineant ab actu sibi non necessario et trassanti noxio? Saltem dicendum eos non posse varias impensas mox enumeratas exigere, nisi ipsi eas reipsa pertulerint, cum non nisi titulo indemnitatis iis tribuantur.

ART. 3. *De cambio temporaneo*, seu *ad terminum*.

1109. Cambium temporaneum illud est quo datur hodie pecunia reddenda post certum aliquod tempus in eodem vel in diverso loco, cum auctuario eo majori aut minori quo pecunia interim, ut aiunt, pluris vel minoris valuit; et si non reddatur summa definito tempore, innovatur obligatio ad similem terminum, cum auctuario proportionato, non tantum summæ principali, sed priori auctuario si non fuerit solutum.

Ex dictis videtur satis apertum deficere rationem cambii quando pecunia reddenda est in eodem loco, sed tunc esse merum mutuum, nec proinde sufficere dilationem solutionis ut possit exigi auctuarium, ut intelligetur ex dicendis ubi *de Usura*. Attamen cum ea de re non omnes theologi consentiant, haud inutile erit quædam addere de quibusdam peculiaribus cambii speciebus quarum mentio apud ipsos magis frequenter occurrit. Tres sunt præcipuæ, nempe cambium Lugdunense, Francofordiense, et Bisuntinum seu Placentinum.

I. Cambium *Lugdunense* fit quando aliquis tradit negotiatori pecunias sibi proximis nundinis reddendas cum lucro majori vel minori, juxta *plateæ cursum*, ut aiunt. Elapso termino, vel redditur pecunia cum lucro, vel solum

lucrum retenta pecunia usque ad sequentem proximum terminum, vel denique retinetur et sors et lucrum ex quibus fit summa quædam capitalis de qua idem renovatur contractus. Solet dari pecunia tempore solutionum, seu nundinarum quæ occurrunt quater in anno, et in proximis solutionibus restitui, ut possit, si lubet, alteri tradi. Et quia hæc traditio fit negotiatoribus et campsoribus in terminis et nundinis cambiorum, in platea cambiorum, et denique cum pretio cambiorum, idcirco vulgo dicitur dari pecuniam cambio, cum tamen reipsa cambium non sit, nisi quia campsores illam pecuniam accipiunt ut ipsimet illam per cambia et recambia variis in locis agitent. Hæc evolvit Gibalinus, l. vi, c. i, qui opus suum *de Usuris* ideo præcise conscripsit ut disquireret an justus, an injustus et usurarius foret ille fori Lugdunensis usus, ut ipse testatur *ibid.*, et initio operis.

Jam vero cap. ii proponit sententiam eorum qui damnant hanc fori Lugdunensis praxim, quales sunt communiter ii qui ex Academia Parisiensi ad nos proficiscuntur, inquit in fine articuli i. Ipse tamen cap. v eam multis defendit, et cap. vi suam sententiam confirmat auctoritate multorum Romanorum theologorum, quos ea de re interrogaverat, ad suam postulationem, P. Theop. Raynaudus. Quidquid autem profert eo reducitur ut ostendat licitum esse triplicem contractum, seu, ut ipse ait, licitam esse societatem cum pacto assecurationis sortis, et lucri certi minoris pro majori incerto, duplici illo onere ad æqualitatem compensato. Unde magis ac magis patet hic non esse verum cambium, ut ab initio dixerat; ac proinde quæstionem solvendam esse ex iis quæ dicemus ubi *de Usura*, et speciatim *de Triplici contractu*.

1110. II. Cambium *Francofordiense* seu *Francofurtense* illud dicitur quo quis dat Parisiis, v. g., pecunias reddendas Francofurti vel alibi in proximis nundinis, cum auc-

tuario eo majori quo magis distant nundinæ. Unde dicitur generalius cambium *ad nundinas*.

De eo cambio agit Lessius, l. 2, c. 23, dub. vi. Dici potest breviter cum Billuart, D. v, art. ii, §. iii, p. 318, aliquod lucrum hic licitum esse ratione cambii localis, si verum sit. At quod majus sit eo quo magis distant nundinæ, illud pertinet ad quæstionem de lucro percepto causa mutui, ut jam observavimus.

III. Cambium *Bisuntinum*, inquit Lessius, *ibid.*, dub. vii, illud est quod trajicitur ad urbem Vesuntionem (*Besançon*), ubi non est frequentia mercatorum et mercium : quidam nunc vocant *Placentinum*, quia ad hanc urbem quoque frequens datur. Sic autem fit. Petis a me Parisiis mille aureos mutuo : ego nolo mutuare, sed offero tibi ad cambium mille aureos reddendos Vesuntione; scio quidem te illic non habere pecuniam, nec procuratorem, sed offero tibi quem hic habeo meum procuratorem, qui erit et tuus et meus, quique vices meas et tuas aget, et postea eamdem summam per recambium remittet Parisios a te mihi solvendam cum lucro duplicis cambii. Hoc est quod dicitur *Cambium cum recambio* : Italiani dicunt *Cambio della ricorsa*.

De eo contractu fuse agunt plures theologi, inter alios de Lugo, D. xxviii, n° 76 et seq., ubi exponit controversiam de eo Romæ agitatam. Quamvis illum probent graves theologi, et forsan admitti posset si prius cambium serio institutum esset ad aliam urbem, et non nisi postea mutatis circumstantiis fieret recambium ad urbem in quo pecunia recepta est, nobis videtur cum Billuart, *ibid.*, p. 318, in praxi ordinarie in his omnibus circuitibus nihil serio agi, sed omnia esse fictitia præter reale mutuum et intentionem lucri ex eo percipiendi; campsarius non intendit habere pecunias Vesuntione ubi iis non indiget; campsor non intendit transferre pecunias Vesuntionem,

sed illas hic dare et recipere cum lucro : intentio autem contrahentium facit contractum.

Cæterum hæc dicta sint ad intelligentiam eorum quæ apud auctores occurrunt. Non enim videmus hodie mentionem fieri de his variis cambii speciebus. Quando contrahentes intendunt mutuum, illud directe instituunt, utpote lege civili permissum, prout jam observavimus.

CAPUT XIII.

DE USURA.

1111. Cum ageremus de mutuo (n° 1036), vidimus illud esse ex natura sua gratuitum, id est, seclusa speciali conventione mutuatarium non teneri ad reddendum nisi quod a mutuante accepit, et mutuantem non posse exigere auctuarium, seu aliquid ultra sortem, ut aiunt. Sed quæstio est, quam huc expendendam remisimus, utrum inire liceat conventionem de auctuario percipiendo : seu utrum distingui possit et debeat quasi duplex mutuum, alterum simplex et gratuitum, alterum cum auctuario, quod Gallice dicimus *Prêt à intérêt*, sive dein agnoscatur istud remanere semper verum mutuum, sive dicatur transire in contractum alterius speciei, sicut commodatum quando desinit esse gratuitum transit in locationem; an vero hujusmodi auctuarium reprobari debeat tanquam prohibitum sub nomine *usuræ*.

Vix ulla est in tota theologia morali quæstio quæ tot et tam gravibus discussionibus locum dederit. Harum seriem breviter exponit Benedictus XIV, *de Synod. diœces.*, l. x, c. iv, n° 2 et seq., et fusius Ballerini, *de Jure divino et natur. circa usuram*, præfat., §. ii, et seq. His potissimum inhærentes, ea in præsenti loco afferemus quæ opportuna videntur ut bene intelligatur status controversiæ, et via paretur ad accuratam ejus solutionem.

I. « Omne lucrum ex mutuo, præcise ratione mutui, « ut loquuntur theologi, hoc est, lucri cessantis, damni « emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, « atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico, « illicitum esse, perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiæ « doctrina, omnium conciliorum, Patrum, et theologo- « rum unanimi consensu firmata. » Verba sunt Benedicti XIV. Quantumvis aperta et firma videantur, non omnes consentiunt ea esse in toto suo rigore sumenda et pro inconcussis habenda : in decursu plura occurrent ex quibus elucidari poterit quodnam judicium ferendum sit.

1112. II. « Huic (doctrinæ) contradixere Græci schis- « matici, qui, teste Guidone Carmelita, in *Catalogo hære-* « *ticorum*, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt. » Idem Græcis tribuunt non pauci auctores, sive rigidioris, sive benignioris doctrinæ circa usuram patroni[1].

Sed non desunt qui putent hanc doctrinam fuisse immerito Græcis adscriptam, sicut de pluribus aliis punctis accidisse conqueruntur ii qui accuratius eorum sententias exploraverunt. Ita inter alios Bossuet, et præsertim Ballerini[2].

[1] Inter priores, *Collat. Parisiens., de Usura*, t. I, l. II, Conf. I, §. 1, p. 23, ait Græcos schismaticos permittere usuram sive erga pauperes, sive erga divites, additque eos versari in eo errore a sæculo XII, et recessisse a doctrina majorum. Inter posteriores, non pauci occurrunt juxta quos Græci permittunt lucrum ex mutuo, non erga pauperes, sed erga divites; cumque ipsi asserant eam fuisse doctrinam XII priorum sæculorum, non existimant Græcos recessisse a doctrina majorum, sed eam retinuisse. Cum insuper Græci, quando ad unitatem catholicam redierunt, speciatim in concilio Florentino, obligati non fuerint ad eam doctrinam abjiciendam, inde argumentum in suæ causæ patrocinium educunt. Vid. Broedersen, *de Usuris*, col. 1151, et 1294-1316; La Luzerne, *Diss. sur le Prêt*, t. III, p. 484 et seq.

[2] Ait Bossuet, *Tr. de l'Usure*, prop. V, in fine, Ecclesiam Græcam servasse eamdem doctrinam ac Ecclesia Latina, idque colligit ex testimoniis plurium auctorum Græcorum quos indicat. Ea testimonia proferuntur in opere inscripto : *Dogma Ecclesiæ circa Usuram*, p. 350

Existimat postremus iste auctor, §. v, circa sæculum XIII exortum esse primum errorem circa usuram. Nempe hæretici qui se *catharos* seu puros nominabant, inter multos alios errores docebant usuram non esse peccatum[1] : et contra hunc errorem latum est decretum concilii Viennensis, ann. 1311 : « Si quis in illum errorem « inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere « usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hære- « ticum puniendum. » Nihil tamen in contextu indicat ea occasione latum fuisse decretum.

1113. III. Pergit Benedictus XIV : « Græcis ex parte « consensit Calvinus, qui ad cap. x Ezechielis, licere do- « cuit aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere,

et seq. Asserit BALLERINI, §. III et IV, per duodecim priora sæcula errorem dogmaticum circa usuram nullum fuisse, sed vulgarem tantum ex ignorantia. Observat deinde, absque sufficienti fundamento errorem præfatum Græcis tribui, cum nullus auctor Græcus a quopiam allegetur, sed id primus prodiderit GUIDO Carmelita, et ex eo ALPHONSUS DE CASTRO, aliique nonnulli. Et quidem observare possumus Guidonem illum (qui obiit an. 1342) a pluribus eruditis haberi ut *levis admodum fidei* in sua *Summa de hæresibus*, ut videri potest ap. COSM. DE VILLIERS, in accuratissima *Bibliothec. Carmelitan.*. v° *Guido Terrena*, t. I, col. 584 et 585 : Alphonsum autem, *Advers. hæreses*, l. XIV, v° *Usura*, col. 1029, afferre solum testimonium Guidonis absque ulla discussione, et addere : *Et certe miror quod homines in sacris litteris versati.... in tam apertam hæresim lapsi sint.* Tandem concludit Ballerini afferendo testimonia auctorum Græcorum, etiam recentiorum, quæ ostendunt Græcos in hoc puncto non dissentire a Latinis.

[1] Plures profert Ballerini auctores qui id de ipsis testantur, speciatim ven. MONETAM, qui in opere *Adversus catharos et valdenses*, quod Romæ edidit P. RICHINIUS, an. 1743, l. V, c. XIV, §. 2, p. 547, exhibet rationes a catharis allatas, e quibus duas indicabimus : « Tertia causa « est, quia licet locare domum suam, aut vineam alicui, intuitu ali- « cujus rei temporalis, quare et mutuare. Quarta causa est, quod « dicunt usuram esse voluntariam, id est, voluntarie datam. » Observare haud inutile erit ven. Monetam, qui mortuus est circa medium sæculi XIII, eas rationes refellere eodem prorsus modo ac theologi recentiores, et probare, §. 3, p. 548, usuram esse restituendam.

« sed a divite, præcise ratione mutui exigere. Errorem a « Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit « Carolus Molinæus in suo *Tract. de Usuris*, ubi, n° 10, « audacter affirmat, usuram non esse prohibitam, *nisi in* « *quantum est contra charitatem*. Distinguit deinde, n° 85, « tres hominum gradus. Primus complectitur pauperes « emendicata stipe viventes, quibus, non mutuo, sed « eleemosyna succurrendum ait : alter, indigentes qui « pro tempore indigent, quamvis pares sint mutuo postea « restituendo; atque his quoque mutuum gratuito dandum « asserit : tertius gradus complectitur divites et mercato- « res, qui nihil indigent, sed rem suam negotiatione am- « plificare student; et ab his usuram moderatam, ratione « mutui, juste ac sancte exigi posse tradit Molinæus. « Eamdem pravam opinionem amplexatus, alia ratione « defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero « inscripto *de Usuris*, altero *de Trapezitico fœnore*, quibus « in locis usuram, nisi charitatem lædat, ab omni culpa « absolvit, eo quod sit *merces locatæ pecuniæ*. Verum « quamquam plurimi heterodoxi, Calvini, Molinæi, et « Salmasii systemati stabiliendo allaboraverint, inter quos « Petrus Heinigius, *lib.* 2, *quæst.* 1, Gerardus Noodt, « *de Fœnore et Usuris*, lib. 1, Gronovius et Barbeyrac, in « *Notis ad Hugonem Grotium*, lib. 2, cap. 12, Boeh- « merus, *Jur. Eccles. protest.*, tom. 5, lib. 5, tit. 19, « rationem tamen qua eam Salmasius tutatus est fere « omnes refellerunt, recte arbitrantes mutuatæ pecuniæ « dominium transferri in mutuatarium, ac propterea non « posse mutuum locationi ullo pacto comparari, sicut « testatur Gotfridus Mascovius in *Notis ad Puffendorf*, « lib. 5, c. 7, §. 5. »

En igitur quæ sit mens Protestantium[1]. Ab initio quidam

[1] Juxta Bossuet, *loc. cit.*, primus usuram non esse sub lege nova prohibitam docuit Bucerus : idem asserit Concina, *Usura contract.*

ex ipsis aliter sentiebant : sed postea satis communiter in eamdem sententiam prolapsi sunt[1].

trini, app. II, §. II; sed plura Buceri testimonia profert e quibus apparet illum non permisisse usuram modo tam absoluto, sed inter alia voluisse ut, si mutuatarius qui pecunia *usus sit bona fide, non solum nihil lucretur, verum etiam jacturam faciat, tunc ille qui pecuniam dedit utendam participet hoc damno, uti participat lucro cum Dominus illud dederit.* Calvinus mentem suam exponit tum *In* VIII *præceptum*, Oper., t. I, col. 1112, edit. Genev. 1617, tum *In Ezechielem*, c. XVIII, fol. 93 verso, tom. IV, (quæ duo testimonia profert PAGÈS, t. I, p. 4, 5); tum præsertim in *Epistola*, quæ legitur t. VI, part. II, col. 488, ubi multa profert quæ a recentioribus auctoribus adhibita deinceps fuerunt, simulque plures apponit exceptiones *sub* quibus *usuram pecuniæ legitime percipi posse tantum, non secus* docet : *prima est, ne exigatur usura ab egentibus hominibus.... Quarta, ut qui mutuo accipit lucretur tantumdem aut plus etiam ex ea pecunia, quam qui illi mutuo dat, sive industriam sive operam conferat.* Integra refertur hæc epistola in opere de quo infra : *Considérat. sur le prêt à intérêt*, par un jurisconsulte (M. Rendu), *Append.*, p. 2 et seq. Quod ad Molinæum spectat, licet in fide catholica obierit, hic reponitur inter Protestantes, quia, ut ait BOSSUET, *loc. cit : Il a été très-assurément dans l'hérésie, et a mêlé tant de choses dans ses écrits qu'on ne le regardera jamais comme un homme dont l'autorité soit considérable en matière de théologie.* Juxta BROEDERSEN, col. 1615, et quosdam alios, immerito dicitur eum hausisse suam sententiam ex Calvino, cum ipse Calvino senior fuerit. Sed quidquid sit, de ejus mente satis constat : plura testimonia ex ejus opere inscripto *Tractatus commerciorum et usurarum*, quod prodiit an. 1546, in-fol., et insertum est tom. II Operum, profert GAITTE, *Tr. de Usura*, p. 298 et seq. Vid. etiam *Le défenseur de l'usure confondu*, p. 537 et seq., ubi quædam proferuntur etiam ex *analysi* ejusdem operis ab ipso auctore sermone Gallico conscripta. Hinc a recentioribus jurisperitis frequenter in eum sensum allegatur, ut postea videbimus. Ex Salmasio plura dabit PAGÈS, t. I, p. 8 et seq.

[1] Præter auctores a Benedicto XIV indicatos, citari possunt e theologis SERVATUS GALLÆUS, qui in *Notis ad Institutiones Lactantii* quas vulgavit an. 1660, docet usuram non esse prohibitam nisi quando adversatur charitati; et præsertim minister LA PLACETTE, *Div. Trait. sur des matières de conscience*, 1 vol. in-12, 1699, Tr. II, *de l'Intérêt*, p. 74-192, ubi suam sententiam cum magna subtilitate propugnat. Priorem confutavit Aloys. BULTEAU, Benedictinus S. Germani a Pratis, in opere quod cum laude commemorat Benedictus XIV, *loc. cit.*, n° 9, *Défense des sentiments de Lactance sur le sujet de l'usure*, 1 vol.

1114. IV. Pergamus audire Benedictum XIV. « Impiæ « Calvini et Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere « pauci quidam doctores catholici. Distinguunt et isti « duplex genus mutui : unum, quo pecunia aliave res « datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum in- « digentibus, pecuniam mutuam accipientibus ut se suam- « que familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui « tradant, etc. Alterum quo datur ad negotiationem, ut « cum mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuo pe- « cuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum « reportant. In primo casu usuram esse fatentur quidquid « exigitur ultra sortem; at a fœnoris labe excusant lucrum « quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo « sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus de- « finitum. » Subdit Benedictus XIV, *novam hanc distinctionem, ab hæreticis primum excogitatam, prævertisse Ecclesiæ Patres, qui uno ore, absolute atque indefinite fœ-*

in-12, 1671. Inter auctores qui de jure naturali scripserunt, citare possumus Puffendorf, *Dr. de la nat. et des gens,* l. v, c. vii, §. 8 et 9; Barbeyrac, tum in notis ad eum Puffendorfii locum, tum in opere inscripto : *Tr. de la morale des Pères de l'Église,* c. ix, §. vi, ubi propugnans veteres Patres quamlibet usuram reprobasse, addere non veretur : « J'ai dit, et je le répète, que c'est une des choses qui « montre le plus palpablement la crasse ignorance des Pères de l'Église « et de leurs apologistes en fait de droit naturel et de morale; » et Grotium, qui primum in suo opere *de Jure belli et pacis,* l. ii, c. xii, §. xx, docuit usuram non esse quidem vetitam jure naturali, at prohiberi lege divina christianos ipsos obligante, sed postea *Comment. in S. Lucam,* vi, 35, Oper. t. ii, p. 380 et seq., prohibitionem restringit ad solos Judæos : « De tout ce qui a été dit en faveur de l'usure, je ne « connois rien de meilleur ni de plus judicieux que ce qu'en a écrit « Grotius sur S. Luc, vi, 35; » ita loquitur Bossuet, qui eum confutavit speciali tractatu, brevi quidem, sed uberrimæ doctrinæ, qui exstat Oper. t. xxx, p. 643-698, et pluries seorsim editus est : hujus analysim exhibet Pagès, t. ii, p. 406-414. Quoad Ger. Noodt, quem citat Benedictus XIV (*De Fœnore et Usuris libri* iii, Oper. t. i, p. 175-264), agit de usuris historice præsertim et juridice, sed magnis extollitur laudibus ab iis qui in eodem sensu deinceps scripserunt.

neratitium pronuntiaverant quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur : Plura eorum testimonia profert ; deinde ostendit *Calvini et Molinæi asseclis non suffragari aut loca Sacræ Scripturæ speciatim prohibentia ne pauperes usuris opprimantur, aut sententias Patrum usuras dumtaxat redarguentium immoderatas, aut canones conciliorum solos clericos fœneratores severis pœnis subjicientes* : et tandem concludit, n° 9 : « Jure itaque ac merito auctores permittentes mo-« deratum lucrum ex mutuo a divite et negotiatore exigere, « veluti adversantes communi et perpetuæ catholicæ Ec-« clesiæ doctrinæ, inclamarunt et validissimis argumentis « confutarunt Navarrus, *Comm. de Usuris*, n° 8 et seq.; « Gibalinus et Leotardus, in suo quilibet *de Usuris* trac-« tatu; card. de Lugo, *de Just. et Jure*, t. 2, disp. 25; « Jacobus Gaitte, egregio opere cui titulus, *Tractatus de* « *Usura et Fœnore*, quod concinnavit adversus Molinæum, « Salmasium, auctoremque libelli Gallici, *Traité de la* « *Pratique des Billets* ; Sainte-Beuve, in *Resolutionibus Ca-* « *suum conscientiæ*, edit. in-4°, tom. 2, cas. 121; Aloy-« sius Bulteau, in *Apologia pro Lactantio in materia* « *usurarum*, edita Parisiis an. 1677; Pouget in suis *In-* « *stitutionibus catholicis*, edit. in-fol., t. 1, p. 751 et seq.; « Natalis Alexander, *Theol. dogmat. et moral.*, t. 2, l. 3, « c. 7; Genet, *Theolog. moral.*, tom. 1, tr. 4, *de Mutuo* « *et Usura*, quæst. 6 et seq.; Pontas, in *Diction. Casuum* « *conscientiæ*, t. 3, v° *Usura* ; continuator Prælectionum « theologicarum Honorati Tournely, tract. *de Contracti-* « *bus*, aliique plurimi[1]. »

[1] Paulo fusius hic indicare juvat præcipua opera quæ de ea quæstione specialiter in utramque partem fuere conscripta : exinde melius dignoscetur status controversiæ, simulque facilius et utilius erit ad ea opera recurrere. Simile quid jam præstitit, an. 1819, vir optimæ memoriæ, Picot, *l'Ami de la Religion et du Roi*, n^is^ 542, 545, 547, t. xxi, p. 305, 355, 385 et seq.

Circa medium sæculi xvii quidam casuistæ varias propositiones

1115. V. Prosequitur Benedictus XIV, n° 10 : « Ve-« rum quoniam tot doctorum auctoritate et argumentis

docuerunt usuræ faventes. Ita inter alios auctor (P. Pirot, jes.) libri cui titulus : *Apologie pour les casuistes*, 1657, damnati per decretum Inquisitionis Romanæ 21 aug. 1659, et per multos Galliæ episcopos. Inter propositiones ex illo libro extractas et damnatas a facultate theologica Parisiensi 16 jul. 1658, et a vicariis generalibus archiepiscopi Parisiensis (card. de Retz) 23 aug. ejusdem anni, occurrunt XVIII ad præsentem materiam spectantes. Vid. Dupin, *Hist. ecclés. du* XVII^e *siècle*, t. II, p. 446 et 479. Sed et ipsi summi Pontifices plures damnarunt propositiones doctrinæ laxioris, nempe Alexander VII, 24 sept. 1665, et 18 martii 1666, et Innocentius XI, 2 martii 1679; inter quas ad usuram referuntur prop. XLII Alex. VII, et prop. XL, XLI, XLII Innoc. XI. Tandem has quatuor propositiones cum duabus aliis de eadem materia damnavit clerus Gallicanus, an. 1700. Eas omnes afferendi in decursu se dabit occasio. Censura cleri Gallicani lata est duce præsertim Bossuet, qui jam ab anno 1682, tractatum supra memoratum ea intentione conscripserat, ut legimus in ejus *Historia*, l. VI, t. II, p. 223. Vid. *OEuvres de Bossuet*, t. VII, p. 325, 330 et 377, edit. Versal., et Pagès, t. II, p. 414 et seq.

An. 1673 Tolosæ prodiit liber cui titulus, *de Usu licito pecuniæ*, 1 vol. in-18, 231 pp., auct. P. Maignan, ex ordine Minimorum, qui propugnat quidem usuram esse prohibitam, sed cujus doctrina in hoc resolvitur, ut ipse asserit p. 42, « ut sit licitus contractus quo propriam « quis pecuniam, retento sibi proprietatis in eam dominio, proindeque « repetendam, tradit ad negotiandum non sua, sed aliena mediante « opera et industria ad id conducta, cum pacto vindicandi quidem « sibi partem unam lucri mediocrem, judicio prudentum determinan-« dam; cæteras vero concedendi pro idoneo et justo pretio, hinc ad « alienæ, ut dictum est, conductæ operæ atque industriæ valorem com-« pensandum, hinc ad periculum redimendum quod esse potest amis-« sionis pecuniæ. » Eum contractum vocat, p. 108, *Commissæ pecuniæ*, aitque differre a mutuo, ex quo agnoscit injustum esse lucrum exigere, quia, inquit, p. 100, 110, adest mutuum quando pecunia gratis utenda traditur, et ideo tantum injustum erit lucrum quia erit contra tenorem contractus. Idem fere docuit P. de Colonia, ejusdem ordinis, *Éclaircissement sur le légitime commerce des intérêts*, Lyon, 1676, 1 vol. in-8°, 274 pp. Juxta illum, p. 22 et seq., quando pecunia traditur ad negotiationem, fit saltem implicite triplex contractus, nempe societatis, et assecurationis tum sortis, tum cujusdam lucri; si vero tradatur alteri quam negotiatori, adest census ad tempus, vel alius contractus implicitus, p. 84 : sed non adest verum mutuum, quod exigit dominii translationem, et ex quo proinde lucrum nequit per-

« minime perterriti, prædictam exoticam opinionem non-
« nulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad

cipi, p. 99, 161. Uterque ille liber juxta quosdam, aut saltem prior repositus est in indice librorum Romæ prohibitorum, et a septem episcopis Gallicanis damnatus. Circa idem fere tempus, prodierunt duo scripta pro sententia opposita. *L'usure expliquée et condamnée...., par* M. Dutertre, *prêtre,* Paris, 1673, vol. in-12, 292 pp., et nov. edit., *avec quelques autres ouvrages sur cette matière,* Rouen, 1697, 204 pp. Auctor dicitur fuisse P. Thorentier, presb. Oratorii; confutat quamdam *Epistolam de usura* conscriptam a theologo, quem dicunt fuisse P. Chaduc, pariter presbyt. Oratorii : et ad calcem novæ editionis refert varia documenta, speciatim litteram pastoralem ven. Alani de Solminihac, episc. Cadurcensis, quam etiam pro sua diœcesi promulgavit episcopus Catalaunensis, 31 martii 1668. Utriusque episcopi epistola seorsim prodiit Catalauni, 1770, vol. in-18. Alterum opus inscriptum erat : *Le faux dépôt, ou Réfutat. de quelques erreurs populaires touchant l'usure,* Mons, 1674, vol. in-12. Auctor erat Bulteau, jam citatus. Iterum prodiit, an. 1720, sub hoc titulo : *Traité de l'Usure...., par feu* M. Nicole, vol. in-12, 220 pp. Vid. Barbier, *Dictionn. des ouvrag. anonymes,* t. III, n° 18131.

Anno 1684 prodiit liber cui titulus, *Traité de la pratique des billets entre les négocians,* Mons, 1 vol. in-12 parv., 345 pp. Ex epistola a Bossuet conscripta ad episcopum Castoriensem, t. XXXVII, p. 288, et aliunde novimus auctorem fuisse Le Correur, presbyterum in parochia S. Germani Autissiodorensis Lutetiæ servientem. « Hoc « libro, pergit Bossuet, de usura ea docentur quæ sacris conciliis et « omnium sæculorum perpetuæ ac perspicuæ traditioni repugnent. » Duplex mutuum distinguit : alterum quo res datur in consumptionem sive directam, sive indirectam, alterum quo datur in negotiationem seu amplificationem. Si lucrum ex priori percipiatur, erit usurarium, ac proinde injustum, utpote ex re sterili perceptum, p. 22; sive percipiatur a paupere, sive a divite, p. 32, 33. Si vero agatur de posteriori, quod nonnisi improprie mutuum dicitur, non est usurarium, nec injustum, quia res non datur in consumptionem, sed in usum pretio æstimabilem; p. 36, 79. Cæterum auctor methodum scholasticam secutus, cum multa arte et valde subtiliter sua argumenta evolvit. Hunc confutaverunt plures, et præsertim Gaitte, canonicus Lucionensis, *Tractat. de usura et fœnore, item de usurar. trium contractuum pravitate,* Parisiis, 1688, 1 vol. in-4°, 876 pp., docto quidem et *egregio,* ut vocat Benedictus XIV, sed ex nimia prolixitate et diffusione minus utili. Secunda pars operis, p. 715-876, est nova editio opusculi jam antea ab auctore editi sub hoc titulo : *Dissertatio de usuraria trium contractuum pravitate,* Lugduni, 1673, 1 vol. in-18,

« Petri Cathedram evecti, ne catholicæ doctrinæ puritas, « cujus depositum nobis est a Christo concreditum, hac

231 pp., addita confutatione cujusdam scripti contra hanc dissertationem vulgati. Contra Le Correur prodierunt etiam plura alia opera, in quibus magis ex professo et sigillatim expenduntur et confutantur singula ejus argumenta. Primum inscribitur, *De la Pratique des billets, où les sentiments de l'Écriture sont fidèlement exposés* (auct. Carrel), Louvain, 1690, 1 vol. in-12, 168 pp. Ibi redarguitur Le Correur eo quod suam opinionem ex ratione tantum, non autem ex scriptura et traditione fulciverit : cumque argumentum eduxisset ex eo quod usura adversetur juri naturali, non vero lucrum ex mutuo quod vocat negotiationis, reponit Carrel ipsam usuram non repugnare juri naturali, sed esse lege divina prohibitam. Secundum opus inscribitur, *Réfutation de la pratique des billets,* Paris, 1702, 1 vol. in-12, 300 pp. (auct. Lemaire, canonic. Bellovacens.). Tertium, *Examen théologique et canonique du traité de la pratique des billets,* Paris, 1746, 1 vol. in-12, 471 pp. In his operibus, speciatim in ultimo, satis clare varia eliduntur auctoris sophismata, quamvis post ea perlecta quædam adhuc desideranda supersint. Huc etiam afferri potest opus P. Hernio, de quo nonnulla mox dicemus.

Cum in variis provinciis in praxi sæpe vigerent varii modi lucrum percipiendi e pecunia alteri tradita, hinc data occasio quorumdam operum. Sic 1°. an. 1690 prodiit opus inscriptum : *Traité des usures, ou Explication des prêts et des intérêts par les lois qui en ont été faites en tous les siècles,* 1 vol. in-8°, 302 pp. Auctor erat Collet, advocatus. Multis allatis de usu mutui et usurarum apud Judæos, Græcos, Romanos et Christianos, ostendere conatur condemnari non debere stipulationes seu obligationes auctuarii quæ in Bressia iniri consueverant et in usu communi vocabantur *Contrat Bressan* : sed fatetur ab initio, usum illum reprobari a senatu Parisiensi et plerisque aliis, a curia Romana, ab universitate Parisiensi et collegio Sorbonico, etc. 2°. In Armorica praxis invaluerat exigendi auctuarium e mutuo datis denariis, ut aiunt, pupillorum. Contra hanc praxim scripsit P. Hernio, ord. Prædic., *Tr. de l'usure, avec les répons. au Tr. de la pratiq. des billets, et à une Dissert. sur les intérêts des deniers pupillaires selon l'usance de Bretagne,* Rennes, 1699, 1 vol. in-12, 556 pp., cui accessit additio 289 pp. contra theologum nomine de Khuel, qui ipsum confutare tentaverat. An. 1709, cum Renatus de La Bigotière de Perchambault emisisset *Factum,* ut ipse inscribebat, in gratiam allatæ praxis, et a pluribus impugnatus recurrisset ad facultatem theologicam Nannetensem, prodiit *Réponse au factum touchant l'intérêt des deniers pupillaires imprimé à Rennes,* par les commissaires députés de la fac. de théol. de Nantes, Nantes, 1713, 1 vol. in-4°, 106 pp. Addita est

« erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ episcopos Ency-
« clicis Litteris sub die prima novembris 1745, hæc inter

Réplique sommaire aux deux dern. ouvr. de M. de P. sur l'usure, 56 pp. His duobus operibus subscripserunt quatuor doctores, et ea probaverunt quatuordecim alii. Strenue reprobant quodcumque lucrum ex mutuo perceptum. 3°. In Lotharingia jamdiu vigebat praxis mutui quod dicebant *Prêt par obligation stipulative d'intérêts*. Jac. de Fieux, episcopus Tullensis hunc usum damnavit per litteras pastorales 25 april. 1679 : quas cum impugnasset Guynet, advocatus, in opusculo inscripto, *Factum ou Propositions succinctement recueillies des questions qui se forment aujourd'hui sur la matière de l'usure*, Henric. de Bissy successor Jac. de Fieux hoc opusculum damnavit 23 sept. 1703. Utriusque episcopi mandatum legitur ad calcem operis Ballerini contra Maffei, de quo infra. Mandatum de Bissy probavit Bossuet, sed ejus promulgationi obstitit auctoritas civilis. *OEuvres de Bossuet*, t. xlii, p. 710. Refertur istud mandatum apud Pagès, t. ii, p. 5 et seq. Opusculum advocati Guynet damnatum fuit 11 mart. 1704 in *Indice* librorum prohibitorum. Videri potest de prædicto usu Lotharingiæ Petitdidier, soc. Jesu, *Dissert. théolcgiq. et canoniq. sur les prêts par obligat. stipulat. d'intérêt*, 2e édit., Nancy, 1748, 1 vol. in-12, 283 pp. Multis ostendit non posse talem usum in conscientiæ foro probari. 4°. Tandem in fœderato Belgio seu Batavia, circa an. 1728, acrius excitata est controversia inter jansenistas ibi profugos. In his provinciis vigebant quidam contractus, sub nomine census utrinque redimibilis, quos quidam cum impugnassent, alii eos tueri conati sunt : cumque objecta iis usura vix posset abstergi, sensim in usuræ defensionem delapsi sunt, pronuntiantes eam non esse nisi contra charitatem, et sive in Scriptura, sive in traditione non prohiberi nisi erga pauperes. Ea de causa multos ediderunt libros; plus quam decem et octo citantur, quos enumerare inutile esset; plures indicat Ballerini, §. xi, p. xxxvii et seq., et Picot, p. 311. Præcipuus inscribitur : *De usuris licitis et illicitis libri* xii, *auct.* Nicol. Broedersen, *Pastore Roman. catholico, Delfis, etc.*, 1743, 1 vol. in-fol., 1744 col. seu 872 pp. Licet auctor se nuncupet pastorem Romano-catholicum, constat eum fuisse ex ecclesia Ultrajectina quam schismaticam omnes norunt. « Id commodi habet opus illud, ait Collet, c. iii, « n° 31, p. 252, quod id omne exhibeat quod in utramque partem de « usura disceptatum est; unde Bibliotheca, seu verius Polyanthea de « usura nuncupari valet. » Hoc e fonte hauserunt plerique ex iis qui deinceps in eodem sensu scripserunt : ait La Luzerne, t. iii, p. 205, se eum reperisse generatim accuratum in citationibus. Alii, quamvis eidem schismati addicti, contra eam doctrinam insurrexerunt, præcipue in libro cui titulus, *Dogma Ecclesiæ circa Usuram expositum*

« cætera declaravimus. » Ibi Benedictus XIV breve exhibet summarium suæ declarationis, quam ex integro in

et vindicatum, Insulis, 1730, 1 vol. in-4°, 474 pp. Auctores hujus libri (præcipui fuerunt Legros et Petitpied) cujuscumque usuræ prohibitionem adstruunt tum via præscriptionis, tum via discussionis ex Scriptura, et traditione. Hoc opus tanquam in hac materia præcipuum exhibet La Luzerne, t. II, p. 3, et t. III, p. 32, 497, cui notum non fuit opus Ballerini mox a nobis indicandum. Huic sæpe adduntur IV *Lettres touchant la matière de l'usure,* Lille, 1731, 1 vol. in-4°, 176 pp., auctore Petitpied, in quibus præcipue agit de contractibus in Belgio fieri consuetis. His omnibus discussionibus multum perturbata fuit illa ecclesia Ultrajectina : plerique videntur stetisse pro honestate contractuum de quibus disceptabatur. Disceptationi huic se adjunxerunt quidam janseniani a Gallia non profugi. An. 1738 prodiit *Tr. des Prêts de commerce,* Lille (sed vere Amstelodami), 1 vol. in-4°, 411 pp. Auctor videtur fuisse Aubert, parochus de Chanes in diœcesi Matisconensi. An. 1759 prodiit 4 vol. in-12, auctior et in multis mutatus a Mignot, doctore Sorbonico, qui postea, an. 1770, volumen V addidit, ut eum contra impugnantes vindicaret. In eo opere hæc præcipue observari possunt. Auctor ad solvendam quæstionem multum recurrit ad principia juris naturæ, quia, inquit, cum leges divinæ jure naturali fundentur, quod non adversatur juri naturali, non est divina lege prohibitum; t. I, p. 205 et seq., t. V, p. 171 et seq.: in quo eum ultra metas progressum esse agnoscere videtur La Luzerne, t. I, p. 207. Sub eo præsertim respectu confutatus est a Legros, *Lettr. théologiq. contre le Tr. des Prêts de comm.,* in-4°, 1739, 1740. Illæ epistolæ sæpe sequuntur alias epistolas Petitpied modo memoratas. Ea occasione dimissus est Legros ex ecclesia Ultrajectina. Deinde docet Aubert seu Mignot per usuram in S. Scriptura et traditione prohibitam intelligi debere lucrum perceptum e mutuo dato pauperibus : et circa sæculum XIII novam prorsus doctrinam inductam fuisse a scholasticis, qui reprobarunt quamcumque usuram ut injustam; quod fieri potuisse et revera factum fuisse contendit toto tom. IV. Attamen docet, t. V, p. 73, 282, 291, injustum esse lucrum ex mutuo proprie dicto dato diviti; sed injustitiam exinde tantum deducit quod sit contra conventionem. Ex illo opere multa mutuati sunt qui postea in eodem sensu scripserunt. Inter eos qui contra scripserunt, citari potest La Porte, presbyter Monspeliensis, *Princip. théologiq., canoniq. et civils sur l'usure,* Paris, 1769, 3 vol. in-12. Postquam varios auctores generatim confutavit, et de multis quæstionibus circa varias negotiorum et contractuum species docte, etsi paululum rigorose, disseruit, speciatim aggreditur, t. III, p. 29 et seq., VI epistolis ad amicum, quibus VI alias

decursu investigandam habebimus, quod ideo in præsenti omittimus[4]; remittit deinde ad ipsas suas litteras,

mox addidit, præfatum auctorem, cujus tomo v et ipse tomum IV opposuit an. 1772.

Demum eadem occasione opus suum conscripsit PETRUS BALLERINI, presbyter Veronensis, *De jure divino et naturali circa usuram*, quod anno 1744 perfectum, nonnisi an. 1747 lucem aspexit, Bononiæ, in-4°, XLVI-324 pp. Hoc opus cæteris omnibus longe præstantius tum eruditione, tum perspicuitate et discussionis methodo atque ordine, sex libris complectitur quidquid rationabiliter ea de quæstione exoptari potest: id unum desideres ne varia testimonia adeo breviter et quasi mutilata offerat. Cum sex libris jam conscriptis, prodiisset opus Broedersen, ei opposuit Ballerini *Vindicias juris divini et naturalis*, quas sequuntur tria opuscula, scilicet *de Montibus Pietatis*, *de Licito vel illicito ex pecunia lucro*, et *de Contractuum implicitorum systemate*, in quibus multa reperiuntur ad præsentem quæstionem utilia: hæc efformant tom. II operis, iisdem loco et anno, 291 pp.

[4] Operæ pretium erit indicare occasionem hujus declarationis Pontificiæ, et recensere, prout jam cœpimus, præcipua scripta quæ tunc prodierunt. Occasio fuit, ut ipse ab initio refert, controversia exorta per Italiam, an quidam contractus validus judicari deberet. Scilicet cum urbs Verona mutuo accepisset quamdam pecuniæ summam, multi contenderunt licite ei non potuisse dari cum usura. Eos ut refelleret MAFFEIUS, librum Italice vulgavit an. 1744, *Dell' impiego del Danaro*, 1 vol. in-4°, qui iterum prodiit Romæ an. 1746, 300 pp., et postea in linguam Gallicam conversus, Avenione editus est an. 1787, sub hoc titulo, *De l'emploi de l'argent, par M. le marquis de Maffei*, 1 vol. in-8°, 318 pp. Librum suum Benedicto XIV dicavit; unde valde efficax argumentum in gratiam ejus opinionis educere conantur varii auctores: sed nihil ostendit quod istam dedicationem acceptaverit S. Pontifex. Vid. PAGÈS, t. I, p. 25 et seq. Docet usuram quidem esse injustam, quando scilicet lucrum exigitur ultra modum a legibus determinatum, vel a pauperibus; sed non adesse usuram, quando lucrum percipitur moderatum, et a divitibus qui mutuum postulant ad fortunam amplificandam. Librum illum refellit BALLERINI in opusculo Italice conscripto, *La Dottrina della chiesa catholica circa l'usura, etc.*, in-4°, 75 pp., quod nonnisi an. 1747 Bononiæ prodiit. Ad calcem, p. 63, refert mandata Henr. de Bissy, et Jac. de Fieux, episcoporum Tuliensium, jam a nobis memorata. Interim controversia ad S. Pontificem delata, Benedictus XIV post maturum examen, Encyclicam suam ad episcopos Italiæ direxit, in qua doctrinæ catholicæ principia exponit, sed de contractu speciali qui controversias excita-

« quas, inquit, nuperrime theologico Commentario illus-
« travit Daniel Concina ordinis Prædicatorum theologus; »
tandemque sic concludit, n° 11 : « Quamobrem si jam-
« pridem aliquot episcopi, inter quos cardinalis Le Camus,
« episcopus Gratianopolitanus, card. de Bissy, tunc epi-
« scopus Tullensis, Jac. Ben. Bossuet, episcopus Mel-
« densis, et Bragadinus, episcopus Veronensis, in suis
« Edictis et Pastoralibus Instructionibus[1] præfatam pro-
« scripserant erroneam opinionem, utpote quam noverant

verat nihil statuit. An. 1746, P. Concina edidit *In Encyclicam Benedicti XIV commentarium*, qui iterum prodiit Romæ, 1748, 1 vol. in-4°, 148 pp.; et paulo post alterum librum, cui titulus, *Usura contractus trini demonstrata*, cujus secunda editio prodiit Romæ, 1748, 288 pp. In his Broedersen, et illius, ut ait, abbreviatorem Maffeium satis diffuse et prolixe refellit : utiliter legi potest, non solum ob Benedicti XIV commendationem, sed quia, ut ipse indicat in commentarii epistola dedicatoria, fuerat unus e theologis quorum sententia fuerat a S. Pontifice expetita. Cum in posteriori opere, diss. v, vehementer impugnasset plures doctores universitatis Ingolstadiensis, et speciatim P. Pichler, tanquam variis sophismatibus usuræ prohibitionem eludentes, ut socios vindicaret P. Zech, soc. Jesu, in hac universitate professor, in lucem emisit opus inscriptum : *Rigor moderatus doctrinæ pontificiæ circa usuras*; dissertationibus tribus, quarum I prodiit Ingolstadii, 1747, in-4°, 100 pp., II, 1749, 237 pp., III, 1751, 260 pp. Rursus editæ fuerunt Venetiis, an. 1762, ad calcem operis Leotardi *de Usuris*, in-fol., et seorsim an. 1763, 2 vol. in-8°. Hanc ultimam editionem sequemur. P. Zaccaria eas inseruit *Thesauro* suo *theologico*, t. VIII, p. 518-701, iis tamen resectis quæ directe spectant ad P. Concinam et ad PP. Ingolstadienses : item Migne, *Theolog. curs. complet.*, t. XVI, col. 765 et seq. Ut ostendat P. Zech quidquid rigoris est in litteris pontificiis id amplecti professores Ingolstadienses, quidquid vero moderationis id respuere P. Concinam, pleraque attingit non solum ad præsentem materiam pertinentia, sed ad plerosque contractus qui cum ea connexionem habent, multa quidem breviter, sed clare et bene ordinata methodo.

[1] E quatuor episcopis a Benedicto XIV hic indicatis jam duos memoravimus, nempe card. de Bissy, et Bossuet. Card. Le Camus fuit unus e septem episcopis qui damnaverunt librum P. de Colonia, de quo supra diximus. Hujus mandatum dabit *Dogma Ecclesiæ*, p. 49, vel Pagès, t. II, p. 397-400. Bragadinus autem episcopus Veronensis an 1742 promulgavit in usum suæ diœcesis librum *de Doctrina chris-*

« jam a conciliis, summorumque Pontificum constitutio-
« nibus prædamnatam, multo magis integrum nunc erit

tiana, in quo de usura loquitur juxta sententiam communem theologorum. Ejus textum refert PAGÈS, t. I, p. 21.

Indicabimus hic quædam opera jam ante hoc tempus edita, et de quibus dicendi non se dedit occasio in notis præcedentibus. Nonnulla ex iis occurrunt in textu allato Benedicti XIV. 1°. LEOTARDUS, J. P. et senator Niciensis, edidit opus sub hoc titulo : *Liber singularis de Usuris et contractibus usurariis coercendis*, in-fol., ed. IV, ab ipso auctore correcta, Lugduni, 1682, et iterum, ut diximus, Venetiis, 1761. De eo sic loquitur card. GERDIL, *Orat. de Causis academic. disputationum in theol. moral. inductarum*, t. XVI, p. 25, 26 : « Opus « omnibus doctrinæ et elegantiæ numeris absolutum, quod Barbey- « racii ejusque similium commentis fidenter opponere queam... : fuit « enim Leotardus cum eruditione non inferior Barbeyracio, ingenio « sane et judicio, tum usu et auctoritate longe superior. » 2°. Jos. GIBALINUS, Soc. Jesu, *de Usuris, commerciis, deque æquitate et usu fori Lugdunensis*, Lugduni, 1656, 1 vol. fol., 495 et 404 pp., aggressus est, ut jam diximus (n° 1109, defendere usum fori Lugdunensis, quo solent multi *pecuniam per publicos proxenetas negotiatoribus dare eo pacto, ut sibi sors integra maneat, et præterea in singulas nundinas, aut in annum, exiguam aliquam lucri partem, sed certam accipiant, reliquum vero lucrum, quod verosimiliter futurum est, totum cedat mercatori.* Ibi videt tres contractus, et sub eo respectu nihil inesse injusti aut usurarii propugnat speciatim libro VI : in reliquis vero multa disserit, non solum de mutuo et usura, sed et de universa contractuum et commerciorum materia ; quam cum unico volumine et libris VII exhaurire, prout animo proposuerat, non potuisset, eam prosecutus est altero opere, *De universa rerum humanarum negotiatione*, Lugduni, 1663, 2 vol. fol., 668-718 pp. In his multa sane occurrunt utilia, et ad praxim rerum humanarum magis accommodata quam in libris theologorum vulgo occurrere solent. 3°. DE VOURRIC, advocatus in senatu Tolosano, *De l'usure et des vrais moyens de l'éviter par l'usage de divers contrats licites*, Avignon, 1687, 1 vol. 8°, 448 pp., quædam habet contra Maignan de quo supra, et multa exhibet ad praxim utilia et methodice exposita. 4°. An. 1697, paulo post mortem P. Thomassin, editus est ejus liber, *Traité du Negoce et de l'Usure*, 1 vol. 8°, in quo quæstionem expendit potissimum ex traditione et Ecclesiæ monumentis. 5°. *Collator Ambianensis de Theolog. morali*, in-12, 1707, t. III, solide et moderate expendit varios casus practicos circa hanc materiam. 6°. P. LE SEMELIER, *Confér. de Paris sur l'Usure*, 4 vol. in-12, multa speciatim discutit ad praxim spectantia, utilia quidem, sed aliquando forsan paulo nimis rigida.

« episcopis illam, postquam iterum nominatim et expresse « est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, « constitutionibus e sua diœcesi exturbare, eamque te- « mere disseminantes, aut usu ipso approbantes, severis « pœnis coercere. » Hactenus Benedictus XIV in suo opere *de Synodo diœcesana*, quod in lucem emisit triennio post datam Encyclicam, scilicet an. 1748, et iterum an. 1755 cum nova librorum et capitum divisione multisque additionibus, sed sine ulla mutatione quoad præsentem materiam.

An. 1749, cum P. Carolus Felix, ord. Capucinorum, missionarius in Africa, regulam a Sede Apostolica exquisiisset de pecunia quam servi christiani dare ad lucrum solebant negotiatoribus hebræis, quæstione proposita in congregatione S. Officii coram S. Pontifice, 17 april. 1749, mandavit Benedictus XIV ut in talibus casibus missionarius se gereret ad normam suæ Encyclicæ, cujus quoddam veluti summarium et explicatio exhibetur in Instructione ad eum directa, quam ex integro dabit Pagès, t. 1, p. 129 et seq.

1116. VI. Ex hac solemni S. Pontificis declaratione videri poterat dirimi debere controversia. At multum abfuit quin res ita cederet. Non solum enim Maffeius ad quem Encyclicam suam statim miserat Benedictus XIV, sibi ipsi gratulatus est in epistola dedicatoria editionis II, se quidquid in ea tenendum traditur in antecessum docuisse, quidquid vero reprobatur non docuisse, quamvis contra eum directam fuisse Encyclicam plura ostendere videantur quæ exhibet Pagès, t. 1, p. 25 et seq., sed paulo post non defuerunt auctores[1] qui easdem opiniones

[1] Seriem controversiarum enarrare pergemus, indicando præcipua scripta ea occasione edita.

Jam ab anno 1741 prodierat *Examen théologique sur la société du prêt à rente, Dialogue entre Bail et Pontas* : IIIe édit., Paris, 1747,

quas supra indicavimus variis successive temporibus propugnarent. Sed non defuerunt etiam qui eos confutarent: nec immutata fuit scholarum catholicarum doctrina. Scribebat Ribalier, syndicus Facultatis Theologiæ Pari-

1 vol. in-12, 168 pp. Auctor (dicitur fuisse P. Grangier) ibi propugnat præcipue triplicem contractum. Novæ editioni quæ prodiit Nanceii, 1762, 258 pp., accesserunt approbationes plurium universitatum præsertim Germaniæ. Adjuncta est, p. 198 et seq., *Lettre d'un négociant sur le prêt,* quæ nihil aliud est quam opusculum quod an. 1756 emiserat in lucem Gastumeau, Academic. Rupellensis, *Dissert. sur la légitimité des intérêts d'argent qui ont cours dans le commerce,* la Haye, in-12, 93 pp. Utrumque satis solide confutavit Lecoq, præpositus generalis Eudistarum, *Dissert. théolog. sur l'usure du prêt de commerce et des trois contrats,* Rouen, 1767, 1 vol. in-12, 406 pp.

An. 1751 edidit Formey opusculum inscriptum : *Examen de l'usure suivant les principes du droit naturel,* quod legitur inter ejus miscellanea, *Mélanges philosophiques de M. Formey,* Leyde, 1754, in-12, t. I, p. 215-238. Hunc confutavit Delan, doct. Sorbon., *L'usure condamnée par le droit naturel, Rép. à M. Formey,* Paris, 1753, in-12, 186 pp.

An. 1763 prodiit *Lettre à Mgr. l'archev. de Lyon dans laquelle on traite du prêt à intérêt à Lyon,* in-8°, Avignon (ementito nomine). Auctor erat Prost de Royer; maximam partem habuisse dicitur Voltaire (vid. Barbier, n° 9279) : unde intelligi potest quo spiritu conscripta fuerit. Contra eam epistolam scripsit P. Hyac. de Gasquet, Capuc., *L'usure démasquée, ou Exposition et réfutation,* etc. Prima pars *de jure naturali* prodiit Avenione, 1766, 1 vol. in-12, 478 pp.; altera pars *de Veteri et Novo Testamento,* Parisiis, 1788, 2 vol. in-12. In his non desunt principia utilia, sed nimis diffuse exposita. Cum plura ex epistola memorata sine confutatione reliquisset, id præstare conatus est Frayssé, missionar., *Entretiens sur la véritable idée de l'usure,* t. I, Toulouse, 1783, 1 vol. in-12, 383 pp. Nescimus an tomus alter prodierit. In decursu operis multa adducuntur ad praxim attinentia. Contra eamdem epistolam, simulque contra opus Laforet (de quo statim) edidit Souchet, advocatus Rupellensis, *Tr. de l'usure, servant de réponse à une lettre sur ce sujet..., au Traité anonyme...,* Paris, 1778, 250 pp. in-12.

An. 1769 prodiit *Traité de l'usure et des intérêts,* Cologne et Paris, 1 vol. in-12, 342 pp. An. 1776 quædam addita sunt cum hoc titulo, *Traité.... augmenté d'une défense du traité et de diverses observations sur les écrits qui l'ont combattu,* x-98 pp. Auctor (de Laforest, parochus in urbe Lugdunensi) propugnat in mutuo, ut aiunt, negotiationis non admitti usuram, sed lucrum percipi vi triplicis contrac-

siensis, in approbatione operis a Capmas contra Rulié conscripti, 27 martii 1782 : « Je n'y ai rien trouvé qui « ne soit conforme à la doctrine dont la Faculté de Théo- « logie de Paris a toujours fait profession, et qu'elle

tus, seu, ut ait, vi novi tituli qui vocari potest *Lucrum adveniens*. Vid. p. 31 et seq. Id probare nititur variis argumentis quæ clare satis et methodice exponit. Hunc confutavit Laporte, in sex novis epistolis ad amicum de quibus supra, *Nouvelles lettres à un ami sur les prêts usuraires de commerce,* Amsterdam, 1769, 1 vol. in-12, 138 pp. An. 1775 prodiit *Abrégé du traité de l'usure et des intérêts,* Amsterdam, 1 vol. 12, 155 pp., in quo, post brevem et claram libri analysim, singula auctoris principia et ratiocinia ad examen vocantur et nitide impugnantur. Item eodem anno, *Remarq. sur le tr. de l'us. et des intér., pour serv. de supplém. à la diss. théolog. sur l'usure,* 46 pp. in-12, auct. Lecoq, de quo supra. An. 1777, *Observat. sur la nouv. édit. ou la défense du Traité...,* 71 pp. in-12. Sed fusius eum confutavit P. Carpuac, ord. Minor. Convent., *Examen et réfutation du Traité de l'usure et des intérêts,* Avignon, 1779, 1 vol. in-12, 416 pp., in quo sequitur præcipue Benedictum XIV et Bossuet : contra ipsum dirigitur opusculum inscriptum, *Confér. entre un religieux, sav. casuiste de Toulouse, et un négociant de Marseille, sur l'interêt de l'argent,* Paris, 1782, 78 pp. in-12. Quosdam alios auctores qui Laforest impugnaverunt mox indicabimus.

An. 1771 prodierunt sine nomine auctoris et typographi, sed, ut videtur, in Normannia, *Réflexions sur le prêt de commerce,* 45 pp. in-12. Contra scripsere La Porte, *Principes...,* t. IV, p. 350 et seq.; Lecoq, *Remarques...,* p. 47-143; P. Aug. de S. Lô, Capuc., *Exam. et réfutat. des Réflex. sur le prêt de commerce,* Vire et Paris, 1775, 1 vol. in-12, 206 pp., ubi impugnat etiam Laforest et Prost de Royer; Liger, *Lettr. critiq. et dissert. sur le prêt de commerce,* Caen, 1774, 1 vol. in-12, 234 pp.

An. 1780 prodiit *Théorie de l'intérêt,* Paris, 1 vol. in-12, 306 pp. Præcipuus auctor erat Rulié, parochus in diœcesi Cadurcensi; operi manum adhibuerunt etiam alter parochus Gouttes, et Turgot postea regius minister. Operis auctores vehementer insectantur theologos, quos, inquiunt, in errores gravissimos induxit doctrina Aristotelis. Verum et methodum nitidam et solida argumenta, et sive scripturæ sive traditionis claram discussionem frustra ibi quæras. Cum auctor in causæ suæ patrocinium allegasset Nicole, hujusce doctrina discussa fuit in opusculo inscripto : *La théorie de l'intérêt de l'argent réfutée par un seul fait,* 36 pp. in-12 (per allusionem ad librum ejusdem Rulié cui titulus : *La Relig. chrétienne prouvée par un seul fait*). Sed accurate librum illum confutavit Laporte, *Le défenseur de l'usure confondu,*

« regarde comme la seule qui doive être enseignée. » Resque in eo statu permanserunt usque ad initium perturbationis Gallicæ.

1117. VII. Hactenus non solum consentanea erat le-

Paris, 1782, 1 vol. in-12, 589 pp., cujus editor fuit MAULTROT de quo mox dicemus, qui et addidit *Recueil chronologique des ordonnances et arrêts qui condamnent toute usure;* P. CARPUAC, *L'usure expliquée et condamnée,* Toulouse, 1782, 1 vol. in-12, 446 pp.: solide evolvit varias propositiones a Bossuet in suo tractatu stabilitas; CAPMAS, parochus in diœcesi Cadurcensi, *La théorie de l'intérêt de l'argent démontrée visiblement usuraire*, Paris, 1782, 1 vol. in-12, 406 pp.; quem librum approbavit episcopus Cadurcensis et suis parochis mandavit ut doctrinam in eo contentam in praxi sequerentur; hujus nova editio parata erat paulo ante perturbationem Gallicam, sed non prodiit nisi anno 1829, *L'intér. de l'argent dans le Prêt, ou L'usure condamnée..*, vol. in-12, LX-226 pp.; initio referuntur approbationes quas obtinuerat prior editio. Hunc denique simul cum tractatu D. Laforet confutavit PRIGENT, canonicus Leonensis, *Observations sur le prêt à intérêt dans le commerce*, Paris, 1793, 1 vol. in-12, 446 pp., utrumque moderate et nitide.

An. 1786 prodiit *La question de l'usure éclaircie, ou Les véritables notions du prêt rétablies*, Paris, 2 vol. in-12, auctore BEURREY, presbytero Rupellensi. Contendit hactenus male fuisse expositam naturam mutui: in eo scilicet consistit, juxta illum, quod rei nostræ usum gratuito alteri concedamus; sed nihil impedit quin pecuniam sicut et alia quæcumque locare possimus. Hunc confutavere MAULTROT et ROUGANE, de quibus mox.

An. 1787 prodiit liber cui titulus, *De l'usure*, par M. l'abbé ROSSIGNOL, I-12, qui iterum editus est Taurini, 1803, 1 vol. in-8°, 216 pp., quibus postea adjuncta est *additio*, p. 217-232. Post expositam theologorum doctrinam, eam solido destitui fundamento contendit, et assignat varias causas quæ eos in errorem induxerunt: specialim impugnat collatorem Parisiensem. Eum confutavit quidam parochus diœcesis Aqui-Sextiensis, *Observations sur l'usure, en réponse à M. l'abbé Rossignol*, 1817, 99 pp. 8°.

An. 1788 prodiit *Traité de la légitimité du prêt lucratif*, Londres (Lyon), 1 vol. in-12, 244 pp. Auctor (DORLHAC, parochus S. Petri prope Anicium) contendit non posse quidem percipi lucrum ex mutuo simplici quod est gratuitum, sed percipi posse ex mutuo quod vocat indebitum, p. 27, 28. Hunc confutavit Rougane, ut mox dicemus.

Tandem an. 1790 prodiit *Tractat. scholasticus de contractibus fœneratitiis*, auctore J. B. GRATIANO presbytero, Carnuti, 147 pp. in-12. Auctor e congregat. S. Lazari erat tunc superior seminarii

gislatio civilis scholarum doctrinæ; sed et celebriores jurisperiti[1] eamdem doctrinam tuebantur. Agnoscendum

Carnutensis, et postea in schismate Constitutionis Civilis factus est episcopus Sequanæ Inferioris, ut aiebant, seu Rothomagensis. Contractum quo lucrum ex pecunia tradita percipitur *fœnerationem* vocat, eumque non esse ex se injustum nec illicitum probare conatur methodo scholastica. Contra eum plura occurrunt in opere D. Rendu de quo infra.

Eodem anno 1790, de ea quæstione loquens Bergier, *Encyclop. méthodique, Dict. de théolog.*, v° *Usure*, dicebat se nolle controversiam dirimere, nec sibi decretoria videri argumenta contra mutuum negotiationis allata. In quibusdam editionibus hujusce dictionarii quæ prodierunt an. 1817 et seq., articulo qualem conscripserat Bergier subrogatus fuit novus articulus, in quo solvitur quæstio juxta doctrinam inter theologos magis receptam.

Contra plures ex indicatis auctoribus diriguntur duo scripta, quorum indicationem huc ideo remisimus. *L'usure considérée relativement au droit naturel*, Paris, 1787, 4 vol. in-12. Auctor (Maultrot, advocatus Parisiensis) in duobus prioribus voluminibus impugnat Molinæum, Grotium et alios jurisperitos protestantes, deinde Mignot et Rulié; in posterioribus impugnat Beurrey. *Les nouveaux patrons de l'usure réfutés*, Paris, 1789, 1 vol. in-12, 606 pp. Auctor (Rougane, parochus e diœcesi Claromontensi) confutat Laforet, Rulié, Beurrey, Dorlhac, et quosdam alios. Jam impugnaverat Beurrey in epistola ad eum directa, 29 sept. 1786, *Lettre à M. l'abbé B*** auteur*, etc., 117 pp. in-12, cujus nova editio cum responsione ad exprobratores, *Réponse aux reproches sur la précédente réfutation*, hic exhibetur.

Addere possumus hic card. Gerdil, qui non solum de usura satis fuse disseruit in sua *Theolog. morali*, oper., t. xviii, sed et in duobus opusculis separatim : prius Gallico sermone, *Dissert. sur l'usure contre M. de Puffendorf et son traducteur*, insertum est t. xx, p. 195-214; posterius lingua Italica, *Breve esposizione dell' usura*, t. xix, p. 219-270. In priori agitur de jure naturali; posterius dirigitur contra manuscriptum theologi quem dicit sibi ignotum, et quem pedetentim sequitur, speciatim pariter quoad jus naturale.

Indicabimus etiam *Tractat. de mutuo et usura et de contractibus qui cum mutuo frequentius uniuntur*, a R. D. Eudaldo Corrioli J. C. olim advocato, nunc congregat. orator. Barcinonensis presbytero, Romæ, 1792, 136 pp. in-8°. Ibi sub forma catechismi exponitur doctrina Benedicti XIV et theologorum, et quidem in sensu satis rigido.

[1] Afferri possunt inter cæteros Domat, *Loix civiles*, l. I, tit. VI, et

tamen inter eos non defuisse qui contrarium sentirent, et data occasione leges Ecclesiæ plus minusve dure redarguerent. Sed recentioribus temporibus aliam prorsus viam tenuere sive plerique jurisperiti, sive ii qui de œconomia politica, ut aiunt, scripserunt[1]. Et nostris temporibus jurisperiti qui tractatus ediderunt, quamvis generatim

Pothier, *Contr. de bienfais., Prêt de consomption*, n° 55 et seq., qui usuræ qualiscumque injustitiam iisdem argumentis evincunt ac theologi. Post perlectum prioris manuscriptum dixit Daguesseau, postea cancellarius : « Je savais bien que l'usure étoit défendue par « l'Écriture et par les lois ; mais je ne la savois pas contraire au droit « naturel. » Longe aliter sentiunt jurisperiti recentiores, ut modo dicemus. Sed citari adhuc potest in eodem sensu opus quod prodiit an. 1806, sub hoc titulo : *Considérations sur le prêt à intérêt*, par un jurisconsulte, Paris, in-8°, 226 et 64 pp. Auctor (Ambr. Rendu) principia theologorum omnino sequitur, innixus scriptura et SS. patribus, præcipue S. Ambrosio, et in pluribus confutat, ut diximus, tractatum Gratiani supra indicatum. Refert in append., p. 10 et seq., judicium senatus Parisiensis 10 januar. 1777 contra usuram ; et p. 21 et seq., discussiones quæ locum habuerunt ea de re in conficiendo codice Civili, nec non et reclamationes variorum tribunalium contra dispositionem legis quæ nullum modum præscribebat lucro conventionali.

Eodem anno D. de Bonald scripsit in quodam Diario (*le Mercure*) *Considérat. politiq. sur l'argent et le prêt à intérêt*, quæ occurrunt oper. tom. x, *Mélanges*, t. i, p. 350-411. Quæstionem expendit philosophice et politice. Licet in multis assentiatur theologis, in quibusdam dissentire videtur : nec satis clare mentem suam aperit, cum ex una parte asserat, p. 364, 390, 404, percipi posse lucrum quando pecunia mutuo accepta adhibetur ad acquirendum quid fructiferum, ex altera vero propugnet, p. 393, 405, non posse excusari mutuantem per lucrum mutuatarii, nisi simul cum illo subeat pericula. Ipsum satis dure redarguit Pagès, t. i, p. 39 et seq.

[1] An. 1769, Turgot, de quo jam diximus, probare conatus est, *Mémoire sur les prêts d'argent, présenté au conseil d'État*, non solum non debere reprobari lucrum ex mutuo, sed non debere hujus taxationem fieri per legem, bene vero committi liberæ contrahentium voluntati. Hoc opusculum iterum prodiit an. 1828, cum alio scripto Jerem. Bentham, exarato an. 1787, quo eadem doctrina propugnatur : *Défense de l'usure, ou Lettres sur les inconvénients des lois qui fixent le taux de l'intérêt de l'argent*, Paris, vol. in-8°, 293 pp.

Juxta Alb. de Villeneuve, *Hist. de l'Écon. politique*, t. ii, p. 92, Vasco, ecclesiasticus Pedemontanus, circa an. 1772, plura scripsit de

nonnisi moderate vituperent leges Ecclesiæ, de ipsa tamen quæstione in se spectata ita loquuntur quasi nullus jam dubio locus esse possit[1].

Non mirum igitur quod an. 1789 nova apud nos inducta fuerit legislatio, quæ jam antea in variis aliis regnis recepta erat. Ex lege 3 oct. 1789 potest in pactum deduci lucrum ex mutuo, sed standum est taxationi legis; nihil tamen innovatur quoad usum commercii. Ea lege semel lata, paulatim, sive ob legem 11 apr. 1793 qua declaratur pecuniam instar mercis habendam esse, sive ob circumstantias politicas et speciatim ob perturbationem quæ inducta est per chartas nummarias, vulgo *assignats*, mos invaluit exigendi ex mutuo lucrum omnino immodicum. Quando actum est de præsenti titulo codicis Civilis, an. 1804, disceptatum fuit an taxatio lucri seu auctuarii facienda esset per legem, et tandem declaratum est, art. 1907, auctuarium legale determinari per legem, sed auctuarium conventionale posse esse majus, quotiescum-

ea scientia, et probare conatus est usuram neque jure naturali aut divino, neque ab Ecclesia prohiberi.

Huc referri potest tractatus quem Romæ edidit, an. 1809, Lud. Martorelli, post relictum, ut ipse ait, stadium forense, sub hoc titulo: *Dell' usura*, quique tertio prodiit, an. 1827, inter ejus opera, VI vol. in-4°, t. II, p. 1–120, adjuncta *Epistola* ad auctorem *Mensis litterarii Romani*, p. 121-147. Ille rejectis variis titulis quos aliqui adducunt, solutionem repetit ex parte pecuniæ, quam dicit esse sterilem aut fecundam, prout adhibetur ab accipiente, qui si lucrum ex ea percipiat vel servando aut emendo bonum fructiferum, vel exercendo industriam proficuam, debet hujus lucri partem mutuanti; secus, id est, si pecuniam absumat absque ullo fructu, nil debet. Tandem videri potest recentioribus temporibus J. B. Say, *Cours compl. d'Écon. polit.*, part. V, ch. XIV, t. II, p. 73 et seq.

[1] Vid. Frémery, *Étud. de Droit commerc.*, c. XIII, p. 71 et seq.; Duvergier, *Prêt*, n° 229 et seq.; Troplong, *Prêt*, præfat. speciatim p. CXLIX et seq., et n° 305 et seq. Non ita tamen omnino loquitur Chardon, *Tr. du Dol et de la fraude*, t. III, p. 168-315, ubi usuram in variis suis latebris insequitur. Seorsim edita est pars hæc hujus operis, sub hoc titulo, *De l'Usure dans l'état actuel de la législation*, in-8°.

que lex non prohibet. Demum an. 1807 per legem 3 sept. lata est ea prohibitio, et statutum est non posse exigi ultra quinque pro centum, et sex in materia commercii. Et hæc est legislatio adhuc vigens.

Jam vero sub hujusmodi legislatione exorta sunt multa dubia, multæ controversiæ, quæ nunc breviter a nobis indicari debent, ut scopum quem ab initio intendimus assequamur. Jam ab an. 1792 episcopus Quebecensis, in provincia Canadiensi, quæ ab an. 1763 subjecta erat ditioni Britannicæ, et in qua lex civilis admittebat lucrum 6 pro centum, Majorem Pœnitentiarium ea de re interrogaverat, et responsum acceperat cardin. Antonelli, qui in epistola, *S. Pontificis auctoritate conscripta*, 4 jul. 1793, expresse declarabat usuram *nulla principis auctoritate ac lege permitti posse*, et pro fusiori principiorum juris pertractatione remittebat ad Encyclicam Benedicti XIV. Consultationem et responsionem ex exemplari authentico exhibet Pagès, t. II, p. 12 et seq.

An. 1795 D. Daviau, tunc archiepiscopus Viennensis, ad Sedem Apostolicam recurrit, postulans quomodo agendum esset a confessariis « cum iis qui ex pecunia non « alienata (seu non in censum tradita) fructum annuum « percipiunt, neque exceptionem *lucri cessantis aut damni* « *emergentis* possunt prætendere, sed exceptionem solum- « modo *lucri advenientis*, sive ipsi pœnitentes ea de re suas « confessario anxietates aperiant, sive nihil prorsus dubii « experiantur aut significent. » Pius autem VI, de consilio selectæ cardinalium Congregationis, rescribendum mandavit, quoad primam dubii partem, servandam esse constitutionem Benedicti XIV 1 nov. 1745, de qua supra; quoad secundam autem, servandam esse Encyclicam ejusdem Benedicti XIV 26 junii 1749, §. 19 et 20.

An. 1808 vicarii generales diœcesis Pictaviensis recurrerunt pariter ad S. Pontificem, responsum efflagitantes

quo et a remissiori semita, et a nimis rigorosa severitate possent præmuniri. Ipsis autem de mandato Pii VII respondit card. Pacca, 17 sept., ut recurrerent ad Encyclicam Benedicti XIV et ad ejus opus *de Synod. diœcesana*, l. VII, c. XLVII edit. an. 1748 (quod idem omnino est ac cap. IV, lib. X editionum subsequentium), ubi ipsis præsto essent principia ad solvendos casus quales proposuerant. Ut autem insuper aliquam agendi normam habere possent speciatim quoad *periculum sortis*, ex mandato ejusdem Pontificis iis transmissa est Instructio Benedicti XIV ad P. Felicem, de qua jam locuti sumus.

An. 1818 duo ex iisdem vicariis generalibus ad sedes episcopales nominati rursum dubia sua proposuerunt S. Pontifici, et quidem magis specialia et occurrentibus difficultatibus accommodata, ipsum obsecrantes ut ea dignaretur solvere expresse et quasi independenter ab auctoritate Benedicti XIV. Respondit autem S. Pontifex, 29 augusti, Romanos Pontifices voluisse principia tantum doctrinæ catholicæ circa materiam istam ponere; consulto tamen abstinuisse a judicio proferendo circa quamplurimos ejusdem generis casus; quorum vestigiis et ipse inhærens, eos remittit ad responsum jam datum, nempe ad Encyclicam et ad librum *de Synodo*, l. X, c. IV.

Addi potest responsio S. Pœnitentiariæ ad D. Blaquière, parochum Montispessulani, 18 februar. 1807, qua non solum remittitur ad Encyclicam, sed et evertuntur plura ex argumentis quæ proferunt illi qui existimant licite percipi lucrum e mutuo negotiationis.

His omnibus sublata non est controversia : sed plura in utramque partem prodierunt scripta[1], quorum alia deci-

[1] Varia hæc documenta quæ hic tantum indicamus, et de quibus postea fusius dicendi occurret occasio, collecta fuerunt sub hoc titulo : *Litteræ encyclicæ Bened. XIV super usura, adjunctis*.... Remis, 86 pp. in-12. Ea pariter collegit Pagès in variis operis modo memo-

sioni Benedicti XIV inhærent eamque omnino sufficere contendunt ad tollenda dubia, alia vel eam in diverso

randi editionibus, simulque variis observationibus eorum sensum et vim ostendere conatus est.

Quod spectat ad scripta, hæc indicabimus. Responsum Pii VI notum fecit D. Daviau, in epistola 14 februar. 1799, quæ prodiit sub hoc titulo: *Réponse de M. C. F. A. D. V. à M.... sur les prêts de commerce,* 28 pp. in-8°. Postea ad archiepiscopatum Burdigalensem translatus, idem responsum direxit ad parochos et confessarios suæ diœcesis, sub hoc titulo: *Lettre pastor. de M. l'arch. de Bordeaux...,* 21 octob. 1817, 47 pp. 8°. Ibi refellit varias rationes quibus nonnulli labem usuræ abstergere conantur a lucro percepto ex mutuo quod dicunt negotiationis, vel aliis nominibus designant.

An. 1816 prodiit opusculum sub hoc titulo: *Considérations sur le prêt à intérêt,* par M. S. M. curé (Saint-Marc, curé de Mont-de-Marsan), Paris, 31 pp. in-8°. Auctor evertere conatur quinque sophismata, ut ipse vocat, quibus nonnulli volunt excusare usuram seu lucrum perceptum ex mutuo.

Eodem an. 1816 prodiit *Dissertation où l'on détermine en quoi consiste le crime de l'usure et dans quels cas on peut recevoir des intérêts,* Pau, 1 vol. in-8°, 295 pp. Inserta est, p. 232 et seq., Epistola contra theologum qui dissertationem confutare tentaverat. Dissertationis auctor erat Baradère, illius urbis parochus: propugnat per usuram damnatam non intelligendum esse nisi lucrum perceptum e mutuo dato pauperi, vel diviti ultra modum a legibus determinatum. Theologus contra quem epistolam dirigebat, et qui postea et dissertationem et epistolam confutavit, erat Burgué, superior seminarii Bayonensis, *Examen de la dissert. de M. B..., curé de P..., sur l'usure,* Pau, juill. 1817, 1 vol. in-8°, 291 pp., cum approbatione episcopi Bayonensis.

Eodem anno 1817 e Germanico idiomate in Gallicum translatus (a D. Lesage, canonico San-Briocensi) prodiit liber cui titulus: *Exposition de la morale chrétienne, composée par ordre de l'archev. de Saltzbourg,* Lyon, 2 vol. in-12. Ibi tom. II, p. 155-166, tradebatur doctrina lucro e mutuo negotiationis percepto favens. Cum variæ reclamationes ea occasione exorirentur, voluit typographus ut nova folia substituerentur quibus doctrina communis exponeretur. Hanc curam in se suscepit D. Pagès, theologiæ moralis professor in facultate Lugdunensi. Sed cum illius scriptum ultra propositum excrevisset, separatim illud edidit sub hoc titulo: *Dissert. sur le prêt à intérêt,* Lyon, 1819, 108 pp. in-8°. Ibi controversiam dirimere intendit ex auctoritate Benedicti XIV. Editio secunda auctior prodiit an. 1820, 216 pp.; tertia autem an. 1822 differt a secunda eo quod adjunctum fuerit *proœmium*

sensu explicare conantur, vel aliunde repetendam dicunt quæstionis solutionem. Eo etiam tempore magis invaluit

CCL pp., et ad calcem voluminis nonnulla addita fuerint, speciatim *Dissertatio de contractu censuali*, p. 214-261. Quartæ demum editionis tomus I prodiit an. 1826, 464 pp. De secundo qui nonnisi an. 1838 editus est infra opportunius dicemus. Occasione hujus dissertationis plura prodiere scripta. Contra edit. II, scripsit ANT. FAIVRE, *Du placement d'argent à intérêt, ou Examen critique de la dissert...*, Lyon, oct. 1820, 208 pp. in-8°.; qui et ipse confutatus est, *Lettres à M. Faivre, précéd. d'une analyse critiq. de sa réponse à M. Pagès* (auct. D. VILLECOURT, nunc episcopo Rupellensi), Lyon, 1821, 248 pp. in-8°. Eadem occasione editum est breve opusculum D. DE PRESSIGNY, archiepiscopi Bisuntini, *le Placement de l'argent à intérêt distingué de l'usure*, Lyon, 1821, 29 pp. in-8°. Juxta eum non licet percipere lucrum ex simplici mutuo quale fieri debet indigenti, bene vero ex mutuo quod Gallice dicitur *Prêt à intérêt*. Eum simul cum Baradere, Faivre, etc. confutat PAGÈS, speciatim edit. III, *Disc. prélim.*, p. LXVIII et seq., comparando eorum assertiones cum propositionibus extractis e Benedicto XIV. Paulo post edidit D. BARONNAT, *le Prétendu mystère de l'usure dévoilé*, Paris, 1822, 2 vol. in-8°. In eo opere docet lucrum percipi posse vi legis civilis, simulque recurrit ad omnia argumenta in favorem lucri e mutuo negotiationis percepti allata. In iis omnibus exponendis et methodum, et concinnum ordinem, et doctrinam vere theologicam desideret lector quem opus integrum perlegere non pigebit. Hunc confutavit BOUYON, canonicus Claromontensis, *Réfutat. des systèmes de M. Baronnat et de Mgr. de La Luzerne sur l'usure*, Clermont, 1-8°, 1824 : satis clare et nitide exponit quæ dicere consueverunt theologi.

An. 1823 lucem aspexit opus jamdiu exaratum et prænuntiatum, sed quod typis mandare non videtur fuisse in mente auctoris, opus nempe card. DE LA LUZERNE, biennio ante mortui (21 junii 1821), *Dissertations sur le prêt de commerce*, Dijon, 3 tom., 5 vol. in-8°. Hujus operis brevem analysim exhibet D. R***, *Tr. de Justit. et contractibus*, Lugduni, 1829, 1 vol. in-12 ; paulo fusiorem ipsis auctoris verbis expressam dabit PAGÈS, t. I, p. 47-69. Quantum ad nostrum scopum hic spectat, hujus operis doctrina ad hæc revocari potest. Pecunia per contractum quem Gallice dicimus *Prêt*, alteri tradi potest ob triplicem finem, pro triplici modo quo est adhibenda ab accipiente ; vel ad consumptionem, vel ad conservationem, vel ad incrementum. In primo casu tantum adest mutuum proprie dictum : in aliis casibus, præsertim in ultimo, est contractus diversus, qui vocari potest *Prêt de commerce*. Hoc posito, si agatur de vero mutuo, lucrum inde perceptum hodie vocatur usura. Porro hæc sive ex jure naturali, sive ex scriptura, sive ex traditione duode-

apud non paucos opinio jamdiu a pluribus theologis in Germania potissimum propugnata, scilicet posse auctua-

cim priorum sæculorum, non prohibetur nisi quatenus adversatur charitati, vel tantum ex lege positiva ecclesiastica solos clericos respiciente; primus Gratianus, an. 1151, docuit eam adversari justitiæ commutativæ, ac proinde erga omnes prohiberi: sicque maximi momenti mutationem induxit; et agnoscendum est novam hanc doctrinam generatim receptam fuisse apud theologos (t. III, p. 255), in decretis conciliorum (*ibid.*, p. 538, 565, 578) et SS. Pontificum, uno verbo in toto jure novo (*ibid.*, p. 720, 729). Quoad vero alterum contractum quo pecunia non traditur ad consumptionem, a fortiori nec juri naturali, nec scripturæ, nec traditioni duodecim priorum sæculorum adversatur: insuper a duodecimo sæculo variæ condemnationes usuræ eum contractum non attingunt. Igitur cum non probetur prohibitus, debet admitti ut licitus. Sed ulterius progreditur auctor, et multis rationibus et auctoritatibus probare positive nititur eum esse licitum. Quantum remotum sit illud systema a doctrina Benedicti XIV breviter ostenditur in opusculo Rhemis impresso de quo supra, p. 58-83. Quædam pariter in hujus confutationem in eo quod spectat ad jus naturale adduxit Bouyon in opere mox indicato: sed deinde sub omnibus respectibus illud impugnavit in novo opere, *Examen du système de feu Mgr. le card. de La Luzerne sur le prêt de commerce*, Clermont, 1826, 1 vol. in-8°, 344 pp.

An. 1824 in diœcesi Albiensi excitata est eadem controversia, occasione cujusdam sacerdotis, Castrensis, nomine Desplas-Roques, qui propugnabat percipi posse auctuarium in mutuo vi *lucri advenientis*. Cum ea de re inquietaretur ab archiepiscopo Albiensi (D. Brault), in lucem emisit *Mémoire sur la légitimité du prêt lucratif*, Castres, mars 1824, 61 pp. in-8°. Confutatus est in opere inscripto, *Réfutation du mémoire sur la légitim...*, par ***, Castres, juill. 1824, in 8°, XIV-334 pp. Plura deinde prodierunt scripta, sed quæ non respiciunt nisi facta personalia: *Réponse de M. Despl.-Roq. aux observat. qui servent d'introduct. à la broch. ayant pour titre, Réfutation...*, nov. 1824, 62 pp.; *Réplique à la Rép. de M. Despl.-Roq.*, décembre 1824, 36 pp.; *M. Despl.-Roq., prêtre..., à l'opinion publique*, févr. 1826, 56 pp.; *Second appel à l'opinion publ.*, mai 1826, 55 pp.

An. 1825 prodiit *Précis sur l'usure attribuée aux prêts de commerce*, par M. B..., Paris, in 8°, 234 pp. Auctor, Baston, theologus Rothomagensis, pluribus operibus sat notus, ibi pro more suo se ostendit virum acuti ingenii: agnoscit prohibitum esse quodcumque lucrum perceptum vi mutui et erga quoscumque; sed propugnat contractum qui vulgo dicitur *Prêt de commerce* non esse mutuum, sed veluti æquivalens seu summarium plurium contractuum in se licitorum, vel

rium percipi vi legis civilis, quæ haberi potest ut titulus mutuo extrinsecus et legitimus.

1118. VIII. Res in eo statu permanserunt circiter usque ad annum 1830. Jam an. 1822 cum quædam mulier Lugdunensis (M^lle^ DE SAINT-MARCEL), « descripto « generali rerum statu post notos publicos eventus et leges « a civili auctoritate latas in Galliis obtinente, expo- « suisset se sua capitalia quibusdam tradidisse, ut fructus « ex illis juxta taxam a lege civili præscriptam perciperet, « suum autem directorem ipsi absolutionem denegare, « nisi restitueret, » ideoque varia quæsita proposuisset, decreverunt Emin. Cardinales S. Officii, 3 julii 1822, ut « oratrici pro nunc diceretur, quod responsa ad propositos « casus ipsi opportuno tempore dabuntur; interim vero, « licet non peracta restitutione, ipsam posse sacramen- « taliter absolvi, dummodo vere parata sit stare mandatis. » Verum licet hujus responsionis rumor passim divulgaretur, ipsa tamen responsio sat paucis aperte innotuit, ideoque sat modicum influxum habuit tum in doctrinam, tum in praxim theologorum ac confessariorum.

Anno 1830 cum quidam vicarius generalis Nannetensis quæsiisset quid sentiendum de iis qui pecunias suas commodant sòcietatibus, v. g., canalium aut pontium, vel urbibus, vel quæstoribus generalibus, etc., S. Pœnitentiaria respondit: « Habeatur imprimis præ oculis Encyclica « Benedicti XIV, et in casibus particularibus sedulo in- « quirat episcopus an in contractibus de quibus agitur

aliis verbis recidere in tres famosos contractus quorum justitiam probare conatur. Asserit, p. 4, scriptum suum fuisse quoad substantiam exaratum jam ab anno 1771, et se nihil legisse eorum quæ ab eo tempore circa eam materiam scripta sunt. Hujus operis analysim exhibens in *Diario ecclesiastico Romano*, Lud. MARTORELLI, supra memoratus, *Oper.*, t. VI, p. 243-257, auctorem in pluribus carpit, et eo usque progreditur ut dicat librum boni senis esse, ut loquitur, *Une radoterie, un radotage*, p. 257.

« justus titulus intercedat lucri cessantis, seu damni emer-
« gentis aut periculi probabilis extrinseci sortis amittendæ;
« quod quidem periculum secundum exposita facile adesse
« videtur. Datum.... die 20 aprilis 1830. — E. CARD. DE
« GREGORIO, P. M. — F. TRICCA, S. Pœnit. secr. »

Sed paulo post, eodem anno 1830, episcopus Rhedonensis (D. DE LESQUEN) exposuit S. Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam *de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data ut ea ditescant;* quosdam quasi mediam viam tenere, scilicet non interrogare pœnitentes qui non confitentur de lucro ex pecunia sic mutuo data et videntur in bona fide, eos autem qui consulunt deterrere ab eo lucro, sed non sub denegatione absolutionis, modo promittant se obtemperaturos judicio S. Pontificis, si intercedat, qualecumque sit. Rogabat autem episcopus an posset horum confessariorum agendi rationem probare, et alios confessarios rigidiores hortari ut eam sequerentur. Responsum fuit, die 18 aug. 1830, ad I^um^, *Non esse inquietandos;* ad II^um^, *Provisum in primo.* Haud absimiles datæ fuerunt responsiones variis quæsitis, quæ successive e diversis locis fuerunt proposita. Illæ autem responsiones mox in variis diœcesibus innotuerunt, et multorum episcoporum auctoritate fuerunt confessariis tanquam agendi norma propositæ [1]. Hinc generatim mitior evasit circa

[1] Illæ responsiones in unum collectæ primum, saltem quod sciamus, prodierunt Taurini, sub hoc titulo: *S. Sedis Apostolicæ responsa circa lucrum ex mutuo ab anno* 1822 *ad febr.* 1833, Taurini, 1833, 56 pp. 8°, cum mandato archiepiscopi Taurinensis, quo de earum authenticitate constet. Postea eodem ordine et cum eodem mandato prodierunt Lugduni, 1833, 48 pp. 8°; Pisauri, 1834, 64 pp. in-18, et alibi. Insuper in multis diœcesibus insertæ fuerunt, partim vel in totum, ad calcem *Brevis* seu *Ordinis divini officii recitandi*: ita Divione, Remis, etc. Tandem in extensum referuntur, cum quibusdam aliis responsionibus quæ post febr. 1833 datæ sunt, in pluribus operibus mox memorandis, v. g., apud Pagès, apud Episcopum Bellicensem, post versionem Gallicam Mastrofini, etc.

eam materiam confessariorum agendi ratio. Non omnes tamen eumdem sensum iis responsis tribuerunt, vel eamdem extensionem ipsis dandam esse censuerunt. Hinc ab eo tempore plura prodiere scripta[1], quorum multa diri-

[1] An. 1831 prodiit opus inscriptum, *le Usure, libri tre, discussione dell' abb.* Marco Mastrofini, Romæ, in-8°, 368 pp. Juxta eum, n° 675, p. 348, huic controversiæ præfigi posset hic titulus, *Concordia discors*, quia nempe impugnatores et defensores usuræ verum dicunt ex utraque parte, sed sub diverso respectu. Discordia oritur præsertim ex non bene intellectis aut explicatis variis verbis quæ in hac materia adhiberi solent, præcipue his duobus, *Mutuum, Usura.* Quapropter postquam in lib. I probare conatus est nihil esse in Scriptura aut traditione quo controversia solvatur in sensu suorum adversariorum, ipse eam dirimere tentat lib. II ex sola lege naturali, remotis scholæ terminis, ostendendo applicabilitatem pecuniæ mutuatæ, seu facultatem concessam mutuatario lucrandi mediante usu pecuniæ mutuatæ, esse pretio æstimabilem. Tandem ut se accommodet iis qui methodo scholasticæ sunt assueti, eumdem scopum sibi videtur attingere lib. III adhibitis et explicatis scholæ terminis. Quidam et auctorem et opus summis laudibus extulerunt. Auctorem dicunt pluribus scriptis notissimum, quorum præcipuum (*son chef-d'œuvre*, inquiunt) est volumen in-fol., 446 pp., *Metaphysica sublimior de Deo trino et uno*, 1816, Pio VII dicatum, et a multis theologis Romanis valde commendatum : opus autem observant fuisse Romæ editum cum pluribus approbationibus, quatuor jam aut quinque editionibus fuisse conspicuum, illudque omnino mirabile prædicant. Alii vero longe aliter judicant. De auctore, non ita pridem defuncto, quem in philosophia et mathesi magis quam in theologia versatum fuisse existimamus, non est quod dicamus : observare sufficiat ipsius *Metaphysicam sublimiorem* pluribus fuisse improbatam, et in variis scriptis impugnatam : imo de opere prohibendo Romæ serio actum est, et quamvis prohibitio lata non fuerit, non licuit auctori alterum volumen quod prænuntiaverat in lucem edere. Quid autem sentiendum de opere circa usuras ex dicendis in decursu innotescere poterit? Satis sit in præsens indicare ea quæ spectant, ut ita loquar, ad ejus historiam. Non sine quibusdam præviis difficultatibus in lucem prodiisse videtur illud opus. Vid. *Rituel de Belley*, édit. de 1831, t. III, p. 534; *l'Ami de la Religion*, n° 2379, t. 83, p. 351, et n° 2416, t. 84, p. 113; Pagès, t. II, p. 612. Imo, si bene edocti fuimus, promiserat auctor quædam emendare quæ non emendavit, nec ei licuit iis respondere qui opus impugnaverant. Quidquid sit, contra illud prodierunt in Italia plura scripta. Tria memorabimus quæ ad manus nostras devenerunt : *Osservazioni pacifiche sopra di un' opera intitolata*, Le Usure, Romæ, 1834, 136 pp. in-8°;

guntur sive ad earum sensum exponendum, sive ad coercendum earum abusum. Hinc etiam quidam episcopi clerum suum de agendi ratione tenenda instruere opportunum judicarunt : quidam id præcipue intendere videntur

Lettre sur une question d'Usure, par P. L. B. Drach, Rome, 1834, 46 pp. in-8°, ubi probat contra Mastrofini eruditus auctor usuram lege Mosaica prohiberi Judæis erga Judæos quoscumque, etiam divites, absque ulla distinctione; tandem *Analisi ragionata e critica de libri tre su le usure, dell' ab. M. Mastrofini,* da un amico della verita, Napoli, 1835, vol. in-8°, 460 pp., promovente, ut fertur, card. Caracciolo, archiepiscopo Neapolitano. Ex altera parte, prodierunt *Dissertazioni sul mutuo e sulle usure,* di un canonico Poliziano, Montepulciano, 1835, vol. in-8°, 251 pp. : auctor (Petr. Cinotti, lect. theol. dogmat.) quæstionem solvit eodem sensu ac Mastrofini, quem defendere conatur contra tria opera mox memorata, et contra alterum quod vulgaverat comes Monaldus Leopardus, *La Giustizia nei contratti e l'usura,* Modena, 1834 : memorat quædam alia opuscula a se et a quibusdam aliis edita in diverso sensu. Apud nos, opus Mastrofini in linguam Gallicam vertit D. Challamel, canonicus Anneceiensis, sub hoc titulo, *Discussion sur l'Usure,* Lyon, 1834, vol. in-8°, 523 pp., additis ad calcem responsionibus S. Sedis antea memoratis. Anno sequenti, 1835, prodiit *Analyse de la Discussion sur l'Usure, par Mastrofini,* Annecy, 17 pp. in-8°. Contra primum Mastrofini librum prodiit *Réponse au livre de M. Mastrofini intitulé,* Disc. sur l'Us., par M. l'abbé Moralet, pr. du dioc. d'Annecy, curé de Marlioz, Lyon, 1836, vol. in-8°, 346 pp.: in fine promittit se responsurum duobus posterioribus libris; quod nondum præstitit. Multa etiam contra Mastrofini occurrunt in operibus mox citandis.

Speciatim occasione responsionum prædictarum plura prodiere scripta, quorum nonnulla multis visa sunt non satis reverenter loqui de iis responsionibus, et præsertim earum vim nimium restringere. 1. *Défense de la doctrine de l'Égl. cathol. sur le Prêt à jour, vengée du scandale de la nouveauté,* par l'abbé Laborde (presbytero Auscitano), Paris, 1836, vol. in-18, 272 pp. Sic inscribitur primus titulus (*le faux titre,* ut vocant typographi) : *Le cri d'alarme d'un catholique.* — 2. *Réfutat. des défenseurs du prêt à intérêt et Explicat. des répons. de la Pénitencerie....,* par M. l'abbé Brionne, Sécz, 1836, 152 pp. in-12. Cum hoc opusculum impugnatum fuisset in quibusdam scriptis periodicis, iis auctor opposuit, *Défense de la brochure de M. Brionne,* Sécz, 1837, 131 pp. in-12 — 3. *Questions neuves sur le prêt à usure, les intérêts du prêt et les décisions Romaines,* par A. Blazy, prêtre, anc. supér. du petit sémin. de Moissac, Montauban, 1837, vol. in-12, 286 pp. — 4. *Réflexions sur la conduite à tenir au*

ut non negligantur conditiones in iis responsionibus præscriptæ, bona scilicet fides et voluntas se submittendi judicio S. Sedis; quidam vero ut stricte servetur earum tenor, scilicet ut non inquietentur ii de quibus ibi agi-

tribun. de la pénit. par rapport aux Usuriers, par un prêtre du dioc. de Bayeux (Boulanger), Paris, 1837, vol. in-12, 334 pp. Trium horum postremorum scriptorum analysim exhibet Pagès, t. II, p. 616 et seq.

An. 1838 prodiit opusculum, *Hist. de la marche des idées sur l'emploi de l'argent depuis Aristote jusqu'à nous*, par M. I. B. M. N., Lyon, 149 pp. in-8°. Auctor (Nolhac) impugnat doctrinam scholasticorum, quam ortam dicit ex confusione inducta inter mutuum et alterum contractum prorsus distinctum quem vocat *Placement temporaire d'une somme d'argent portant intérêt*, ex auctoritate Aristotelis, etc. In fine plura habet contra Brionne, et Boulanger de quibus modo. Illius opusculi summarium exhibet, et auctorem satis dure redarguit Pagès, tom. II, p. 669-754, de quo nunc dicendum.

Eodem anno 1838 in lucem emisit Pagès *Dissertationis* suæ tom. II, Lyon, vol. in-8°, 770 pp. Ibi multa collegit quæ ad elucidandam controversiam inservire possunt, ut intelligi potest ex iis quæ jam data occasione citavimus : sed cum jam provectæ esset ætatis et diutino morbo debilitatus, plura inseruit ad scopum suum non satis proxime conferentia ; simulque vehementiori zelo accensus non semper stetit intra fines debitæ moderationis erga suos adversarios, speciatim erga nonnullos præsules, non minus virtute et doctrina quam dignitate commendabiles. Hinc episcopus Aniciensis (D. de Bonald) hujus libri lectionem prohibuit in sua diœcesi. Episcopus autem Bellicensis (D. Devie) scripsit *Circulaire de Mgr l'év. de Belley adressée au clergé de son diocèse, relativement à un nouvel ouvrage publié sur le prêt à intérêt*, Bourg, 1838, 78 pp. in-12. In ea epistola, quæ inserta fuit editioni IV *Ritualis Bellicensis*, 1843, t. I, p. 505-567, referuntur variæ responsiones Romanæ cum nonnullis observationibus practicis, quæ jam legebantur in edit. I ejusdem Ritualis, tom. III, et quas impugnaverat Pagès, t. II, p. 371 et seq.: eas evolvit et contra impugnatorem vindicat illustrissimus auctor. Non ideo se victum fassus est Pagès, sed edidit *Observations sur des circul. de Mgrs les év. du Puy et de Belley relat. à la matière de l'Usure*, Lyon, 1839, 39 pp. in-8°. Tandem contra ipsum prodiit *Défense de l'Église de France contre les attaques de l'auteur de la Dissertation sur le prêt à intérêt*, par M. Boyer, direct. au sémin. S. Sulpice, Paris, 1839, 100 pp. in-8° : paulo post addidit *Lettre de l'auteur de la Défense de l'Église contre M. Pagès à un théologien de province*, Paris, 1839, 32 pp. in-8°. Omittimus quædam alia opuscula occasione ejusdem discussionis edita, quæ potius facta personalia quam ipsam doctrinam respiciunt.

tur. Vid. Epist. episcopi Cadurcensis (D. D'HAUTPOUL), 10 nov. 1837, et episcopi Ruthenensis (D. GIRAUD), 8 febr. 1832, ap. PAGÈS, t. II, p. 640, 641. Duo præ cæteris paulo fusius consectaria practica responsionum enucleanda susceperunt : episcopus Bellicensis, tum in suo *Rituali*, tum in *Epistola* ad clerum suæ diœcesis, de quibus in nota loquimur ; deinde archiepiscopus Tolosanus (D. D'ASTROS) in *Instructione de Mutuo et Usura*, 1 februar. 1842, 41 pp. in-4°.

1119. Ex hac expositione colligendum est ad triplicem classem reduci posse varias opiniones circa quæstionem præsentem. Prima est eorum qui dicunt lucrum perceptum ex quolibet mutuo, etiam consumptionis, non esse prohibitum nisi quatenus adversatur charitati, vel exigitur ultra modum ab auctoritate legitima determinatum. Illi inter se differunt pro diversis rationibus quibus innituntur. Secunda est eorum qui admittunt prohiberi quidem absolute et tanquam justitiæ adversum lucrum perceptum ex mutuo consumptionis; sed aliud dicendum propugnant de mutuo quod vocant incrementi aut negotiationis. Illi etiam ab invicem discrepant pro variis viis quas inierunt ad tuendam suam sententiam. Tertia demum eorum est qui propugnant illicitum et injustum esse quodcumque lucrum perceptum ex mutuo, sive consumptionis, sive negotiationis, absque aliquo titulo extrinseco. Illi inter se scinduntur quoad varios titulos qui occurrere possunt et auctuarium licitum reddere. Unus est ex his titulis qui ab aliis secerni potest, et dare locum quartæ opinioni : titulus nempe legis civilis, qui id peculiare habet quod, si admittatur, sit omnino generalis seu omnes casus complectatur, simulque efficiat ut jam apud nos quoad praxim necessaria non sit solutio quæstionis præcipuæ. Ideo opportunum judicamus eum quasi extra ordinem reponere et de eo separatim ab aliis titulis disserere.

Itaque expendemus 1°. quid et quotuplex sit usura; 2°. utrum et quo jure prohibeatur; 3°. quousque extendatur hæc prohibitio; 4°. agemus de restitutione usurarum; denique loquemur de statu præsenti controversiæ circa usuram, et de regulis in praxi servandis.

ART. 1. *Quid et quotuplex sit usura.*

1120. I°. DEFINITIO *usuræ*. Usura definiri potest quoad nomen, et quoad rem.

I. Quoad *nomen*. Multa disserunt quidam auctores, de nomine hebraico, græco et latino; sed, ut nobis videtur, parum utiliter: quæ enim exinde educuntur argumenta pro alterutra parte, per se magni ponderis esse nequeunt. Unde sufficiat quædam advertere ad intelligentiam eorum quæ dicenda sunt in decursu, vel quæ apud auctores occurrunt. — 1°. *Hebraice* usura duplici verbo designatur, *neschech*, id est, morsus, et *tarbith*, id est, incrementum. Existimant multi utrumque verbum idem significare, sed prius designare usuram quoad debitorem quem mordet, posterius quoad creditorem quem ditat: quando autem hæc duo conjunguntur, prius refertur ad usuram pecuniæ, posterius ad usuram frugum, ut indicatur *Levitic.*, XXV, 37. Sed falsissimum est prius indicare usuram erga pauperes, id est illicitam, posterius erga divites, et licitam, ut contenderunt quidam usuræ patroni; utrumque enim Scriptura sæpe conjungit et simul prohibet. Ita GERDIL, t. XVIII, p. 40, 41, et fusius GAITTE, p. 52-64.

2°. *Græce* duplici etiam verbo usura designatur, *tokos*, id est, partus, *pleonasmos*, id est, superabundantia. Ex satis communi auctorum opinione, prius præcipue refertur ad pecuniam, posterius ad fruges. Ita saltem GERDIL, *ibid.*, p. 41.

3°. *Latine* vox illa, *Usura*, aliquando sensu latissimo sumitur pro ipsomet usu alicujus rei; sæpius tamen su-

mitur pro lucro quod ex illo usu percipitur : veteres sæpius vocem illam juxta priorem acceptionem adhibebant in numero singulari, juxta posteriorem in numero plurali. Ad posteriorem acceptionem restricta, aliquando designat ipsam actionem percipiendi lucrum, quo sensu dicitur usuram esse peccatum ; aliquando vero et sæpius ipsummet lucrum. In sensu præsertim jurisperitorum eo nomine comprehenditur lucrum sive licitum, sive illicitum ; sæpius tamen in malam partem sumi agnoscit LA LUZERNE, t. I, p. XX. Usura dicitur etiam *fœnus ;* quæ duo variis modis differre multi opinantur ; vid. GAITTE, p. 69-74, juxta quem tamen invaluit usus ut hæ duæ voces promiscue usurpentur. Juxta TROPLONG, n° 306, fœnus indicat proprie mutuum cum lucro ; quo sensu TERTULLIANUS vocat *usuram fructum fœnoris.*

4°. Tandem *Gallice* vox illa, *Usure,* designat præcipue actum percipiendi lucrum : lucrum ipsum dicitur *Intérêt.* Ita LA LUZERNE, p. XIX. Illud tamen non absque ulla restrictione sumendum, ut satis patet ex Pothier et aliis jurisperitis, qui non raro usuræ nomine designant ipsum lucrum : sed apud nos eo nomine non intelligitur nisi lucrum injustum, quia vox illa semper sumitur in malam partem, inquit TROPLONG, n° 308.

1121. II. Quoad *rem.* Multum sane interest determinare quid intelligendum sit per usuram, seu potius quid intelligant Scriptura et traditio ; alioquin non cognosceretur, ut patet, quid sub eo nomine damnaverint. Hinc multi auctores usuræ notionem ab exordio quæstionis stabiliunt. Ita inter alios BALLERINI, t. I, l. II, c. II, p. 22-28. Cum tamen loca in quibus usuræ notionem exhibent Scriptura et traditio eadem plerumque sint in quibus eam reprobant, et de his multæ moveantur difficultates, ideo satius ducimus ad alium locum discussionem hujusmodi remittere. Sufficiat igitur hic indicare quid nomine usuræ

simpliciter intelligant auctores qui pronuntiant omnem usuram esse prohibitam : hoc enim indicato, expendendum solummodo supererit an solide probetur hæc prohibitio ; et in eo examine locus erit discussionibus quæ hic nonnisi intempestive moverentur.

Itaque usura quando definienda est, spectatur communiter a theologis ex parte lucri, quia nempe, ut advertit Zech, Diss. I, §. 64, explicata natura hujus lucri, facile intelligetur natura contractus usurarii, per quem imponitur obligatio præstandi illud lucrum, item natura voluntatis usurariæ, qua intenditur illud lucrum. Sic ergo vulgo definitur : usura est *quodcumque lucrum perceptum vi mutui*. Hæc usuræ notio deducitur 1°. ex Benedicto XIV, tum in *Encyclica*, §. 4, tum in opere *de Synodo diœcesana*, l. X, c. IV, n° 2, ubi eadem verba adhibet et evolvit, ut ab initio retulimus (n° 1111) ; 2°. ex communi sensu theologorum : fatetur enim ipsemet La Luzerne, t. II, p. 61, jam a sæculo XV generaliter receptam fuisse eam notionem, quamvis contendat eam non viguisse tempore SS. Patrum. An merito id contendat, intelligetur ex dicendis : ad scopum quem nunc intendimus sufficit ut bene perceptum sit quid in præsenti quæstione intelligamus. Unde operæ pretium est definitionem allatam paucis evolvere juxta mentem theologorum.

Dicitur 1°. *Quodcumque lucrum*, id est, quidquid est prætio æstimabile, sive sit pecunia, sive aliud quod pecunia æstimari possit, quia illud omne pro lucro habetur cujus pretium pecunia mensurari potest. Eo nomine comprehenditur non solum commoditas in se pretio æstimabilis, quæ triplex a theologis distinguitur, scilicet munus ab obsequio, munus a lingua, munus a manu, sed etiam obligatio civilis ad aliquid non pretio æstimabile. Ita Billuart, Diss. IV, art. II, p. 220, et art. IV, p. 234. 2°. *Perceptum*, quia quamdiu lucrum non fuit obtentum,

non intelligitur usura, quo sensu eam hic definimus; adesse potest tantum affectus ad usuram. Sed semel lucro obtento, existit usura, nec requiritur ut lucrum præcise exactum fuerit, cum, ut infra videbimus, ex Urbani III definitione, usura possit existere etiam omni conventione cessante. 3°. *Vi*, seu *ratione* ipsius mutui, seu, ut alii dicunt, immediate ex mutuo, quia si percipiatur ex quodam alio titulo extrinseco et legitimo, jam non aderit usura. Item non adest usura, si mutuum sit tantummodo occasio lucri : requiritur ut obtineatur lucrum tanquam debitum, non quidem in rei veritate, cum juxta theologos reipsa non existat obligatio solvendi usuram, sed in animo utriusque aut saltem alterutrius e contrahentibus. Hoc expressit S. Thomas quando ait usuram esse *pretium usus rei mutuatæ*, 2. 2, q. LXXVIII, art. 1, o. 4°. *Mutui*, quia, ut ait BENEDICTUS XIV jam citatus, usura in mutuo propriam sedem et locum habet : unde in aliis contractibus potest adesse injustitia, non vero usura, nisi mutuum implicitum contineant : si quando dicantur usurarii, id sensu improprio tantum intelligendum est. Cæterum hæc definitio, et præsertim illius extensio, melius intelligetur ex iis quæ postea dicturi sumus, speciatim quando expendemus quid sentiendum *de Usura mentali* (n° 1159), et *de* variis *Pactis quæ mutuo aliquando adjiciuntur* (n° 1161 et seq.).

1122. II°. QUOTUPLEX distinguatur usura. Multiplex afferri solet divisio usuræ, pro diversis respectibus sub quibus spectari potest. Nonnullæ ex iis divisionibus non restringuntur ad usuram qualem definivimus ; de iis tamen quædam dicenda sunt, ut rite intelligantur quæ apud auctores vulgo ea de re occurrunt.

1°. Usura dividitur, præsertim a jurisperitis, in *lucratoriam*, quæ percipitur vi mutui, *compensatoriam*, quæ percipitur in compensationem damni quod patitur mutuans, et *punitoriam*, quæ imponitur mutuatario in reddenda sorte

moroso, unde et *moratoria* dicitur. Apud theologos per usuram designatur præcipue lucratoria, quæ ideo, ait ZECH, D. 1, §. 75, vocari potest usura *stricte dicta*, dum lucrum ex aliis titulis obtentum vocaretur usura *minus stricte dicta*.

2°. Usura sumpta generatim pro quolibet auctuario, dicitur vel *legalis*, quæ tribuitur vi solius legis, absque ulla conventione, vel *conventionalis*, quæ oritur ex conventione partium. Ita art. 1907 cod. Civ. Illud infra fusius evolvetur. Usuram prioris generis *necessariam* vocant multi auctores, ut ZECH, §. 76, per oppositionem ad usuram *conventionalem*.

3°. Usura alia est *explicita*, quæ etiam dicitur *formalis* seu *aperta*, alia *implicita* quæ dicitur etiam *virtualis*, et quandoque *palliata*. Scilicet si verbis expressis postuletur lucrum ex mutuo, est usura explicita, formalis: si non expresse postuletur, sed tamen mutuans satis manifestet intentionem suam, dicitur implicita, virtualis: si demum obtegatur lucrum sub specie alterius contractus diversi a mutuo, vel tituli ficti, dicitur palliata.

4°. Dividitur in *usuram sortis*, qua datur lucrum pro pecunia accepta, et *usuram usuræ*, qua ex usura non soluta novum conficitur capitale quod iterum pariat usuram. Hæc vocatur etiam *Anatocismus*. In commercio aliquando dicitur usura usuræ, quando lucrum percipitur ante tempus, seu ab initio ipsius mutui: v. g., si quis mutuo dans sex millia retineat pro lucro trecentos, et tamen in schedula inscribat sex millia.

5°. Quidam dividunt usuram in *moderatam*, quæ intra justos fines se teneat et licita habeatur; et *mordentem*, quæ intra justos fines non sistat, et hinc sit illicita. Hanc divisionem non admittunt vulgo theologi, nisi eo modo quo unum furtum dicunt levius, alterum gravius, ut ait ZECH, §. 81. Sed in locis ubi leges lucrum ex mutuo admittunt, non reprobatur, seu non intelligitur nomine usuræ nisi lucrum quod exigitur ultra taxationem legis, seu usura

mordens, quæ olim dicebatur *enormis*, ut observat CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 471, p. 175.

6°. Usura ratione quantitatis multiplici modo dividitur, seu varia nomina sortitur, tum apud Romanos, tum in jure nostro. 1. Apud Romanos in jure antiquissimo, seu in lege XII tabularum, agitur de usura *unciaria*. Mirum est quantum dissentiant eruditi circa quantitatem hac voce designatam : alii intelligunt centum pro centum quolibet anno, alii unum tantum; alii duodecim pro centum quolibet anno, alii octo et trientem (*huit et un tiers*) quibus sors æquatur post duodecim annos. Vid. TROPLONG, *Prêt*, Præfat., p. XXI-XLII. In jure minus antiquo vulgaris est usura *centesima*, quando nempe singulis mensibus exigitur centesima pars sortis, adeo ut singulis annis reddantur duodecim pro centum. Mos ille apud Græcos primum receptus, deinde ad Romanos transiit. *Ibid.*, p. LXI et seq.; DUVERGIER, n° 238, *Note*, p. 300. Mentio fit etiam aliquando usurarum quæ vocantur *hemioliæ* seu *sescupla*, quando nempe tertia pars sorti nomine usurarum accedit, v. g., si pro duobus reddantur tres, pro decem quindecim : hujusmodi usuræ receptæ erant præsertim pro frugibus. De his vid. GOTHOFREDUS, ad *Cod. Theodosian.*, l. II, tit. XXXIII, t. I, p. 256, edit. Ritter, Mantuæ, 1740. — 2. In jure nostro usura computatur ex denario, ratione habita numeri denariorum qui a mutuante præstantur ut unum obtineat. Sic, ut jam observavimus ubi *de Censu* (n° 1053), quando dicitur *prêter au denier vingt*, sensus est recipi unum denarium pro viginti, seu quinque pro centum; *au denier vingt-cinq*, unum pro viginti quinque, seu quatuor pro centum; *au denier dix*, decem pro centum, et sic de aliis.

7°. Demum usura dividitur in realem et mentalem. *Realis* dicitur, quando deducitur in pactum exterius, sive explicitum, sive implicitum. *Mentalis* autem duplici sensu intelligi potest : vel eodem sensu quo peccata dicuntur

mentalia, quia nempe in sola mente consistunt, et sic esset voluntas percipiendi usuram ad effectum non transiens, et vocari posset cum quibusdam *interna*, vel *pure mentalis;* vel, prout communiter sumitur, pro ea quæ percipitur *omni conventione cessante*, prout loquitur URBANUS III, cap. *Consuluit*, X, *de Usuris*, V, XIX. Sed quid præcise constituat usuram mentalem sic intellectam apud omnes non constat: id opportunius infra (nº 1159 et seq.) expendetur, quando nempe jam expositum fuerit quatenus usura sit prohibita.

Aliæ afferuntur a nonnullis auctoribus usuræ divisiones: sed quæ vel per se facile intelliguntur, vel data opportuniori occasione indicabuntur.

ART. 2. *Utrum et quo jure prohibeatur usura.*

1123. Quamvis prohibitam existimemus quamlibet usuram, hic loquimur potissimum de auctuario percepto ex mutuo quod vocant consumptionis, et quæstio est an generatim prohibeatur jure divino, an etiam jure naturali: in articulo sequenti expendemus quousque præcise extendatur hæc prohibitio. In præsenti agemus seorsim de jure divino, et de jure naturali. Et quidem a jure divino exordiendum putamus, tum quia ejus expositio viam parabit et non parum adjuvabit ad investigationem juris naturalis, tum quia nobis christianis præcipua agendi norma debet esse jus divinum. Nonnulla in decursu occurrent, data occasione, de jure positivo humano, sive ecclesiastico, sive civili; sed in his parum immorabimur, utpote ad scopum nostrum minus directe spectantibus. Tandem per modum corollarii expendemus an et quatenus liceat mutuum sub usura postulare aut sumere.

§. 1. *De prohibitione usuræ ex jure divino.*

1124. Expendendum habemus quid sentiendum sit de

communi theologorum doctrina jam a nobis indicata, quæ exprimi potest per hanc assertionem : *Jure divino reprobatur tanquam injusta quæcumque usura, seu quodcumque lucrum perceptum vi mutui, sive erga pauperem, sive erga divitem, et quantumvis sit moderatum et exiguum.* Ut hanc assertionem adstruamus, varia argumenta quibus innititur sigillatim exponemus, et discutiemus.

1125. ARGUMENTUM I^um^ : *Ex decisione* BENEDICTI XIV. Ideo illo argumento probationem exordimur, quia loco omnium aliorum multis sufficere potest, et iis viam parat. Illud autem sic proponimus. Decisioni Benedicti XIV nemo catholicus tuta conscientia assensum denegare potest : atqui illa decisio prorsus reprobat omnem usuram sensu a nobis exposito. Ergo, etc.

Prob. Maj. Quilibet catholicus assentiri tenetur judicio dogmatico, solemni, seu, ut aiunt, ex cathedra lato a Summo Pontifice, non improbante, imo assentiente tota Ecclesia; ita admittunt omnes catholici et adstruitur in *Tr. de Ecclesia :* atqui talis est decisio Benedicti XIV de qua hic agimus.

1°. Est judicium *dogmaticum.* Si enim attendamus ad ejus *objectum,* non agitur hic de quadam disciplina stabilienda, aut de quadam praxi inducenda, sed de adstruenda veritate, practica quidem, sed cum revelatione connexa, utpote ex Scripturæ et traditionis interpretatione colligenda; et ad mores fidelium informandos necessaria, quam proinde nos edocere cum summa auctoritate pertinet ad Ecclesiam, cui Christus assistentiam promisit docenti omnes gentes servare quæcumque mandavit ipse. Si attendamus ad ipsum *tenorem* Constitutionis pontificiæ, idem manifestum erit : malum cui remedium opportunum afferre voluit in eo erat quod *nonnullæ per Italiam disseminarentur sententiæ quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur;* ideo consilium suscepit quo Sedes Apostolica uti consue-

vit, scilicet accivit selectos cardinales et viros theologiæ et juris canonici peritos, qui accurate perpenderent, non commoda vel incommoda novæ legis ferendæ, sed propositiones mere doctrinales, *ut certam de usuris doctrinam constituerent*, suasque opiniones scripto exararent; horum sententias deinde approbavit et confirmavit, utpote quod *scriptores plane omnes, theologiæ et canonum professores, plura sacrarum litterarum testimonia, Pontificum decreta, conciliorum et Patrum auctoritas ad eas comprobandas conspirare videantur*, mandans episcopis ne *populum instruendo* ab iis recederent, neque permitterent in suis diœcesibus *contrarium doceri*. Tandem si respiciamus *scopum* quem exponit ipse Benedictus XIV in libro *de Synodo*, cujus verba ab initio retulimus, res non erit minus aperta. Voluit impedire *ne catholicæ doctrinæ puritas.... hac erroris labe fœdaretur;* ideo plura declaravit, ex quibus concludit *erroneam opinionem*, jam *prædamnatam*, et nunc *expresse ab Apostolica Sede reprobatam*, debere e diœcesibus exturbari. Quamvis autem in eo opere non loquatur nisi ut doctor privatus, quis ei fidem deneget quando testatur quid in sua Encyclica intenderit, quid præstiterit? Ergo judicium latum a Benedicto XIV, quamvis non sit stricto sensu regula fidei[1], quia non proponit veritates credendas tanquam immediate revelatas seu tanquam articulos fidei, est vere dogmaticum, nec haberi potest ut mera lex disciplinæ.

2°. Est judicium *solemne*. Quamvis enim dirigatur ad solos Italiæ episcopos, non ideo minus data est a Summo Pontifice vi auctoritatis sibi a Christo concessæ : facile id ostenditur. 1. Ex tenore ipsiusmet Encyclicæ. Ab initio

[1] Quid præcise intelligendum sit per regulam fidei, et quomodo differat a judicio dogmatico, explicabimus in Tr. *de Fide* : interim vid. Montagne, *de Notis theologicis*, in append. ad Tr. *de Opere sex dierum* editum sub nomine Tournely, in-12, p. CXCVII.

sic loquitur : *Nostri apostolici muneris partem esse duximus opportunum afferre remedium.... §. 1, Eam rationem consiliumque suscepimus quo Sedes Apostolica semper uti consuevit.... §. 5, Admonemus.... ne quis audeat litteris aut sermonibus contrarium docere ; si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subjectum declaramus pœnis per sacros canones in eos propositis qui mandata apostolica contempserint ac violaverint.* His sane nihil expressius desiderari potest. 2. Ex libro *de Synodo diœcesana.* Declarat enim, l. x, c. iv, n° x, se dedisse Encyclicam, *Ne catholicæ doctrinæ puritas cujus depositum ipsi est a Christo concreditum hac erroris labe fœdaretur,* et n° xi, asserit *Nunc integrum fore episcopis illam opinionem, postquam iterum nominatim et expresse est ab Apostolica Sede reprobata, novis constitutionibus, si opus fuerit, e sua diœcesi exturbare.* Igitur constat illa Encyclica contineri solemne Sedis Apostolicæ judicium. Hinc SS. Pontifices subsequentes eam proposuerunt episcopis et animarum pastoribus tanquam regulam omnino sequendam etiam extra Italiam. Ita pro Africa ipse Benedictus XIV in *Instructione* ad P. Carolum Felicem ; pro America, Pius VI in Responsione ad episcopum Quebecensem ; pro Gallia, pluries idem Pius VI, Pius VII, et Pius VIII, ut in decursu diximus. Hinc etiam in Responsione S. Rom. Inquisitionis ad presbyterum diœcesis Augustodunensis, data die 29 julii 1835 et a SS. D. N. Gregorio XVI approbata dicitur : « Orator se gerat juxta doctrinam contentam in « Encyclica Benedicti XIV *Vix pervenit,* quæ respicit uni- « versam Ecclesiam. » Hæc Responsio memoratur *Confér. ecclés. du dioc. d'Autun,* 12e ann., 1844, p. 6, eamque alio loco in extensum referemus.

3°. *Non improbavit,* imo *assensum dedit tota Ecclesia.* Certum est eam Encyclicam, licet ad solos Italiæ episcopos directam, brevi in tota Ecclesia innotuisse, sive per opus

Benedicti XIV *de Synodo* ubique diffusum, sive ex innumeris auctoribus qui eam operibus suis inseruerunt. Porro exinde nullam videmus exortam reclamationem; contra summo plausu in Italia recepta est, et in aliis regionibus; ea nituntur pastores in suis tradendis instructionibus; eam sequuntur theologi; ii etiam qui lucrum aliquod permittunt vulgo ejus auctoritatem non inficiantur, sed eam ad sensus alienos detorquent. Ergo revera huic constitutioni assensum dedit universa Ecclesia. Facile occurrerent testimonia auctorum e variis regionibus qui eam exhibent tanquam normam doctrinæ in hac materia sequendæ. Sufficiat quædam indicare pro quibusdam locis de quibus moveri posset dubium: pro missionibus Sinicis habemus testimonia trium sacerdotum seminarii quod dicitur *des Missions étrangères*, et alterius sacerdotis, qui per quindecim aut plures annos illis missionibus inservierant, quique contra Baronnat asserunt in his pro regula haberi Encyclicam Benedicti XIV (vid. *l'Ami de la Religion*, n° 884, t. XXXIV, p. 367, et PAGÈS, t. II, p. 113 et 116); et pro America septentrionali D. KENRICK, episcopi Philadelphiensis, *Theol. moral.*, vol. II, in-8°, Philadelphiæ, 1842, p. 171 et seq. Igitur, semel detecto vero sensu Encyclicæ Benedicti XIV, jam plene transacta res esse debet; et quemadmodum nullus catholicus ausus est propugnare propositiones ab Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII damnatas, quamvis eorum decreta Romæ tantum promulgata fuissent, ita multo magis quisque sive pastor sive fidelis adhærere debet judicio longe magis solemni : nec ullo modo in conscientia securum esse posse existimamus eum qui scienter huic reluctaretur.

1126. *Prob. min.* Duo nobis sufficiunt: 1°. ut Benedictus XIV notionem usuræ eodem sensu ac nos accipiat; 2°. ut eam reprobet tanquam injustam. Atqui hæc duo constant.

1°. Benedictus XIV notionem usuræ eodem sensu accipit ac supra exposuimus. Juxta eum, §. 3, n° 1 et 11, usura non consistit præcise in lucro immodico, nec in lucro exacto a pauperibus, sed eo nomine intelligit quodcumque lucrum ultra sortem ratione ipsius mutui perceptum. Jam vero vel illa definitio intelligenda est sensu a nobis exposito, vel dicendum cum Rossignol, p. 141, Baronnat, t. 11, p. 436 et seq., Mastrofini, n^is 633, 640, et quibusdam aliis, Benedictum XIV illud solummodo lucrum attingere quod ab eo percipitur qui, post datum mutuum absque ulla lucri stipulatione, seu cum pacto saltem implicito nullius lucri percipiendi, vult aliquid postea ultra sortem exigere, seu, ut quidam dicunt, usuram esse quando lucrum percipitur ex mutuo gratuito, nudo et simplici, non vero quando educitur e mutuo oneroso. Atqui posterius dici nequit. Nam 1. ex ipsamet Encyclica, voluit Benedictus XIV *aditum intercludere* pravæ doctrinæ, *ne latius serperet;* §. 2, *constituere certam doctrinam cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea quæ nuper in vulgus spargi cœperant.* Ex libro *de Synod. diœces.*, n° 10, reprobavit *opinionem quam nonnulli iterum refricare non dubitaverant;* n° 12, eliminavit *hæreticorum errorem qui etiam in catholicam rempublicam irrepere cœperat.* Ex his et ex ipsa rei natura ita intelligenda est illius decisio, ut contradicat doctrinæ ab aliquo propugnatæ, vel saltem de qua timendum erat ne propugnaretur. Jam vero quis unquam propugnavit opinionem quam hic rejectam volunt adversarii? nullus sane auctor afferri poterit qui contenderit post datum gratuito mutuum posse lucrum exigi; illud a nemine sano propugnari potest. Ergo, etc. 2. Dici non potest S. Pontificem tulisse definitionem omnino vanam, et quoad praxim omnino illusoriam, quæ non nisi viros omnino ineptos attingeret, præsertim cum ipse, §. 10, insurgat contra *ineptos illorum sermones qui*

dictitant de usuris hoc tempore quæstionem institui quæ solo nomine contineatur. Porro talis esset illa definitio, in sententia quam impugnamus : quis enim nisi omnino rudis, vel insolentissimæ improbitatis, lucrum intendens primo huic saltem tacite renuntiet, et postea exigat? Sane nihil facilius esset quam legem hujusmodi eludere. Ita BOUVON, *Réfutation*, p. 166. Quod autem dicimus de illa interpretatione, pari jure applicari potest sententiæ eorum qui contendunt ex pecunia data posse lucrum percipi, non quidem vi mutui, sed vi locationis vel alterius contractus qui in omni circumstantia fieri possit.

2°. Benedictus XIV usuram sic intellectam reprobat ut injustam. *Si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiæ quam commutativam appellant, et cujus est in humanis contractibus æqualitatem servare et non servatam exacte reparare* : ita fert art. II ex iis quos confirmat S. Pontifex (§. 3, n° II, et §. 4). Sane ea verba adeo sunt aperta, ut vis eorum nulla possit tergiversatione eludi. Porro, circa hanc et præcedentem assertionem observandum est eas exhiberi a Benedicto XIV, §. 4, tanquam comprobatas pluribus sacrarum litterarum testimoniis, Pontificum decretis, Conciliorum et Patrum auctoritate : ex quibus jam intelligimus quid sentiendum de multis plerorumque adversariorum assertionibus.

1127. *Obj.* Ex quodam Edicto lato a Benedicto XIV die 7 septembris 1745. Ibi reducit lucrum ex variis mutuis percipiendum ad 4 pro 100 : porro supponi nequit eum mense novembri damnasse quod mense septembri licitum agnoverat. Ita ROSSIGNOL, p. 142; BARONNAT, t. II, p. 503; NOLHAC, p. 85, et alii jam ab ætate Benedicti XIV.

R. 1°. In proœmio hujus Edicti agitur quidem de usuris exorbitantibus; sed in ipsa dispositione seu reductione nulla mentio fit mutui, sed agitur tantum de *censibus*,

cambiis et *aliis debitis fructiferis* initis a communitatibus pontificiæ ditionis a die qua ditionem illam ingressi erant milites extranei. Ita asserit et allato ipsomet Edicti textu probat Concina, *Comment. in Encycl.*, diss. III, c. IV, §. IV, p. 121; et videri potest apud Nolhac, qui decretum exscripsit, p. 111 et 112.

2°. Licet in eo Edicto ageretur de mutuo, nihil inde posset concludi. Etenim etiam in locis ubi omnino reprobatur usura, legis civilis est determinare lucrum ex mutuo percipiendum, pro casibus scilicet in quibus adest titulus extrinsecus et legitimus : et aliquando ea determinatio fit modo prorsus generali, quia in casibus peculiaribus coram judice constare nequit an adsit titulus, nec ne.

Ex his omnibus, solide probata nobis videtur ex Benedicto XIV assertio nostra. Nonnullæ tamen, hodie præsertim, proponuntur difficultates : quæ cum spectent tum ad mutuum quod vocant negotiationis, tum ad recentiores Romanarum Congregationum Responsiones, de his non dicemus nisi in articulis sequentibus.

1128. Argumentum II^um^. *Ex Scriptura Sacra.*

I. *Ex Veteri Testamento.* Sex afferuntur textus : tres ex Pentateucho, nempe *Exod.* XXII, 25 : « Si pecuniam « mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, « non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes; » *Levitic.* XXV, 35 : « Si attenuatus fuerit frater tuus, et « infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et « peregrinum et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, « nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere « possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei « ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges; » *Deuteron.*, XXIII, 19 : « Non fœnerabis fratri tuo ad usu- « ram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, « sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget « commodabis, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in

« omni opere tuo. » Quartus textus est *Psalm.* XIV : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?.... Qui « ingreditur sine macula et operatur justitiam,.... qui « non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo « malum,.... qui jurat proximo suo et non decipit, qui « pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super « innocentem non accepit. » Adjungi possunt *Psalm.* LIV, 12 : « Non defecit de plateis ejus usura et dolus, » et *Psalm.* LXXI, 14 : « Ex usuris et iniquitate redimet ani- « mas eorum. » Quintus est *Ezechiel.*, XVIII, 5 et seq., et 14 et seq. : vir justus ita describitur : « Si fecerit judi- « cium et justitiam...., ad usuram non commodaverit et « amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum « suam.... » Virum autem injustum ita depingit Propheta, 10 et seq. : « Egenum et pauperem contristantem, rapien- « tem rapinas, pignus non reddentem...., ad usuram « dantem et amplius accipientem : numquid vivet? non « vivet. Cum universa hæc detestanda fecerit, morte mo- « rietur. » Aliquid simile occurrit XXII, 12, ubi inter scelera Jerusalem recensetur istud : « Usuram et super- « abundantiam accepisti. » Sextus tandem II *Esdr.*, V. Ibi Nehemias divites varie increpat : « Usurasne singuli « a fratribus vestris exigitis?... Non est bona res quam « facitis.... Et ego et fratres mei et pueri mei commodavi- « mus plurimis pecuniam et frumentum : non repetamus « in commune istud, æs alienum concedamus quod de- « betur nobis. Reddite eis hodie agros suos et vineas suas « et oliveta et domos suas : quin potius et centesimam « pecuniæ, frumenti, vini, et olei quam exigere soletis « ab eis, date pro illis. Et dixerunt : reddemus, et ab « eis nihil quæremus : sicque faciemus ut loqueris. »

Ut ex iis textibus aliquid probetur, sufficiunt quatuor sigillatim discutienda : 1°. ut eadem exhibeatur usuræ notio quam exhibent theologi; 2°. ut prohibeatur omnibus

Judæis et erga omnes; 3°. ut prohibeatur tanquam injusta; 4°. demum ut lex illa non fuerit abrogata quoad Christianos. Atqui hæc quatuor ostendi possunt.

1°. Eadem *usuræ notio* exhibetur quam exhibent theologi. In eo scilicet consistit quod plus quam datum est accipiatur, seu in superabundantia : nec distinguitur an moderatum sit tale lucrum, an immoderatum; satis est ut mutuans non solum recipiat quod dedit, et compensationem damni si quod ex mutuo passus sit (quæ compensatio censetur etiam mera dati recuperatio), sed aliquid ultra, adeo ut vere lucretur. Unde si more scholasticorum loqui velimus, dici potest designari usuram lucratoriam, non compensatoriam.

2°. Lucrum illud *prohibetur omnibus Judæis et erga omnes Judæos,* sive pauperes, sive divites. Prius a nemine, saltem quem sciamus, negatur. Unde in posteriori adest tota difficultas, scilicet an usura prohibeatur erga omnes. Porro hæc difficultas multiplici modo enodari potest. 1. Ex textu legis. In Exodo quidem et Levitico fit mentio pauperis tantum : sed non idem occurrit in textu Deuteronomii. Unde sic argumentamur. Ille sensus tribuendus est legi quem duo priores textus non excludunt, tertius vero satis clare postulat : atqui.... Primo duo priores textus non excludunt prohibitionem generalem erga omnes Judæos. Nam nihil in Scripturis frequentius quam ut quædam prohibeantur erga quasdam personas quarum respectu graviora forent, quin tamen inde concludi possit permitti aut non prohiberi erga alias : sic sæpe prohibetur negare mercedem indigentis, pervertere judicium pupilli, calumniari viduæ, etc. Plura exempla profert Ballerini, t. I, l. IV, c. II, §. II, p. 144. Ergo vel dicendum cum Bossuet, *Tr. de l'Usure*, prop. I, t. XXX, p. 644, per pauperem intelligi quemlibet qui ad mutuum recurrere compellitur; vel saltem agnoscendum ex mentione pauperis

sequi tantum quod usura erga divites nominatim non prohibeatur iis locis, non vero quod non prohibeatur in cæteris, ut de aliis circumstantiis ait ipse La Luzerne, t. I, p. 233. Revera prohibitionem generalem sensu exposito includit textus Deuteronomii. Id deduci potest tum ex generalitate verborum, quæ sub nomine *fratris* indicant omnes Judæos, sive divites, sive pauperes; tum ex oppositione seu parallelismo inter duas partes textus : scilicet prohibetur erga Judæos quod permittitur erga alienos; porro ex sententia ipsorum adversariorum non permittitur usura erga pauperes alienos, cum hæc legi naturali adversetur; ergo illud quod prohibetur erga fratres non est præcise usura erga pauperes. Illud argumentum difficile solvi posse agnoscit La Luzerne, qui ideo satis libenter prohibitionem erga omnes Judæos admittit, t. I, p. 249, 250 : item Baston, *Précis sur l'Usure*, p. 17, 19. Neque contrarium evinci potest ex iis verbis, *id quo indiget* : nam hæc non occurrunt in textu primigenio, nec in antiquis versionibus, sed addita sunt in Vulgata. Insuper hæc verba non indicant pauperem, quia aliud est simpliciter *indigere*, aliud *indigere re aliqua* : prius indicat egestatem, posterius vero aliquam tantum rei necessitatem, quæ nisi existeret res mutuo non postularetur. Libenter annuunt iidem auctores. 2. Idem deduci potest ex textibus Psalmorum et Ezechielis, in quibus nulla prorsus affertur distinctio aut restrictio. Non minus generaliter damnatur usura quam alia vitia ibi memorata : imo usura damnatur tanquam ab oppressione pauperum distincta, ut observat *Dogma Ecclesiæ*, p. 103, ac proinde aliunde desumit malitiam suam. 3. Tandem idem eruitur ex interpretatione ipsorum Judæorum. Constat in Talmude et in libris Rabbinorum ita legem intelligi ut usura nequeat erga ullum fratrem seu Judæum, sive pauperem, sive divitem, exerceri. Id multis allatis testimoniis clare

ostendit D. Drach, cujus magna in his materiis auctoritas, *Lettre sur une quest. d'Usure*, p. 7 et seq. Ita etiam intelligunt legem Josephus, et Philo, ut ostenditur *ibid.*, p. 20 et seq. Id denique pro certo habuerunt multi usurarum patroni, speciatim inter Protestantes, ut Calvinus, Salmasius, qui id pluribus probat et pro aperto habet, *de Fœnore trapezitico*, p. 682 et seq., Grotius, Puffendorf, l. v, c. vii, §. 8, et Barbeyrac, *ibid.*, Noodt, La Placette, p. 85, et alii multi.

3°. Usura prohibetur ut *injusta*. Ipsa lex, ait Bossuet, prop. iii, p. 649, per unum verbum, ut in legibus fieri solet, ostendit iniquitatem usuræ, quando dicit plus accipi quam datum est. Cum insuper reprobetur pactum usurarium, inde concludi posset cum Zech, Diss. i, §. 138, non esse causam justam et legitimam transferendi dominium. Verum aliquid magis expressum reperimus in libro ii Esdræ. Nullum injustitiæ argumentum manifestius esse potest quam restitutio, ut omnes norunt : porro usuræ restitutionem impositam ibi legimus; postquam enim versu 3 Nehemias usuras increpavit, versu 11 restituendas indicat quemadmodum alienos agros, vineas, etc., quæ sane ex justitia restituenda erant : *Quin et potius centesimam pecuniæ.... quam exigere soletis ab eis, date pro illis* : id est, interprete Menochio : *Restituite eis aut dimittite usuram...., concedite ut sibi habeant.* Nonnulli quidem per centesimam intelligunt, non usuram, sed tributum centesimæ partis redituum quod Judæi pendere solebant; ideoque sensu omnino diverso versum illum intelligunt. Verum interpretatio quam afferimus communior videtur, et admittitur a plurimis viris eruditissimis, etiam a multis Protestantibus et usuræ patronis. Vid. Ballerini, t. i, l. iii, c. i, p. 106, 107.

4°. Lex illa *non fuit abrogata*. Quod ostendimus 1. ex ipsius *natura*. Ad hoc enim sufficit ut habenda sit tan-

quam lex moralis, non vero judicialis : atqui revera, etc. Quicumque enim legem attente inspexerit, ait Bossuet, prop. II, p. 647 et seq., agnoscet illius mentem esse usuram prohibere tanquam aliquid in se malum : in Psalmis enim et in Prophetia Ezechielis recensetur inter vitia quæ manifestam iniquitatem præ se ferunt : ita legem intellexerunt ipsimet Judæi, ait idem Bossuet, Josephum et Philonem allegans. Ergo licet illa lex videatur recenseri inter præcepta judicialia, ut arguit La Luzerne, t. I, p. 214, 224, 226, nihil inde concludi potest : in iisdem enim capitibus plura recensentur quæ sane ex jure naturali reprobantur, nec ad præcepta mere judicialia referri possunt, ut videre est *Exod.*, XXII, 21, 22, 28. Ita auctor libri cui titulus, *Réfutation du Mémoire sur le prêt lucratif* (de Desplas-Roques), p. 208; Bouyon, *Examen....*, p. 25.— 2. *Ex auctoritate Ecclesiæ.* Nemo ignorat SS. Patres et concilia illis textibus innixa fuisse ut usuram damnarent : porro inniti non potuissent, si lex fuisset abrogata. Nec dicatur cum La Luzerne, t. III, p. 453, SS. Patres illa lege innixos fuisse per modum exhortationis, concilia vero voluisse tantum ad illam alludere, ut ait *ibid.*, p. 456. Hæc enim non sufficiunt ad evertendam vim argumenti. De priori postea opportunius dicemus : posterius autem admitti nequit. Ex conciliorum loquendi modo satis patet agnosci in textibus Veteris Testamenti verum præceptum, cujus violatio grave flagitium includit et graves pœnas meretur. Citari possunt imprimis concilium Nicænum, can. XVII, cujus verba adhibent etiam plura concilia subsequentia : « Quoniam multi sub regula con-« stituti (id est, clerici), avaritiam et turpia lucra sectan-« tur, oblitique Divinæ Scripturæ dicentis : *Qui pecuniam* « *suam non dedit ad usuram*, mutuum dantes centesimas « exigunt, juste censuit sancta et magna Synodus, ut si « quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras acci-

« piens.... dejiciatur a clero et alienus existat a regula. » Concilium Carthaginense I, circa ann. 348, can. XIII : « Abundantius episcopus dixit : In nostro concilio statu- « tum est ut non liceat clericis fœnerari.... Gratus epi- « scopus dixit...: De quibus apertissime Divina Scriptura « sanxit, non differenda sententia est, sed potius exse- « quenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo « magis in clericis oportet prædamnari. Universi dixe- « runt : Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelia « facit sine periculo. » Innovatus fuit ille canon in concilio Carthaginensi VI, an. 419, can. V, et in concilio Aquisgranensi, an. 816, can. LXI. Quod autem reponit LA LUZERNE, t. III, p. 458, non dici *Sine peccato*, sed tantum *Sine periculo*, est, ut nobis saltem videtur, mera cavillatio. Concilium Turonense, an. 461, can. XIII : « Scriptum est : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, « et alio loco : *In plateis ejus usura et dolus.* Manifestum « est beatitudinis non posse consequi gloriam qui a præ- « ceptis divinis deviarit. » Concilium Papiense, an. 850, can. XXI : « Quia terribiliter propheticus sermo minatur « ad usuram dantem et amplius accipientem in æternum « non esse victurum...., censemus ut quique hoc perpe- « trasse inveniuntur, si supersunt a quibus usuras exege- « runt, ipsis restituant quæ superabundantius abstulisse « probantur. » Hinc merito clerus Gallicanus an. 1700 damnavit sequentem propositionem : « Usura etsi esset « prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in « Judicialibus præceptis abolita per Christum. — Hæc pro- « positio, aiunt præsules, verbo Dei contraria est, novæ « legis perfectionem et gentium omnium in Christo adu- « natarum fraternitatem tollit. » Qui autem scopum quem sibi proponebant præsules Gallicani paululum mente revolverit, facile percipiet quam immerito propositionem ad usuram oppressivam restringat LA LUZERNE, t. III,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

p. 563, 564 : videri potest expositio facta a Bossuet, t. VII, p. 322; exinde patebit præsules voluisse rejicere opinionem Lecorreur, de qua ab initio diximus (n° 1114, p. 268).

1129. *Obj.* In *Deuteron.*, XXIII, 19, legitur : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram....*, SED ALIENO. Exinde sic argumentantur adversarii. Per has voces, *Sed alieno*, usura permittitur erga omnes extraneos. Nam 1°. ibi agitur de vera usura; permittitur enim erga alienum quod prohibetur erga fratrem. Aliunde in aliis locis quæ evidenter connectuntur cum isto, speciatim XV, 6, XXVIII, 12, 44, promittitur Judæis tanquam merces quod multis gentibus fœnerabunt, et tanquam pœna prænuntiatur quod advenæ ipsis fœnerabunt; quæ omnia non nisi de mutuo usurario accipi possunt. 2°. Illi textus veram continent facultatem, non meram tolerantiam : tum quia verba nullam restrictionem secum important, tum quia tanquam merces et benedictio non promitteretur quod non esset nisi toleratum a Deo et semper in se malum remaneret. 3°. Agitur de omnibus omnino extraneis et non tantum de gentibus anathemati subjectis. Verba sunt omnino generalia, nec ulla adest ratio ea restringendi. Insuper cum Israelitis prohiberetur quodcumque commercium cum gentibus anathemati subjectis, cum ipsis mutuum iniri non poterat, nec proinde usura ab ipsis percipi. Porro ex his concludendum est usuram non fuisse in lege veteri prohibitam tanquam aliquid in se malum, cum in ea lege præscriberentur etiam extraneis præstanda quæcumque exigit charitas et justitia; sed eam legem fuisse mere judicialem, et a Deo latam tum ne nimia fortunæ disparitas inter Judæos obtineret, quod ex usura consequi solet, tum ad fovendam inter eos charitatem et conjunctionem sicque efficacius eos removendos et separandos a commercio gentium alienarum. Igitur ex veteri lege nihil

sub nova deduci potest. Ita post plures alios LA LUZERNE, t. I, p. 235 et seq.

R. 1°. Ante omnia removendi sunt textus in quibus prænuntiatur fœneratio danda vel accipienda a Judæis vocem Domini audientibus vel spernentibus : ex iis enim nihil concludi potest. Nam 1. juxta adversarios, ille beneficio afficitur cui mutuum ad moderatam usuram datur, adeo ut quodammodo iniquus sit si non lucri participem faciat mutuantem, et reipublicæ inimicus qui rem commercio tam utilem velit dissuadere; ita jactant perpetuo adversarii, quando agitur de divite aut negotiatore : profecto si ita sit, debuit Judæus fidelis a Deo ita benedici ut quam plurimos haberet a quibus mutuum sub moderata usura sumeret, nulli ipse ita daret pecuniam a se utilius impendendam. Et revera juxta adversarios Judæus non poterat usuras exigere ab alieno nisi iste esset dives aut negotiator; non negant etiam debuisse minus lucri exigi ex mutuo quam ex societate perceptum esset; unde fit ut Judæo mutuum danti minus lucrum accrescere debuerit quam accrescebat alieno mutuis pecuniis utenti, ex quo sequitur eum minus divitem futurum fuisse quam alienigenas, et minus abundaturum quam si ab iis mutuum sumpsisset. Igitur non possunt adversarii hunc sensum tribuere quem volunt citatis Deuteronomii locis. Ita, nec prorsus immerito, auctores libri cui titulus, *Dogma Ecclesiæ*, p. 73, 74. — 2. In textu hebraico et antiquis versionibus non mentio fit de usura, sed de simplici mutuo, adeo ut sensus sit fore ut Judæus fidelis ita bonis abundet ut mutuum aliis dare possit, ab aliis sumere numquam cogatur : qui sensus est plane obvius, et expressis verbis exhibetur in versione Samaritana; ita pariter intelligunt plerique interpretes, etiam inter Protestantes usuræ patronos. *Ibid.*, p. 71 et seq.

R. 2°. Triplex potissimum responsio affertur loco Deuteronomii qui objicitur.

I[a] interpretatio facultatem restringit erga solos Chananæos, seu erga solas gentes anathemati subjectas. Ita S. Ambrosius, *de Tobia*, quem sequuntur plures, inter quos Ballerini, l. II, c. III, §. III, t. I, p. 30. Testatur Bossuet, prop. III, p. 659, se audivisse a viris in scriptis Rabbinorum versatissimis plures ipsorum ita intelligere. Id autem deducunt 1. ex textu Hebraico : vox enim ibi adhibita peculiari ratione designat alienigenas inter Israelitas viventes. Vid. Ballerini, p. 31.— 2. Ex eo quod in Scripturis fratrum nomine donentur non solum Israelitæ inter se, sed varii alii populi; ex quo sequitur per alienum intelligi non quemcumque extraneum, sed eos tantum qui peculiari quadam ratione a titulo fratrum excludebantur. Ita Gasquet, *L'Usur. démasq. selon le droit divin*, t. I, p. 260 et seq. 3. Ex circumstantiis locorum et temporum, ex quibus Hebræis vix alia occasio mutui et usuræ aderat quam cum illis gentibus. Quamvis autem prohibitum esset fœdus inire, et aliis variis modis conjungi cum illis gentibus, non satis ostenditur quod nulla prorsus posset esse cum illis relatio, per quam daretur mutuo locus. 4. Quia sic optime explicatur quomodo gentibus illis saltem moraliter deletis, David et Ezechiel usuram universim reprobent, absque ulla fratris et alieni distinctione. Ex his omnibus concludunt nonnisi ex falsa Judæorum traditione, quæ omnes extraneos ut hostes traducebat et bona eorum et regna occupanda prænuntiabat, ortam esse eam interpretationem quæ vocem *Sed alieno* ad omnes extendit. Vid. Ballerini, p. 30, 33, 37.

II[a] interpretatio legem illam intelligit de omnibus extraneis, et tenet adfuisse quamdam Dei dispensationem, per quam Deus permiserat Hebræis usuram exigere, quemadmodum permiserat vasa Ægyptiorum auferre, vi nempe supremi sui in omnia dominii. Ea autem hujus

dispensationis ratio affertur, quod cum variæ gentes non nisi cum usura mutuum darent Hebræis, æquum fuit ut quodam compensationis jure uterentur, alioquin mox opprimendi et ad inopiam reducendi.

III[a] demum interpretatio quæ est S. Thomæ, quem passim sequuntur interpretes et theologi, legem intelligit de mera tolerantia, et tenet id unum esse ex iis quæ Deus non nisi ad duritiam cordis permisit. Ita sentit Bossuet, prop. II, p. 651, asserens ita Deum egisse, tum ut se accommodaret infirmitati Hebræorum, tum ut efficacius removerentur a moribus et vitiis alienorum amplectendis.

Tres illas interpretationes simul refert card. Gerdil, t. XVIII, p. 49 et seq.: primam vero et tertiam Benedictus XIV, *de Synod., loc. cit.*, n° 12. Unaquæque sua probabilitate non caret, videturque sufficere ad solvendam objectionem. Sed advertendum est, si non sufficerent, non ideo corruere totam nostram argumentationem : a fortiori nihil inde concludi posse pro tempore novæ legis, cum jam a Christo sublata sit quæcumque fratris et alieni distinctio. Ita Ballerini, p. 38. Idque satis agnoscit La Luzerne, t. I, p. 288, cum fateatur Vetus, sicut et Novum Testamentum nullam ipsi suppeditare probationem directam suæ opinionis.

1130. II. *Ex Novo Testamento.* Agitur hic de celebri textu S. Lucæ, VI, 35 : *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Exinde deducimus usuram esse in Novo Testamento prohibitam, attendendo tum ad ipsummet textum, tum ad interpretationem Ecclesiæ.

1°. Si attendatur ad ipsummet *textum.* Ea verba, ex communi interpretum opinione, pertinent ad sermonem Christi in monte, qui partim c. V S. Matthæi, partim c. VI S. Lucæ refertur; unde unum ex altero explicandum sentiunt : neque id negat La Luzerne, t. I, p. 288, 294. Quo posito, sic argumentamur. Usura prohibetur

in Novo Testamento, si ex textu allato probetur veterem usuræ prohibitionem fuisse a Christo confirmatam, imo ad majorem perfectionem adductam : tunc enim usura prohibita censenda erit erga omnes sive divites, sive pauperes, ut in veteri lege; sive fratres, sive extraneos, cum Christus eam distinctionem de medio sustulerit, et omnes homines habendos ut fratres præceperit. Atqui revera probatur ex allato textu, etc. Tria enim possunt in eo attendi : 1. scopus et finis Christi; 2. verba illius in se sumpta; 3. circumstantiæ temporum et personarum ad quas sermonem dirigebat. Jam vero,

1. Si attendatur *scopus* et *finis* Christi, duo manifeste elucent : primo eum non venisse solvere legem, sed adimplere; deinde ipsum a discipulis suis voluisse exigere justitiam et perfectionem quæ magis abundaret quam justitia publicanorum et Pharisæorum : ita, inquam, patet voluisse Christum, non quidem præcipiendo Christianis quæcumque Judæis quacumque ex causa præscripta erant, sed saltem legem perficiendo circa varia puncta de quibus loquitur in sermone de quo agimus. Porro evidens est Christum non fuisse assecuturum scopum illum, si non confirmasset veterem usuræ prohibitionem; agit enim hic, fatentibus omnibus, de mutuo, et profecto ille non perficit legem qui, auferendo præceptum negativum obligans semper et pro semper, in ejus vicem subrogat consilium, aut ad summum præceptum affirmativum quod non nisi in casibus satis raris obligat : atqui ita egisset in sententia adversariorum : sane illud non esset legem perficere, sed potius destruere, aut saltem imminuere. Ergo ex scopo et fine Christi, etc.

2. Si attendantur *verba Christi in se sumpta*. Multiplici sensu possunt intelligi. 1°. Quoad naturam præcepti, sensus esse potest vel *Mutuum date et nihil inde sperate*, vel *Mutuum date etiam quando nihil inde speratis* : priori

sensu præceptum est negativum, posteriori sensu affirmativum. Priorem admittunt aut potius supponunt plerique theologi : posteriorem fuse adstruit La Luzerne ex eo quod verba, *Nihil inde sperantes*, referantur ad verbum, *Benefacite*, quemadmodum ad *Mutuum date;* t. I, p. 295-300. Huic nihil contradicemus, quamquam corrueret tota argumentatio, si diceretur cum quibusdam verbum, *Benefacite*, spectare ad inimicos de quibus antea loquitur. 2°. Quoad objectum præcepti, triplici sensu vox illa, *Nihil*, intelligitur : alii intelligunt de restitutione sortis ; alii de pari beneficio seu de remutuatione ; alii de lucro seu usura : priores interpretationes satis congruunt contextui ; eas tamen rejicit Bossuet, prop. IV, p. 673 et seq., quia iis admissis mutuum non differret ab eleemosyna. Huic rationi non insistemus, quam satis probabiliter solvit La Luzerne, p. 336 et seq. ; unde admittemus cum ipso, p. 301 et seq., vocem illam in tota sua extensione esse sumendam, nec nisi indirecte respicere lucrum percipiendum. Quibus præmissis, sic ratiocinamur. Vel illa verba intelligenda sunt de præcepto negativo respiciente lucrum ultra sortem percipiendum, vel aliis sensibus mox indicatis : porro utrumlibet dicatur, manet nostra assertio. Si prius, nulla est difficultas. Si posterius, etiam : nam ille legem non abrogat, qui ei consilium vel præceptum addit : atqui nihil aliud agit Christus. Et revera, si attente inspiciatur integer ille sermo, invenietur Christum sæpissime, relato veteri præcepto, non exprimere nisi aliquid perfectius, aut merum aliquando consilium ; nec propterea in mentem venit alicujus quod sustulerit præceptum ; contra omnibus perspectum est prius esse quod subsistat præceptum, quam quod perficiatur. Ergo quæcumque admittatur interpretatio, probatum remanet prohibitionem usuræ fuisse confirmatam a Christo.

3. Si attendantur *circumstantiæ temporum et persona-*

rum, Christus alloquebatur Judæos, qui non ignorabant usuram esse sibi inter fratres prohibitam. Jam vero illi Christum audientes, qui a discipulis suis tantam exigebat perfectionem, nonne sibi persuadere debuerunt a fortiori in suo robore permansuram prohibitionem qua jam erant adstricti? Vid. RENDU, p. 66 et seq. Et profecto debuerunt intelligere Christum præcipere ut non minus quam antea facerent et saltem aliquando plus, ut agnoscit ipse LA LUZERNE, p. 331 : atqui minus facerent, si perciperent lucrum quod antea percipere non licebat. Ergo 1°. ex ipsomet textu, etc.

2°. *Ex interpretatione Ecclesiæ*. Duos testes hic appellare possumus omni exceptione majores, Bossuet, et Benedictum XIV. Sic loquitur BOSSUET, 2e *Instr. sur la version du N. T. de Trévoux*, Oper., t. IV, p. 544 : « La « tradition constante des Conciles, à commencer par les « plus anciens, celle des Papes, des Pères, des interprètes « et de l'Église Romaine, est d'interpréter ce verset comme « prohibitif du profit qu'on tire du prêt. » BENEDICTUS autem XIV, *loc. cit.*, n° 6 : « Illis Christi domini verbis, « *Mutuum date, nihil inde sperantes*, præceptum tradi, seu « verius naturalem legem iterum inculcari nihil prorsus « lucri ex mutuo ab ullo, sive paupere, sive divite, exigendi, « non solum docet S. Thomas, 2. 2, q. LXXVIII, art. 1 « ad IV, sed concors fuit Conciliorum, Patrum, summo- « rumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III...» Et revera traditionis ecclesiasticæ monumenta in duplicem classem dividi possunt. Prior complectitur duodecim priora sæcula; posterior complectitur tempus elapsum a sæculo decimo tertio. Jam vero circa tempora recentiora nullum exsurgere potest dubium, quin textus ille intellectus fuerit tanquam prohibitivus usuræ. 1. Ita intellexit URBANUS III, an. 1185, cujus interpretationem brevi admissam fuisse agnoscit LA LUZERNE, t. III, p. 710,

licet, inquit, non omnino universaliter et non absque aliqua reclamatione. Ita etiam INNOCENTIUS III, an. 1213, et alii plures. Exstant ea testimonia in jure canonico, l. v Decretal., tit. XIX *de Usuris*, et de his infra (n° 1141) redibit sermo. 2. Intellexerunt concilia. Ita concilium Trevirense an. 1310, et plura alia, fatente ipso LA LUZERNE, t. III, p. 513 et 515. Citare sufficiat concilia Lateranensia II, III et V : duo priora, quæ ab omnibus agnoscuntur ut œcumenica, dicunt usuram *utriusque Testamenti pagina* condemnari ; quæ cum videantur indicare, non solum prohibitionem quæ in officiis generalibus charitatis et justitiæ continetur, ut vult LA LUZERNE, t. III, p. 516, sed prohibitionem specialem, nonnisi ad textum de quo agimus, qui in Novo Testamento unicus est, spectare possunt. Posterius autem, de cujus œcumenicitate non omnino constat, supponit saltem communiter intelligi textum S. Lucæ tanquam usuræ prohibitivum : etenim in constitutione LEONIS X, lata approbante concilio, circa montes Pietatis, inter motiva eorum qui eos non esse licitos propugnabant istud recensetur, quod « Dominus noster, Luca « evangelista attestante, aperto nos præcepto adstrinxerit « ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debea- « mus.» 3. Ita intellexerunt theologi fere omnes, ut libenter agnoscit LA LUZERNE, t. III, p. 66. Porro hæc omnia abunde sufficiunt ut constet recentioribus temporibus sensu nostro intellectum fuisse textum S. Lucæ. Circa tempora præcedentia, non ita quidem expresse sensus ille tribuitur, sed nec etiam excluditur, imo potius supponitur, ut deduci potest ex iis quæ observavimus circa varias interpretationes hujus textus : illudque ita necessario agnoscendum est, ne traditionem traditioni opponamus ; quod fieri non posse postea fusius explicabimus. Ergo, etc.

1131. *Obj.* Christus in parabola de talentis servorum

usuram manifeste approbat : exhibet enim, et quidem absque ulla improbationis nota, patremfamilias ita servo suo loquentem, *Matth.*, XXV, 27 : *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est* CUM USURA ; et *Luc.*, XIX, 23 : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens* CUM USURIS *utique exegissem illam?* Ergo Christus usuram approbat, aut saltem licitam supponit. Ita LE CORREUR, p. 165 ; *Dialogue entre Bail et Pontas*, p. 55 ; MAFFEI, p. 71; LAFORET, p. 64 ; RULIÉ, p. 162 ; FAIVRE, p. 33 ; MASTROFINI, n° 75 et seq.

R. 1°. Certum non est ibi agi de mutuo : non enim explicatur modus quo pecunia committebatur numulariis, seu dabatur ad mensam : forsan ille qui tradebat pecuniam ejus periculum subibat, et sic jus habebat ad lucrum. Contrarium demonstrari non posse agnoscit LA LUZERNE, t. I, p. 287.

R. 2°. Licet ageretur de mutuo, nihil concludi posset. 1. Quia quæcumque referuntur in parabolis non ideo approbat Christus : v. g., laudatur villicus iniquitatis, *Luc.*, XVI, 8, qui tamen certe damnum injustum intulerat domino suo. Attendendum ergo solummodo ad scopum quem Christus intendit. Porro in parabola quæ objicitur vult Christus nos excitare ut in bonis ab eo acceptis semper proficiamus, rationem de iis reddituri. 2. Contra potius inde colligi potest usuræ injustitia. Dominus enim ibi argumentatur ad hominem : *De ore tuo te judico, serve nequam ; sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui*, etc. Unde attento tali contextu colligi potest usuram percipere esse proprium hominis austeri, qui metit ubi non seminavit, etc. Ita fuse evolvit et multorum interpretum auctoritate confirmat GASQUET, t. II, p. 250.

Unde agnoscit LA LUZERNE, p. 287, 288, huic parabolæ non esse insistendum.

1132. Argumentum III^um^. *Ex Conciliis.*

Ut ex Conciliis probetur nostra assertio, sufficit ostendere : 1°. ea reprobare omnem usuram, absque distinctione pauperum et divitum; 2°. reprobare tanquam lege divina prohibitam; 3°. tanquam injustam : atqui hæc tria constant. Ea breviter adstruemus, removendo quæ difficultatem pati possent, de quibus infra.

1°. Reprobatur *omnis* usura. Illud expresse agnoscit La Luzerne, t. III, p. 538 et 565, pro Conciliis habitis a sæculo XIII; quod nobis sufficit : quamquam haud ita difficile foret ostendere idem esse dicendum de conciliis priorum sæculorum : plura quidem ex ipsis non loquuntur nisi de clericis, de quo postea; verum communiter in iis nulla fit distinctio pauperis et divitis, nec illæ inveniuntur restrictiones quas in scriptis SS. Patrum deprehendere arbitrantur adversarii : e canonibus vix unus aut alter, inquit Ballerini, t. I, l. IV, c. IV, §. III, p. 159, pauperes memorat. Non raro quidem in expositione mentio fit de pauperibus aut de usuris immoderatis; sed plerumque ipsa dispositio seu prohibitio quæ consequitur est omnino generalis et absoluta.

2°. Reprobatur usura tanquam *lege divina prohibita,* seu concilia legem præcise non decernunt, sed legem divinam inculcant. Plura jam testimonia attulimus (n° 1128, p. 311, et n° 1130, p. 320); et multa alia facile proferri possent : nec putamus ullum dubium ea de re adesse posse.

3°. Usura reprobatur ut *injusta*. Non solum enim a sæculo XIII videmus eam exhiberi in conciliis tanquam furti speciem, ut agnoscit La Luzerne, p. 519, sed obligatio restituendi expresse injungitur aut potius declaratur in concilio Lugdunensi II, œcumenico, an. 1274, et in multis aliis conciliis et synodis illud subsecutis. Ita agnoscit etiam La Luzerne, p. 477 : « Le second concile de Lyon « prescrivit absolument la restitution des intérêts usu-

« raires; et, à la suite d'un concile général, il a dû né-
« cessairement arriver qu'un grand nombre et de conciles
« provinciaux et de synodes diocésains aient rendu la
« même ordonnance. » Ergo, etc.

Addere juvat decretum concilii Viennensis, œcumenici, an. 1311. Sic in eo loquitur CLEMENS V, cujus constitutio exstat etiam *Clementin.*, l. v, tit. v : « Ex gravi ad nos
« insinuatione pervenit quod quorumdam communitates
« locorum, in offensam Dei et proximi, et contra jura
« divina pariter et humana, usurariam approbantes quo-
« dammodo pravitatem, per statuta sua juramento quan-
« doque firmata, usuras exigi et solvi, nedum concedunt,
« sed ad solvendas eas debitores scienter compellunt, ac
« juxta ipsorum continentiam statutorum, gravia impo-
« nendo plerumque usuras repetentibus onera, aliisque
« utendo super his diversis coloribus et fraudibus exqui-
« sitis, repetitionem impediunt earumdem. Nos igitur,
« perniciosis his ausibus obviare volentes, sacro appro-
« bante concilio statuimus, ut quicumque communitatum
« ipsarum potestates, capitanei, rectores, consules, ju-
« dices, consiliarii, aut alii quivis officiales, statuta hu-
« jusmodi de cætero facere, scribere vel dictare, aut quod
« solvantur usuræ, vel quod solutæ cum repetuntur non
« restituantur, plene, ac libere, scienter judicare præ-
« sumpserint, sententiam excommunicationis incurrant;
« eamdem etiam sententiam incursuri..., si ipsa statuta,
« sive consuetudines effectum eorum habentes, quoquo-
« modo præsumpserint observare. » Et paulo post : « Sane
« si quis in illum errorem inciderit ut pertinaciter affir-
« mare præsumat exercere usuras non esse peccatum,
« decernimus velut hæreticum puniendum. » Porro ea quæ objicit Broedersen ut ostendat eam constitutionem non esse concilio Viennensi tribuendam, fuse diluit BALLERINI, t. II, *Vindiciæ*, c. XII, p. 65 et seq., accuratius

quam antea factum fuerat discussis monumentis quæ spectant ad *Clementinarum* publicationem. Eam autem non posse restringi cum eodem Broedersen ad meram legem positivam quæ non attingeret nisi loca in quibus usura ex jure canonico reprobabatur ut injusta, satis apertum est ex postremis verbis, ut observat idem Ballerini, n° 24, p. 77, 78, et ex communi interpretatione doctorum, qui huic constitutioni innixi sententiam suam ad fidem referunt, ut alibi dicimus (n° 1142).

1133. *Obj.* Concilia priorum sæculorum non reprobant usuram sensu nostro intellectam. Nam 1°. ea concilia non reprobant usuram nisi in clericis : excepto concilio Eliberitano, cujus dubia est authenticitas et minima auctoritas, ante finem sæculi VIII nullus est canon qui clare et expresse usuram reprobet in laicis. Ita La Luzerne, t. III, p. 424 et seq. 2°. Concilia non præcipiunt restitutionem usurarum : ante sæculum XIII unicum reperitur concilium provinciale in quo mentio fiat de restitutione, et etiam illius canon potest optime alio sensu intelligi ; imo et debet, ne sensum erroneum contineat. *Ibid.*, p. 464 et seq. 3°. Concilia non reclamarunt adversus leges quæ permittebant usuras : imo multæ sunt quæ videntur ab episcopis fuisse approbatæ. Pariter neque concilium Florentinum damnavit opinionem Græcorum, neque concilium Tridentinum opinionem Calvini. *Ibid.*, p. 480 et seq. Hæc omnia sane indicant priscis illis temporibus non viguisse doctrinam quæ postea invaluit.

R. 1°. Generatim, hæc sunt argumenta negativa, quæ argumentis positivis quæ attulimus prævalere nequeunt. Doctrina enim Ecclesiæ novissimis temporibus non potest contradicere doctrinæ olim receptæ : porro satis clara est et aperta doctrina recentiorum temporum, adeo ut illud fateatur La Luzerne locis jam indicatis.

R. 2°. Sigillatim. Ad I. — 1. « Si argumentum, inquit

« Benedictus XIV, *de Synod.*, n° 8, quidquam haberet « roboris et efficacitatis, probaret etiam fornicationes et « adulteria esse laicis permissa, quia plerique canones in « solos clericos fornicarios et adulteros, nulla facta laico- « rum mentione, animadvertunt; quæ sane argumentatio « inepta foret et ridicula; novum quippe non est Eccle- « siam severius in clericis punire delicta, quæ etiam in « laicis execratur, sicuti opportune et ad rem apposite « monuit concilium Carthaginense I, can. XIII : *Quod in « laicis reprehenditur, id multo magis in clericis oportet « prædamnari.* » Observat Ballerini, t. I, l. II, c. X, p. 94, hanc fuisse veterum conciliorum œconomiam, cum de frequentioribus peccatis ageretur, præsertim per leges civiles quodammodo probatis. Idem admittit Baston, p. 34 : « Les conciles vouloient, par une sage retenue, « ne pas se commettre avec la puissance civile, qui tolé- « roit ou même protégeoit ouvertement les pratiques usu- « raires; mais ils manifestoient indirectement leur impro- « bation, en les punissant si sévèrement dans les membres « du clergé. » 2. Satis facile ostendi posset non deesse concilia quæ usuram etiam in laicis reprobant, aut saltem reprobatam supponunt : talia sunt ea quæ nituntur lege divina; cum in lege divina certe non adsit distinctio inter clericos et laicos. Sufficiat observare pleraque ex iis quibus nituntur adversarii male allegari, quia, ut observat Bossuet, prop. III, p. 662 et seq., mens conciliorum non est præcise usuram in solis clericis damnare, sed eam damnatam supponendo, pœnas decernere : porro nihil magis consuetum in antiquis canonibus, pergit idem auctor, quam laicorum crimina pœnis non plectere, quia illarum determinatio consuetudini, aut prudentiæ episcoporum relinquebatur. Cæterum fatetur ipse La Luzerne, t. III, p. 463 et 575, usuram fuisse etiam laicis prohibitam a sæculo VIII, ac proinde diu ante tempus quo per-

actam fuisse contendit eam immutationem quam tribuit Gratiano, cujus opus non prodiit nisi anno 1151.

Ad II. Dici potest conciliis satis fuisse usuram reprobare : pastorum erat et doctorum populos edocere consectaria practica inde educenda, quæ evolvere in conciliis tunc moris non erat, ut observat Ballerini, t. I, l. III, c. II, p. 110, 111.

Ad III. Cum diu permisissent aut tolerassent usuras leges civiles, sæpe non nisi imprudenter voluissent episcopi earum revocationem statim expostulare : de iis igitur siluerunt, sicut de multis aliis quæ non ideo dici possunt fuisse ab Ecclesia probata. Citari possunt ea occasione duo facta memoratu digna. Imperator Basilius dictus Macedo, qui regnare cœpit an. 867, in Constitutione, quæ vulgo tribuitur, sed ex errore, Leoni Philosopho, ait : « Etsi majorum nostrorum plerisque visum est tolerandam « esse usurariam pravitatem, forte propter creditorum « duritiem et inhumanitatem, nos tamen ut nostra chris- « tianorum republica indignam et aversandam censuimus « tanquam jure divino interdictam. » Leo autem Sapiens, ejus filius, qui ei successit an. 886, agnovit justitiam hujus constitutionis, quam tamen abrogavit, quia, inquit, *Non in melius, sed in pejus vergit;* « qui enim antea usu- « rarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, « post latam legem.... in eos qui pecuniis indigent diffi- « ciles atque immites sunt. » Hinc intelligi potest quænam esset tunc Ecclesiæ doctrina, et cur nihilominus ita statuerent leges civiles. Ita Ballerini, t. I, l. IV, c. IV, §. X, p. 169, 170. Duas constitutiones refert, l. II, c. VII, §. VI, p. 73 : item Pagès, t. II, p. 426 et seq. : item Salmasius *de Usuris* ad calcem præfationis, et post eum Troplong, *Préface*, p. XCVII, XCVIII.

Quoad concilium Florentinum, non satis constat quid eo tempore teneret Ecclesia Græca, ut ex Concilii silentio

aliquid concludi possit : videantur quæ diximus ab initio.

Quoad concilium Tridentinum, nemo nescit non ea omnia fuisse in eo reprobata quæ docebat Calvinus : nil mirum igitur quod de usura siluerit, eo magis quod, ut jam diximus, non is erat tunc temporis omnium Protestantium error. Vid. BALLERINI, l. II, c. X, n° 11, p. 99.

1134. ARGUMENTUM IV^um^. *Ex SS. Patribus.*

Si hic cum Protestantibus tantum agendum haberemus, haud necesse foret probare SS. Patres omnem usuram reprobasse : id enim libenter admittunt, iisque crimini vertunt. Ita BARBEYRAC, cujus verba quædam jam protulimus (n° 1113, p. 265), et alii plures quorum testimonia profert CONCINA, *Comment. in Bened. XIV Encyclicam*, diss. I, c. XI, p. 76 et seq. Verum alii nobis occurrunt adversarii. Agnoscunt quidem sanctos Patres usuram reprobasse, illudque nemo bona fide in dubium revocaverit : videri possunt testimonia e quolibet sæculo collecta, *Dogma Ecclesiæ*, p. 127 et seq., apud BALLERINI, t. I, l. II, c. VII, p. 62-72, vel apud LA LUZERNE qui ea in extensum refert, diss. III, c. I, t. II, p. 4-235. Tota quæstio est qualem usuram damnaverint, et quo sensu. Porro ut probetur nostra assertio, tria statuenda suscipimus : 1° SS. Patres per usuram intellexisse quod nos intelligimus; 2°. eam reprobasse tanquam justitiæ et non solum charitati oppositam; 3°. reprobasse non tantum quoad pauperes, sed quoad omnes, etiam divites : his probatis, stabilita erit propositio. SS. Patrum testimonia in extensum referre non sinunt operis nostri limites, nec necessarium putamus. Satis erit exponere principia quibus eorum sensus intelligatur : quæ quidem eo majori fiducia proferimus, quod in nostra interpretatione prævios duces habeamus plerosque theologos, ut in decursu observabimus.

I. SS. Patres *per usuram idem intellexerunt quod nos intelligimus.* Non inveniuntur quidem in SS. Patribus circa

usuram, sicut nec circa multa alia puncta moralia, illæ definitiones rigorosæ, quibus postea usi sunt theologi scholastici : usuræ tamen notionem sufficienter determinant. Si enim percurrantur eorum testimonia, manifestum erit eos usuram reponere, non in lucro seu incremento immoderato, sed in quocumque mutui incremento, sive magno, sive exiguo : juxta ipsos, usura est *fœnoris redundantia, plus accipere quam datum est, sortis augmentum, accessorium quod præter sortem contingit, quidquid sorti accedit, pecuniæ aut alterius rei* mutuo datæ *cum fœnore receptio*, etc. Ita inter alios loquuntur Tertullianus, Lactantius, S. Basilius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, Theodulphus Aurelianensis, Hugo a Sancto Victore, et alii plures quos citat Ballerini, t. I, l. II, c. II, §. III, p. 25-27, et La Luzerne, t. II, part. I, p. 313-326, qui illud nobiscum satis aperte admittit, p. 372. Porro hanc notionem non differre ab ea quam afferimus satis facile probari posse videtur. Ideo enim differret, juxta La Luzerne, p. 328-334, quia SS. Patres non restringunt suam notionem ad mutuum, et ad lucrum quod percipitur præcise vi mutui absque titulo extrinseco : atqui ratio illa non valet. Nam 1°. SS. Patres, licet in ipsa definitione semper ideam mutui non exprimant, satis suam mentem indicant in serie sermonis, cum loquantur de illo tantum contractu : si autem aliquando non adsit illa restrictio, nihil aliud inde concludi potest nisi ad summum quod usuram sumant sensu latiori pro qualibet inæqualitate in contractibus, quemadmodum et nos sæpe sumimus; ex quo nihil contra nos. Præterea cum loquantur plerumque expresse de pecunia vel aliis rebus primo usu consumptibilibus, ex natura objecti satis determinatur natura contractus. 2°. SS. Patres quidem non dicunt usuram adesse tantum quando lucrum percipitur absque titulo extrinseco : verum quando sim-

pliciter et generaliter loquuntur, per se satis patere putamus ita intelligenda esse eorum verba. Quando enim de re aliqua sermo habetur, intelligendus est tantum de ipsius natura seu de eo quod ipsi intrinsecum est, seclusis circumstantiis extrinsecis, quæ sunt speciei prorsus diversæ. Imo cum SS. Patres loquantur de sortis augmento, dicant plus recipi quam datum est, manifeste supponant usurarium ditescere, ipsi exprobrent quod velit pecuniam suam germinare, fructificare, etc., eo ipso satis ostendunt se non loqui de casibus in quibus adsunt tituli extrinseci quales intelligunt theologi; siquidem tunc ea omnia vere applicari nequeunt. Cur autem magis expresse de titulis extrinsecis non loquantur infra dicemus (n° 1136). Igitur satis manifestum videtur SS. Patres per usuram intellexisse quod nos intelligimus, in eoque tantum a nobis differre, quod in suis definitionibus non adhibuerint præcisionem rigorosam more scholasticorum.

1135. II. SS. Patres *usuram reprobarunt ut injustam*. Eos sæpe verbo illo aut aliis idem exprimentibus usos fuisse omnino certum est ex eorum testimoniis, ap. Ballerini, l. III, c. II, §. I-III, p. 111-117, et La Luzerne, t. II, part. II, p. 106-112 : ex quibus sic argumentamur. Ut probetur nostra assertio, sufficit ut SS. Patrum testimonia intelligi debeant de justitia stricte sumpta, non vero de justitia lata quatenus idem est cum virtute, ut contendit La Luzerne, p. 119-124, vel qualem agnoverunt in obligatione quam inculcant divitibus bona sua pauperibus erogandi, ut contendit etiam p. 113-118 : atqui duplici posteriori sensu non possunt intelligi SS. Patres. 1° Non de justitia lata. Illud satis constabit enumerando quædam Patrum testimonia. Sic Lactantius, non solum usuram dicit injustam, sed ait : *Abstineat prorsus alieno, debet suo esse contentus; Suum* ad capitale, *Alienum* ad usuram referens. S. Hilarius dicit : *Sic debi-*

tum reposce, ne spolies. S. Gregorius Nyssenus, fœnus vocat *Latrocinium*, quo acquiruntur ea quæ ad nos non pertinent. S. Zeno Veronensis sortem vocat *Sua*, usuram vero *Aliena*. S. Augustinus loquendo de usuris, ait: *Vellem restituerentur, sed non est quo judice repetantur.* Hildebertus ait, *Septimo Decalogi præcepto prohiberi omne genus usuræ.* Ita etiam loquuntur alii doctores, qui usuram vocant furtum et rapinam. Porro hæc omnia satis indicant quæstionem esse de justitia stricte sumpta. 2°. Non de obligatione qualis inest bona pauperibus erogandi. Qui enim verba SS. Patrum de superfluis et de usura contulerit, diversam loquendi rationem perspiciet. Cum de superfluis Patres loquuntur, et justitiam in hoc læsam appellant, non humanam atque civilem qua dominia ac jura hominum continentur, sed divinam eminentiorem indicant: memorant enim Deum supremum esse bonorum dominum, a quo ea conditione accepere divites, ut ex superfluis elargiantur indigentibus, adeo ut non sint nisi veluti œconomi, qui si aliter dispensant quam sibi præstitutum est, injustitiam quamdam committant; sed simul ea juste parta et acquisita agnoscunt, et sæpe uno et eodem testimonio quo superflua ex Dei dominio et voluntate aliena prædicant, ex dominio privato nostra simul fatentur, ut palam sit eos injustitiam stricti juris non intelligere. Porro non ita loquuntur ubi agitur de usuris: nullibi eas juste partas dicunt, sed potius injuste; nullibi indicant esse nostras, sed injustitiæ, fraudis, rapinæ crimen iis impingunt, manifeste ad jus privatum respicientes. Ergo, etc. Ita Ballerini, l. III, c. III, p. 125-127.

1136. III. SS. Patres usuram reprobant non solum quoad pauperes, sed *quoad omnes, etiam divites.* Illud multiplici via ostendimus.

1°. Ex *generalitate verborum* quæ adhibuerunt. SS. Patres, postquam usuram definierunt, absque ullo respectu

ad pauperes vel divites, ut vidimus, eam pure et simpliciter damnant absque ulla distinctione; ita plures quos indicat La Luzerne, t. II, part. I, p. 373-376 : imo multi expresse declarant se damnare quamcumque usuram, quocumque nomine involvatur; *ibid.*, p. 376-382 : nullam afferunt distinctionem inter quamdam usuram licitam, et alteram illicitam. Porro hæc assertionem nostram adstruunt. Si enim credidissent SS. Patres usuram non esse nisi ex pauperum conditione interdictam, non dixissent pure et simpliciter, *Non fœnerandum*, sed addidissent, *Cum paupere*, quemadmodum nemo diceret: *Domus non est pretio locanda*, licet aliquando illud sit illicitum ob locatarii indigentiam. Pariter aliquando dixissent se permittere usuram ex divite, quando nempe omnino opportuna se dabat occasio : v. g., quando explicant quomodo munera non sint accipienda, nec retinendum in pignus vestimentum pauperis, et simul usura non percipienda, in isto distinguendum indicassent, quemadmodum indicant in duobus aliis : Ballerini, l. IV, c. IV, §. V, p. 161. Vid. La Luzerne, t. II, part. II, p. 12-16. Sic etiam quando S. Chrysostomus usurariis indicat modos lucrandi legitimos (La Luzerne, *ibid.*, p. 17, 18), nonne debuisset indicare usuram ex divite, aut saltem dicere se eam non damnare? Ballerini, *ibid.*, §. VI, n° 11, p. 164. Ergo SS. Patres reprobant usuram ex quocumque perceptam.

Et vero quid ad hæc reponunt adversarii? Duo præsertim : 1°. in plerisque SS. Patrum textibus mentionem esse de oppressione pauperum, ac proinde in ea oppressione reponi, sin naturam usuræ, saltem illius vitium : ita passim La Luzerne; 2°. non posse in sensu allato intelligi SS. Patres, quin admittatur eos reprobasse etiam usuras compensatorias; quod nostram sententiam omnino everteret. Ita etiam perpetuo La Luzerne, imprimis t. II, part. I, p. 383-387. Atqui hæc duo confutari possunt.

I^um quidem. Agnoscimus reipsa in multis SS. Patrum locis mentionem fieri de pauperibus : agnoscimus etiam cum præfato auctore, *ibid.*, p. 308, ex locis in quibus damnatur usura erga pauperes non posse concludi eam esse illicitam erga divites. Verum si recte intelligantur et ultra justos limites non extendantur illæ observationes, putamus non inde everti nostram assertionem. Nam 1. usuræ vitium cum ejus effectu non est confundendum : aliud est unde usura judicetur injusta, aliud unde, præter injustitiam, depingatur proximo gravis et onerosa. Si igitur SS. Patres, quando agunt de idea seu notione usuræ et illius injustitia, eam non aliunde repetant quam ex aliqua supra sortem accessione; de pauperum vero oppressione mentionem tum faciant, cum criminis hujus horror a damnosis qui inde consequuntur effectibus incutiendus est, inde immerito concluderetur eos non reprobare usuram nisi erga pauperes. Cum enim SS. Patres plerumque loquantur de usura in concionibus ad populum, mirum non est quod illud insectentur quod frequentius est, et perniciosiores effectus depingant : sic agere consueverunt quando adversus graviora crimina disserunt, quin tamen divinam legem ad eos casus tantum qui eos effectus parerent restringendam crederent. Ita et merito *Dogma Ecclesiæ*, p. 119, 120; Ballerini, l. iv, c. iv, §. 1, p. 157, et alii. 2. Fatemur cum La Luzerne, t. ii, part. i, p. 311, et part. ii, p. 336, doctorum mentem investigandam esse ex contextu et serie sermonis. Verum simul nobiscum fateri debet illud non esse nimis extendendum : in longa enim concione mentio fieri potest de pauperibus, quin eo ipso omnia præcedentia et subsequentia ad eos sint restringenda; nil enim vetat plura successive a Patribus reprehendi. 3. Qui mutuum petit, dici potest verissimo sensu esse in necessitate, re aliqua indigere, quin eo ipso sit sensu stricto pauper : illud temporibus præser-

tim SS. Patrum verum esse debuit, cum multo pauciores quam hodie ad fortunam solum multiplicandam mutuum acciperent. Pariter licet mutuatarius sit dives, per mutuum ipsi vere præstatur humanitas, erga eum exercetur misericordia : hæc et alia hujusmodi vere dici possunt. Igitur ex eo quod in aliquo textu mentio fiat de necessitate, de humanitate, item de damno per usuram inferendo, non inde statim concludendum non agi nisi de paupere, quo sensu vox illa sumitur in præsenti controversia : fidenter asseri potest SS. Patres per pauperes erga quos, fatentibus adversariis, reprobant usuram, nullatenus intelligere eos qui versantur in statu inopiæ et paupertatis, qualem intelligunt theologi quos impugnamus. Porro si his attentis revolvantur SS. Patrum testimonia, multum aberit quin omnia ad usuram oppressivam restringi possint.

Quoad II^um^, multum abest etiam quin evertat nostram assertionem. 1. Profert Ballerini, l. vi, c. ii, n° 10, p. 265, nonnulla testimonia SS. Basilii, Gregorii Nysseni, Ambrosii, etc., in quibus indicant se loqui de pecunia *inutili, otiosa,* ex qua scilicet cessante nihil damni obventurum judicatur. Fatemur pauca suppetere hujusmodi testimonia, ideoque forte non sufficere ad omnino tollendam difficultatem. Fatemur etiam ea testimonia intelligi posse de pecunia superflua, quam dives debet libenter in necessitates pauperum impendere, sive per mutuum, sive per eleemosynam, si opus sit, per oppositionem ad pecuniam necessariam, de qua communiter non incumbit eadem obligatio. Sed dici potest non ideo enervari vim horum testimoniorum : cur enim pecunia dicitur non necessaria, nisi quia ex ejus absentia damnum non imminet? Quidquid sit, non deest alia responsio. 2. Ipsa SS. Patrum verba sensu obvio intellecta satis indicant eos non loqui de compensatione damni per mutuum illati, ut jam supra

advertimus (n° 1134), neque excludere titulos legitimos quos admittunt theologi. 3. Si frequentius de his titulis non loquantur, multæ rationes afferri possunt, quas magna ex parte nobis suppeditat ipsemet La Luzerne, explicans cur SS. Patres non distinxerint inter usuram ex pauperibus, et ex divitibus perceptam; t. II, part. II, p. 27 et seq. Prima est quod Patres non soleant de iis agere quæ sunt legitima : plerumque concionatores, raro casuistæ, vitia insectantur, quin indicent ea quæ judicant licita. Secunda est quod iis non immorentur quæ omnibus erant cognita et aperta : porro quis statim non videat et fateatur mutuanti suum beneficium non debere esse damnosum? Tertia est quod multi ex SS. Patribus loca incolerent in quibus multi pauperes, et vix ullum commercium; ex quo fieri debuit, non solum ut vix alii quam pauperes mutuum peterent, sed etiam ut rarius occurrerent tituli. Ergo facile evertitur argumentatio cui tantopere innititur La Luzerne, et alii. Et revera negare nequeunt ipsi adversarii, SS. Patres asserere aut supponere generaliter mutuum esse gratis præstandum omnibus quos urget aliqua necessitas, etiam transitoria, qualem pati possunt homines alias patrimonio honesto donati : admittere tamen debent non fuisse in mente SS. Patrum ut non liceret etiam in eo casu mutuatori exigere compensationem damni quod ex mutuo pateretur; ergo ipsi explicandum habent cur SS. Patres non locuti fuerint de titulo quem tamen necessario admiserunt. Quas autem explicationes afferent, eas faciemus nostras ut eorum effugia præcludamus. Igitur sua vis remanet argumento quod desumimus ex generalitate verborum quæ adhibuerunt SS. Patres.

1137. — 2°. Ex *rationibus quibus nituntur SS. Patres.* Ex argumentis quæ adduxerunt SS. Patres possumus agnoscere quænam fuerit eorum mens : si multa ex iis respiciant non solum pauperes, sed etiam divites, profecto

concludendum erit eos reprobasse usuram quoad utrosque; alioquin irrita fuissent et contra ipsos facile retorquenda eorum argumenta. Atqui reipsa multis rationibus nituntur quæ utrosque respiciunt. Prima ratio desumitur ex lege veteri, quam dicunt in nova lege subsistere, indignum reputantes ut christiani inveniantur iis qui sub lege fuerunt inferiores, ut loquitur S. Chrysostomus. Atqui, ut vidimus, lex vetus prohibebat usuram inter fratres, sive pauperes, sive divites. Secundam rationem desumunt ex usuræ injustitia, ut jam vidimus : porro justitia æqualiter omnes respicit; quod injustum est, non cum solis pauperibus, sed cum omnibus est injustum. Tertiam rationem desumunt ex sterilitate pecuniæ : usurario exprobrant quod æris et auri, rerum partu non solitarum quærat fœtum; quod ipsi aratrum sit calamus, ager charta, semen atramentum, pluvia tempus, falx repetitio, area domus; quod colligat ubi non seminavit, et metat ubi non sparsit, etc. Ita S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus, et alii. Hæc ratio utrum legitima sit, necne, nihil refert : eam certe Patres cum allegarunt, credidere legitimam. Porro cum hæc non propria usuræ pauperum sit, sed æque cadat in usuram quæ a pecunia divitibus data exigitur, Patres hanc allegantes, æque usuram pauperum et divitum damnasse noscuntur. Quartam rationem desumit S. Chrysostomus ex lege Romana quæ omnem usuram prohibebat senatoribus; quomodo non horrendum fuerit, inquit, si non parem cœlesti civitati honorem tribuas, quem legislatores Romanorum senatui tribuunt? Atqui senatoribus prohibebatur omnis usura, etiam erga divites.

1138. — 3°. Ex *auditorum querelis* adversus SS. Patres. Legimus aliquando in ipsis ecclesiis fuisse excitatas auditorum querelas adversus SS. Patres contra usuram perorantes : *Novi et ego vestrum murmur, dentiumque fremitus,*

ait S. Gregorius Nyssenus. *Nec fallit*, ait S. Ambrosius, *dixisse aliquos : Quid sibi voluit episcopus contra fœneratores tractare? Scio quidem*, inquiebat S. Chrysostomus, *multos hæc non libenter audire.* Porro exinde adstrui posse videtur nostra assertio. Nam 1. si SS. Patres usuras tantum erga pauperes damnassent, quis fœnerator tam impudens, in ipsa ecclesia, murmurare ausus fuisset? Quis enim ejusmodi usurariorum crudelitatem, a qua ipsa humana natura maxime refugit, æquo animo tulisset? Sane hodie viri etiam valde cupidi non auderent conqueri de concionatore qui in tantam inhumanitatem solummodo declamaret. Ergo a SS. Patribus reprobari quamcumque usuram populus ipse intellexit. 2. SS. Patres, si in adversariorum sententia fuissent, monere debuissent se non omnem usuram damnare, sed eam tantum quæ pauperes gravat. Profecto sola hac admonitione rumores facile conquievissent : igitur SS. Patres medium non neglexissent adeo efficax et facile, imo et necessarium ne fidelium conscientiæ laqueos injicerent. Atqui tamen nihil tale legimus apud SS. Patres. Ergo, etc. Ita Ballerini, l. iv, c. iv, §. vi, p. 162-164.

1139. — 4°. Ex *peculiaribus testimoniis* SS. Patrum de usura ex divitibus percepta. 1. S. Basilius pluribus indicat se loqui etiam de usura ex divitibus percepta : « Argentum « qui accepit, inquit, primum quidem splendidus ac « hilaris est.... Lauta mensa est, vestis pretiosior, famuli « et splendidiore habitu induti. » Et postea : « Fœnore « sumunt pecuniam homines, qui se in laxiores impensas « et in luxum inutilem effundunt. » Deinde : « Fœnerator « quæ in ædibus habes perscrutatur; tua diligenter inda- « gat commercia. » Demum agnoscit multos fœnore sumpto factos esse divites, quamvis addat plures pervenisse ad laqueos. 2. S. Gregorius Nyssenus loquendo de mutuante, ait : « Curiose et anxie inquirit in omnes

« debitoris actiones, in peregrinationes, in egressum, « mercaturam, et si fama oriatur infaustior, quod scilicet « quidam in latrones inciderit, vel eventu aliquo inops « ex opulento evaserit, sedet junctis manibus, assidue « gemit.... Si autem mutuum fuerit nauticum, littoribus « assidet, deflet ventorum procellas, perpetuo examinat « euntes et redeuntes, etc. » Hæc sane non indicant mutuum datum pauperibus ad consumptionem. 3. S. AMBROSIUS loquitur de fœneratoribus qui aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant : « Aiunt nobile « prædium esse venale, amplam domum....; hortantur ut « coemant.... Neganti se habere pecuniam ingerunt suam, « dicentes : Utere ut tua; de fructibus emptæ possessionis « pretium multiplicabis, debitum reddes. » Alibi loquitur de iis qui « refugientes præcepta legis, cum dederint « pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exi- « gunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emo- « lumenta percipiunt; » et addit : « Fraus ista et circum- « scriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere « quia a negotiatore quasi munus suscipis? Inde ille « fraudem facit in mercium pretio, unde solvit usuram. » Hæc sufficiant testimonia ut innotescat falso asseri SS. Patres usuram reprobantes numquam locutos esse de divitibus et mercatoribus. Quædam alia addi possent; et si plura non suppetant, ratio afferri potest quia antiquis satis fuit usuram omnem generalibus verbis damnare : de casibus peculiaribus non loquebantur nisi data occasione; et plerumque ad pauperes respiciebant, quia vitium illud erat frequentius et simul longe magis perniciosum. Vid. BALLERINI, l. IV, c. V, p. 173 et seq.

1140. His SS. Patrum testimoniis opponunt adversarii quædam facta aut testimonia[1], quæ sibi omnino favere pro

[1] Octo numerantur. — *Obj.* 1°. Ex S. BASILIO, factum *Julittæ*. Vir quidam Julittæ viduæ, et S. Basilii consanguineæ, mutuo dederat

pugnant. Ea primus, saltem ut putamus, attulit AUBERT seu MIGNOT, *Tr. des Prêts de commerce*, et postea varii auctores a nobis indicati, speciatim LA LUZERNE, t. II,

quamdam pecuniæ summam, usuras condonaturus si statuto tempore redderet : simulque viva voce promiserat se amplius temporis spatium esse concessurum. At elapso termino vehementer urgebat solutionem et summæ et usurarum. Ea occasione pro Julitta intercessurus tres epistolas scripsit S. Basilius, quæ sunt CVII, CVIII, CIX, quasque ex integro refert LA LUZERNE, p. 35 et seq. Porro in his epistolis ne unum quidem verbum habet de prohibitione usuræ, quam tamen omittere non debuisset, si usuram vetitam credidisset : contra hortatur creditorem ut respiciat ad Dominum bonæ voluntatis remuneratorem, et aliis similibus motivis utitur, quæ applicari nequeunt omissioni rei omnino vetitæ : ergo S. Basilius prohibitam non credidit usuram. LA LUZERNE, *ibid.*, p. 237 et seq.

R. 1°. Nimis probaret objectio. Etenim verba S. Basilii ostendunt Julittam fuisse pauperem et solvendo imparem : « Ubi vidi jam ultra « vires ærumnis intolerabilibus constringi, misertus sum illius.... Præ- « sidem misereat domus illius cætera ærumnosæ et infelicis, etc. » Si ergo valeret objectio, sequeretur licitam esse usuram etiam erga pauperes. Nec valent responsiones quas affert LA LUZERNE, p. 241, scilicet paupertatem seu miseriam aliunde oriri quam ex mutuo, non exstitisse tempore mutui, etc. Esto enim quod ita fuerit; non minus ab omnibus dicendum est debuisse urgere præceptum charitatis tempore quo peragenda erat restitutio; et parvi interest undenam oriatur miseria, modo vere existat.

2°. Dici potest forsitan adfuisse titulum legitimum percipiendi usuram. Negat quidem LA LUZERNE, p. 242 : sed omnino gratuito. Illud autem sufficit ut evertatur vis objectionis.

3°. Explicari potest cur de lege divina locutus non fuerit S. Basilius. In epist. CVII loquitur ad ipsam Julittam, cui dum vult subvenire, nihil postulabat ut de jure divino loqueretur. In epist. CVIII ad ipsum creditorem non de usurarum exactione loquitur, sed de solo tempore coarctato, et inducias postulat. Aliunde satis esse potuit erga hominem quem exhibet S. Basilius ut versipellis ingenii et omnem pudoris sensum abjicientem, allegare injustitiam violatæ promissionis, quæ apud mundanos homines pluris valet quam usuræ iniquitas. Tandem in epist. CIX ad Comitem opus non erat de jure divino disserere, sed satius erat exponere angustiam mutuatariæ, promissiones creditoris, sicque excitare charitatem ejus qui adversus exactorem apud Præfectum intercessor rogabatur. Ita BALLERINI, l. II, c. XI, §. I, p. 100; D. R***, *de Contractibus*, p. 195; BOUYON, *Examen, etc.*, p. 124; *Analisi ragionata*, I, I, c. VII, p. 171.

part. I, p. 236 et seq., MASTROFINI, n° 129 et seq. Ea sigillatim discutere necessarium non putamus, quia nec tam aperta, nec tam gravia, nec tam multa sunt ut possint

Obj. 2°. Ex S. CHRYSOSTOMO. Duobus in locis satis ostendit se non reprobare quamlibet usuram tanquam injustam. 1°. In *Homil.* XV *in Matth.*, n° 8, t. VII, col. 227 (198 Bened.), inducit paganos exprobrantes Christianis quod præcepta Christi non impleant : « Quando ergo « poteris vel unum ejus implere præceptum, cum missis omnibus cir- « cumeas usuras colligens, fœnus fœnori addens, negotiationes insti- « tuens, servorum greges emens.... et utinam id solum ageres! Cum « vero his intempestivis injustitiam quoque addas, terram finitimis « abstrahas, domos spolies, pauperes atteras, famem augeas, quando « poteris ad hæc limina accedere? » Ergo usura accensetur tantum inter *res intempestivas* seu minus perfectas, eodem modo ac negotiatio, et distinguitur a rebus *injustis* de quibus ultimo loco agit. 2°. *Homil.* LXVI *in Matth.*, n° 5, t. VII, col. 744 (660 Bened.), hortans ad eleemosynam, sic refellit excusationem eorum qui dicunt se filiis reservare : « Sed liberos respicis, et illorum causa dare refugis? Et hos « quoque institue ad hujusmodi facienda lucra. Nam si argentum « haberes sub fœnore collocatum, et debitor probus esset, malles certe « syngraphamquam aurum filio relinquere ut inde proventus ipsi esset « magnus, nec cogeretur alios quærere ubi pecuniam collocaret. Nunc « chirographum hujusmodi filiis dato, et Deum ipsis relinque debito- « rem. » Ergo supponit licitum esse pecuniam sub fœnore collocare : indicat enim id fuisse usitatissimum, nec vel minimum reprehendit. Ita LA LUZERNE, p. 243 et seq., qui testimonia profert p. 125 et 134.

R. ad I. Satis aperta non est conclusio ex verbis S. doctoris educta, ut evertantur alia ejus testimonia quibus injusta declaratur usura. Non dicit fœnerationem esse per se licitam, sed eam recensendo inter ea quæ homines terrenis implicant, eosque ad cœlestem patriam festinare præpediunt, indicat tantum esse minus malum quam ea quæ postea adducit : nil aliud ostendunt hæc verba, *Utinam id solum ageres!* Eodem sensu alicubi dixit S. Augustinus, *Utinam fornicator tantum esses, non adulter!* et in Apocalypsi legitur, *Utinam frigidus esses!* Vid. *Dogma Ecclesiæ*, p. 172, 173; D. R***, p. 197; *Analisi ragionata*, p. 177.

Ad II. Non satis probatur S. Chrysostomum loqui de pecunia collocata sine titulo legitimo : vel eum approbare modum obtinendi proventus, quem usitatum supponit utpote lege civili admissum; S. doctor affert tantum similitudinem, et nemo nescit similitudines non esse sub omni respectu urgendas. *Analisi....*, p. 175 et seq.

Obj. 3°. Ex S. HIERONYMO. *In cap.* XVIII *Ezech.*, t. III, col. 823, fœneratores sic redarguit : « Solent argumentari et dicere : Dedi unum

evertere documenta traditionis. Attamen de iis nonnulla subjicere opportunum erit : indicabimus simul auctores ubi paulo diffusior discussio occurret.

« modium qui satus fecit decem modios. Nonne justum est ut medium « modium de meo plus accipiam, quum ille mea liberalitate decem et « semis de meo habeat? *Nolite errare*, inquit Apostolus, *Deus non « irridetur.* Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, « utrum habenti dederit, an non habenti? Si habenti, utique dare non « debuerat; sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi « ab habente? » Ergo totam usuræ malitiam repetit S. doctor ex eo quod exigatur a paupere; alioquin si nullum esset sub eo respectu discrimen inter pauperem et divitem, illusorium esset dilemma : et ultima verba aperte supponunt exigi posse a divite. Ita La Luzerne, p. 252 et seq. Textus occurrit p. 141.

R. Mirum profecto esset S. Hieronymum qui eo præcise loco omnem usuram, seu, ut ait, superabundantiam ut prohibitam in lege et prophetis exhibet, eam permittere erga divites. In allato dilemmate intendit confutare prætensam fœneratoris liberalitatem : *Respondeat fœnerator misericors*, id est, qui se prætendit misericordem; et ostendit nullam esse liberalitatem in eo qui erga pauperem agit eodem modo ac ageret erga divitem cui nullatenus intendit benefacere. Vid. D. R***, p. 198; et *Dogma Ecclesiæ*, p. 212 et seq., ubi quædam aliæ afferuntur explicationes.

Obj. 4°. Ex S. Sidonio Apollinari, Epist., lib. IV, ep. XXIV. Maximus Palatinus Turpioni viro tribunitio summam mutuaverat sub chirographo, cauta centesima, quæ per decennium sortem ad duplum adduxerat. Urgebatur Turpio morti jam ex morbo propinquus solvere. S. Sidonius invisurus Maximum amicum suum, qui interim electus fuerat episcopus Tolosanus, rogatur a Turpione ut inducias postulet. Porro precibus annuens, non allegat juris divini prohibitionem, sed *necessitates, extrema* debitoris, *professionem novam* Maximi, *sodalitatem antiquam, etc.* Statim Maximus, *vir totius charitatis*, « absit « a me, inquit, ut hæc reposcam clericus ab ægro, quæ vix petissem « miles a sospite.... Quapropter.... et annuum solutioni spatium pro- « rogabo, et superpositam medietatem, quæ per usuræ nomen accrevit, « indulgeam, sola simplici restitutione contentus. » Gratias agit Sidonius hospiti, *qui sic amaret tam suam famam quam conscientiam, confirmans amicum..... hinc superna regna mercari :* et hortatur filium Turpionis ut *protinus saltem commodata summa solvatur*, addens : « Cum habet talis persona contractum, quæ velit medium « relaxare, cum totum possit exigere, si moram patitur, quidquid « propter misericordiam concesserat pie, juste reposcit propter inju- « riam. » Jam vero, præterquam quod verisimile non est virum piis-

1141. ARGUMENTUM V^um^. *Ex Summis Pontificibus.* Exstant in jure canonico, speciatim lib. v Decretal., tit. XIX, plura SS. Pontificum rescripta, ex quibus manifestum, qualis erat Maximus, arctasse debitorem quoad usuram quæ habita fuisset ut illicita, S. Sidonius satis ostendit se ut illicitam non habere : nam non postulat condonationem, sed tantum inducias; non allegat legem divinam; condonationem exhibet, sicut et ipse Maximus, tanquam actum *indulgentiæ* et *misericordiæ;* imo expresse ait usuram posse juste exigi. Ergo, etc. Ita LA LUZERNE, p. 272 et seq. Epistola integra refertur p. 174. Factum istud citat etiam eodem fine TROPLONG, *Préface*, p. CVII.

R. Usuræ turpitudinem satis ostendit Maximus, episcopus factus, cum vix rogatus eam statim dimiserit; item S. Sidonius, quando ait Maximum eam remittendo amare tam famam suam quam *conscientiam.* Nec minus tamen dicere potuit eum egisse pie et misericorditer, quia remissio juris quod humanis legibus concedebatur misericordiæ tribui potuit : item dicere potuit juste reposci et exigi posse usuram, si juxta promissum sors adveniente termino non solveretur, vel nempe secundum leges, vel in pœnam moræ et propter injuriam. Vid. *Dogma Ecclesiæ*, p. 234 et seq. ubi refertur etiam epistola integra Sidonii, p. 232; BOUYON, *Réfutation*, p. 440, et *Examen*, p. 127; *Analisi*, p. 186 et seq.

Obj. 5°. Ex *Desiderato Virdunensi.* Referente S. GREGORIO TURONENSI, *Histor. Francor.*, l. III, n° 34, col. 135, Desideratus, episcopus Virdunensis, qui obiit an. 550, « videns habitatores urbis suæ valde « pauperes atque destitutos...., cernens bonitatem et clementiam « circa omnes Theudeberti regis, misit ad eum legationem, dicens :... « Rogo, si pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, qua « cives nostros relevare valeamus : cumque hi negotium exercentes « responsum.... præstiterint, pecuniam tuam cum usuris legitimis red- « demus. Tunc ille pietate commotus septem ei millia aureorum præ- « stitit : quæ ille accipiens per cives suos erogavit. At illi negotia exer- « centes divites facti sunt.... Cumque episcopus debitam pecuniam « obtulisset regi, respondit rex, non habeo necessarium hoc recipere.... « et nihil exigens antedictos cives divites fecit. » Ergo neque episcopus, neque rex pro illicito habebant mutuum cum auctuario; alioquin neque ille proposuisset, et quidem tanquam *legitimum*, neque hic acceptasset. Ita LA LUZERNE, p. 281 et seq. Textus refertur p. 180; TROPLONG, *Préf.*, p. CIX.

R. Quidam factum in dubium revocant. Sed eo admisso, dici potest Desideratum obtulisse usuras, quia in casu necessitatis, qualis ille in quo versabantur Virdunenses, licet mutuum petere sub usura, quando aliter obtineri nequit : poterat autem timere ne alia conditione rex

festum evadit 1°. usuræ notionem non ab oppressione pauperum, sed a quolibet lucro supra sortem esse repetendam; 2°. usuram esse crimen, utriusque Testamenti pagina

nollet pecuniam præstare; vel forsan offerre usuras, quas legitimas, id est, legales vocat, ne nimium importunus videretur, et sperans principem eas non petiturum, quemadmodum de facto non recepit. Ita THOMASSIN, *Usure*, part. II, c. XV, n° XI et XII, p. 383. Vid. etiam *Dogma Ecclesiæ*, p. 236 et seq.: BALLERINI, l. II, c. XI, §. III, p. 101; BOUYON, *Réfutation*, p. 442, et *Examen*, p. 130; *Analisi*, p. 190.

Obj. 6°. Ex S. GREGORIO MAGNO. Epist., l. IX, ep. XXXVIII, t. II, col. 955, scribit Anthemio subdiacono in gratiam cujusdam Mauri. Is a Felice acceperat merces pro quadringentis solidis, et promiserat *sex siliquas per solidum lucri causa persolvere pretii*: unde debebat quingentos solidos. Sed quia in mercibus non leve passus erat dispendium, restitutis quadringentis decem solidis, petebat auxilium, ne reliquum lucri solvere compulsus majori necessitati ac potius desperationi subjaceret. Ideo S. Gregorius vult Anthemium, si ita est, dare operam apud Felicem, « ut hac in re, sicut christianum decet et nobilem, plus benignus quam rigidus, plus misericors esse debeat quam « strictus, et lucrum de alterius damno non exspectet, sed recepta « pretii sit sorte contentus : quatenus quidquid pauperi cesserit, « omnipotens ei Deus multiplicata sicut promisit restitutione compenset. » Igitur S. Gregorius contractum initum non improbat; non allegat prohibitionem cujuslibet usuræ; eatenus vult ut Anthemius præstet operam, quatenus res ita est ut perhibet Maurus, nempe quatenus damnum passus est, quod perpendere fuisset inutile, si quodlibet auctuarium prohiberetur; non loquitur de restituendis decem solidis supra sortem jam perceptis; tandem condonationem ex parte creditoris exhibet ut opus misericordiæ, non justitiæ : Ergo non putabat, etc. Ita LA LUZERNE, p. 290 et seq., ubi ait adversarios ne tentasse quidem his argumentis respondere. Textus affertur p. 185.

R. Usura de qua ibi mentio est erat viginti quinque pro centum (nam unus solidus habebat viginti quatuor siliquas), ac proinde supra taxationem legalem : non potuit ergo S. Gregorius eam probare, etiam juxta adversarios. Agitur ergo potius de quadam specie negotiationis mercium quæ a Felice traditæ fuerant Mauro vendendæ cum certi lucri cautione; cujus tamen contractus conditiones cum ignorentur, certa ejus ratio reddi non potest. Ita BALLERINI, t. II, *Vindiciæ*, c. VIII, §. I, n° 12, p. 42; BOUYON, *Réfutation*, p. 443, et *Examen*, p. 132; *Analisi*, p. 193.

Obj. 7°. Ex facto NOTKERI episcopi Leodiensis. Exstat contractus, quem ex Dachery refert LA LUZERNE, p. 207 et seq., initus an. 989 inter abbatem S. Richarii et episcopum Leodiensem, et post triginta

condemnatum, sive a clericis, sive a laicis exerceatur, et tale ut ne ad opus quidem bonum dispensationi locus sit; 3°. usuram esse non tantum contra charitatem, sed contra

tres annos renovatus, assentientibus monachis S. Richarii, et canonicis Leodiensibus, qui nihil aliud est quam contractus Pignoratitius, quem a mutuo usurario non differre satis constat. Hujusmodi contractus publice et solemniter initos fuisse agnoscit Thomassin, part. I, c. XIV, n° IV, p. 159. Porro si tunc viguissent principia rigida circa usuram, non celebrati fuissent hujusmodi contractus, præsertim ab episcopis qui multis laudibus cumulantur. Ita La Luzerne, p. 296 et seq.

R. Quæcumque opinio habeatur de hujusmodi contractu, nihil inde concludi potest quoad doctrinam tunc temporis receptam : satis notum est quot abusus irrepserint his sæculis, decimo et undecimo, in quibus cæterum quædam occurrunt monumenta veræ doctrinæ. Vid. Bouyon, *Réfutation*, p. 446, et *Examen*, p. 136; *Analisi*, p. 194.

Obj. 8°. Ex facto B. Ivettæ, viduæ reclusæ *Hui* in Belgio. Hugo Floreffiensis canonicus, ordinis Præmonstratensis, in vita B. Ivettæ (non vero Juettæ, ut mendose scribunt auctores recentiores), quam vulgavit Bollandus, ad diem XIII januarii, t. I, p. 868, narrat, apud La Luzerne, p. 235, eam, ut tam sibi quam filiis caveret, consensisse « ut pecunia sua publicis negotiatoribus accommodaretur, ut super-« crescentis lucri negotiantium particeps esset, sicut multi et honesti « secundum sæculum viri idem facere consueverant, licet non absque « peccati, sicut nec sine quæstus emolumento. Quod tamen peccatum, « quamvis modo quam grave et grande sit evidenter apparet, tunc « tamen temporis aut omnino veniale æstimabatur, aut nullum. » Ita scribebat ille auctor circa initium sæculi XIII; unde intelligitur circa finem sæculi XII nondum viguisse nova principia circa usuram : tunc ergo facta est immutatio in doctrina. Ita La Luzerne, p. 301 et seq., et t. III, p. 48. « Voici donc, inquit Faivre, *Du Placement d'ar-« gent, etc.*, p. 82, quem approbat Nolhac, *Hist. de la marche des « idées*, p. 64, voici la limite posée entre la doctrine des Pères de « l'Église et celle des scholastiques : la voilà placée entre l'année 1181 « et l'année 1230. Cette date est essentielle, parce qu'il suffit qu'elle « soit trouvée pour qu'on puisse dire aux scholastiques : Votre doctrine « est fausse, parce qu'elle est d'hier. J'avais promis d'en fournir l'ex-« trait de naissance, et je tiens parole. »

R. 1°. Tria ibi spectari possunt : factum ipsum Ivettæ, narratio Hugonis, et ejus animadversio. 1. Factum ipsum Ivettæ nihil probare potest. Esto enim quod ibi agatur de mutuo usurario; quid ex facto singulari concluderetur? Eo minus probat, quod eodem testimonio constet, *ibid.*, n^is 27 et 31, p. 869, quamvis contrarium affirmet La

justitiam, adeo ut usuræ perceptæ restituendæ sint, non ab iis solum qui eas perceperunt, sed et ab eorum hæredibus; adeo ut etiam ille qui juravit se soluturum usuras debeat quidem solvere propter juramenti obligationem, sed ille qui percepit compelli debeat ad eas restituendas. Uno verbo, SS. Pontifices quamlibet usuram damnasse adeo certum est, ut libenter illud fateatur LA LUZERNE, t. III, p. 720. Unde sufficiet quædam afferre testimonia magis expressa et quæ apertius probant usuræ injustitiam.

1°. ALEXANDER III, CAP. *Cum tu*, V, *de Usuris*, V, XIX, ad archiepiscopum Salernitatum sic scribit (an. 1180) :

Luzerne, ipsam *evolutis diebus aliquot intellexisse per aspirantem sibi divinitus gratiam, quod multum et in multis Deum offenderat in via hac qua ambulabat, licet forte in simplicitate minus recta...; unde abominari cœpit hujusmodi commercium...., et Deo in pauperibus restituere quod minus juste metuebat se plerumque ab aliis accepisse, nihil sibi reservare tutum rata, quod alterius et non suum exstitisset.* Dicimus *Esto quod agatur de mutuo usurario*, quia aliter forsan illud explicari posset. Saltem hæc notat BOLLANDUS ad locum allatum, p. 870 : « Si periculi particeps sis, aut id justa æsti-« matione redimas nec aliunde negotiatio illa tuo statui vetita sit, « nullum admittes peccatum; ut pulchre exponit Lessius *de Jure et* « *Justitia*, lib. 2, c. 25, Dub. 3, et passim nostri theologi : licet alii « quidam dissentiant. » Sed huic discrimini non insistimus. 2. Narratio Hugonis de eo quod facere consueverant honesti secundum sæculum viri nihil pariter probat : quis enim nescit quam longe distet honestas sæculi a puritate Evangelii? Cæterum tam multa adducit Hugo ad explicandum et excusandum Ivettæ lapsum, ut satis ostendat vulgo creditum fuisse eam in hoc esse vere lapsam. 3. Tandem ultima animadversio Hugonis, nedum parvi pendenda sit, ut vult La Luzerne, contra attente inspicienda est, cum respiciat etiam factum, de quo non minorem fidem meretur quam circa factum principale. Scilicet exinde deduci potest Lateranensis decreti promulgationem et exsecutionem per episcopos ubique procuratam, detexisse minus observatam antea peccati gravitatem; imo inde colligi datur concilium practico plurimorum errori obviam ivisse, sicque errorem illum, qui et practicus et plurimorum erat, in generali sua condemnatione attigisse. Vid. BALLERINI, l. III, c. II, §. IV, n° 27, p. 119, et l. IV, c. VI, §. II, n° 8, p. 185, 186; BOUYON, *Réfutation*, p. 449, et *Examen*, p. 138 et seq ; LABORDE, *Défense, etc.*, p. 253 et seq.; *Analisi*, p. 195.

« Cum tu manifestos usurarios, juxta decretum nostrum « quod nuper in concilio (Lateranensi III) promulgavi- « mus, communione altaris et ecclesiastica præceperis « sepultura privandos, donec reddant quod tam prave « receperunt, quidam eorum ad excusandas excusationes « in peccatis, impudenter affirmant illas dumtaxat usuras « restituendas, quæ sunt post interdictum nostrum « receptæ.... Respondemus quod, sive ante, sive post inter- « dictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per « pœnam quam statuimus in concilio, eas his a quibus « extorserunt vel eorum hæredibus restituere...., cum « juxta verbum B. Augustini, *Non remittitur peccatum nisi « restituatur ablatum.* » Illud ita est apertum, ut nulla via eludat LA LUZERNE, p. 587, qui ait tantummodo primam restitutionis mentionem occurrere in Gratiano, hic autem occurrere primum præceptum, quod satis mirum est, inquit, ab Alexandro tribui concilio quod de illo non loquitur. Sed contra, ut merito observat BALLERINI, t. 1, l. III, c. II, §. IV, p. 117, potest ex illa responsione deduci, licet in concilio expresse non legatur restitutionis conditio, vi tamen hujus decreti usurarios fuisse ab episcopis ad restitutionem coactos. Et revera cum in concilio præscribatur ut qui oblationes usurariorum receperit eas restituere compellatur, omnino obvium erat ut a fortiori ipsi usurarii ad restitutionem compellerentur, prout advertit, licet alio fine, ipse LA LUZERNE, p. 474, 475. Cæterum ex decreto Alexandri III patet restitutionem impositam fuisse, non per modum pœnæ, sed ex justitia, quum præcipiatur sive ante sive post interdictum: quod adeo verum est, ut in alia responsione, CAP., *Tua nos,* IX, *ibid.*, declaret idem S. Pontifex debitum restituendi transire ad usurariorum filios, et ad extraneos ad quos bona eorum fuerint devoluta, ut etiam agnoscit LA LUZERNE, p. 590.

2°. Non minus aperta est decisio URBANI III, CAP., *Consuluit*, X, *ibid.* (an. 1186) : « Consuluit nos tua devo-« tio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debet « judicari qui non alias mutuo traditurus, eo proposito « mutuam pecuniam credit ut, licet omni conventione « cessante, plus tamen sorte recipiat. Et utrum eodem « reatu criminis involvatur qui.... Verum quia quid in « his casibus tenendum sit ex evangelio Lucæ manifeste « cognoscitur, in quo dicitur : *Date mutuum, nihil inde « sperantes :* hujusmodi homines pro intentione lucri quam « habent (cum omnis usura et superabundantia prohibea-« tur in lege) judicandi sunt male agere, et ad ea quæ « taliter sunt accepta restituenda, in animarum judicio « efficaciter inducendi. »

3°. Citari possent plura decreta Innocentii III, speciatim CAP. *Tuas dudum*, XIII, CAP. *Quia frustra*, XIV, CAP. *Michael*, XVII, in quibus idem statuitur, fatente etiam LA LUZERNE, p. 604 : item CLEMENTIS IV, *ibid.*, p. 626, et aliorum. Uno verbo, ait LA LUZERNE, p. 578 : « Gratien « a enseigné le devoir de restituer les intérêts du prêt : « les SS. Pontifes qui favorisoient son ouvrage ont reçu « son enseignement et l'ont érigé en décret : les Conciles, « d'après les décisions des Papes, en ont fait des canons.» Nihil profecto apertius desiderari potest. Porro, ut ait BOSSUET in fine propositionis III, p. 669, « Personne, « dans l'Église, n'a jamais réclamé contre ces décrets ; au « contraire, on s'y est soumis comme on a toujours fait « aux choses résolues par la tradition, par les Conciles, « même généraux, et par les décrétales des Papes, accep-« tées et autorisées du consentement unanime de toute la « tradition. » Neque, ut mox observavimus, dici potest hic agi tantum de prohibitione lata auctoritate Ecclesiæ : apertum est enim ex testimoniis indicatis prohibitionem usuræ repeti ex jure divino utriusque Testamenti.

Nota. Hic afferri possent multa alia SS. Pontificum testimonia, quibus usuram damnatam declarant aut manifeste supponunt. Talia sunt speciatim ea in quibus statuunt aut pronuntiant de contractu pignoratitio, de censibus, de cambiis, de contractu trino, de montibus pietatis, etc.; vel quibus condemnant varias propositiones de titulis falso adinventis aliquid ultra sortem percipiendi. Sed cum hæc non directe spectent ad quæstionem generalem qualem in præsenti expendimus, satius videtur eorum investigationem remittere ad loca ubi agemus de iis contractibus et titulis: ibi simul expendemus difficultates quæ ad varia illa documenta referuntur.

1142. ARGUMENTUM VI^um^. *Ex Theologis.*

Juxta doctrinam communiter receptam, quam post MELCHIOREM CANUM, *de Locis theologic.*, l. VIII, c. IV, V, exposuit BOSSUET, *Append. ad Defens. Declarat. Cleri Gallic.*, l. II, c. XIV, t. XXXIII, p. 576 et seq., apud ipsummet LA LUZERNE, t. III ab initio, « concordi omnium theologorum « scholæ de fide et moribus sententiæ contradicere, si hæ« resis non est, at hæresi proximum est »: scilicet quando agitur de communi scholæ opinione in re gravi, huic refragari ordinarie temerarium est; si vero agatur non de opinione, sed de decreto firmoque judicio scholæ, ut loquuntur iidem auctores, id est, de eo quod tanquam aliquid vel de fide, vel saltem certo et inconcusse ab omnibus credendum firmiter proponunt, et quando simul inter se consentiunt omnes, tum in ipsa veritate, tum in ejus certitudinis gradu proponendis, longe major adhuc est eorum auctoritas, sive quia impossibile est ut tot viros doctissimos et simul ad sibi invicem contradicendum valde proclives aliud in concordiam adduxerit quam vis veritatis, sive præsertim quia sunt testes irrefragabiles traditionis et doctrinæ in Ecclesia suo tempore receptæ. Porro eo modo propositionem nostram docent theologi.

1°. Hic agitur, non de mera opinione, sed de *scholæ decreto*. Si enim expendantur theologorum assertiones, manifestum erit eos proponere suam doctrinam tanquam ad catholicum dogma pertinentem, aut fidei proximam : sexaginta fere auctorum testimonia collegit Ballerini, t. I, l. II, c. VIII, p. 80 et seq., quibus multo plura addi possent, adeo ut nullum ea de re dubium superesse posse videatur. Objici quidem posset plures loqui tantum modo generali, iisdem verbis utentes quæ ex concilio Viennensi protulimus, ideoque intendere solum quamdam usuram esse peccatum, quod non negant adversarii. Verum evertetur illud effugium, si attendatur ex una parte theologorum assertionem de certitudine suæ doctrinæ referri ad definitionem usuræ quam attulerunt et quæ includit quodcumque lucrum vi mutui perceptum a quocumque; ex altera, multos ex iis theologis qui scripserunt post evulgata systemata Molinæi et aliorum usuræ tantum moderatæ et erga divites patronorum, ea nihilominus tanquam a fide aliena reprobare; si qui autem non ita explicite mentem suam aperiunt, eodem sensu sunt intelligendi, quandoquidem loquuntur pariter modo prorsus generali et absoluto. Ita pariter, quamvis non dicant ad doctrinam Ecclesiæ pertinere quod usura adversetur justitiæ, et non tantum charitati, talis est eorum sensus, cum loquantur de omni usura et erga omnes prohibita : si enim solius charitatis rationem habuissent, ad usuram erga pauperes assertionem suam restringere debuissent, prout, juxta adversarios, restringebant SS. Patres; sed non ita egerunt, nec apud eos occurrunt ea quæ ex SS. Patribus allegantur ab iis qui hanc restrictionem tuentur.

2°. Adest *consensus* theologorum *unanimis*. Illud agnoscunt communiter ipsimet adversarii, qui ideo plerique scholasticos tam vehementer insectantur, ut agnoscat La Luzerne, p. 3, eos ultra metam progressos fuisse. Suffi-

ciat proferre hujus testimonium, p. 255 : « Il est certain « que depuis le treizième siècle on a regardé tout intérêt « perçu en vertu du *mutuum* comme usure; que l'unanimité « des théologiens l'a condamné absolument, sans distinction « d'usure oppressive ou non oppressive; que le nombre des « docteurs catholiques qui ont voulu faire cette distinction « est trop peu considérable pour rompre l'unanimité. » Idem agnoscit, p. 729. Equidem theologi inter se non consentiunt circa varias rationes quas afferunt. Sed illa diversitas, nedum eorum elevet auctoritatem, contra magis eam corroborat : tum quia ostendit eos non absque maturo examine in eam venisse sententiam; tum præsertim quia, ut observat ARNAULD, Epistola ea de re an. 1673 scripta ad card. LE CAMUS, *Lettres*, t. III, Ep. CLIV, p. 11, quam citat BALLERINI, t. I, p. 78, exinde agnoscimus eos non præcise inductos fuisse in hanc sententiam per illas rationes, sed contra recurrisse ad illas rationes quia jam erant in ea sententia, quam a Patribus acceperant, sicque per eos nobis innotescit Ecclesiæ doctrina. Ergo ex consensu theologorum adstruitur nostra assertio.

Neque eorum auctoritas sub eo prætextu elevari potest quod a doctrina SS. Patrum recesserint, ut fuse contendit LA LUZERNE, p. 35 et seq. Non solum enim illud falsum esse deducitur ex jam dictis, imo est ex dicendis impossibile; sed hic stando tantum theologorum auctoritati, contendimus nullatenus admitti posse hujusmodi evasionem. Eisdem enim rationibus quibus ostenditur theologos non posse errare, ostenditur eos a doctrina SS. Patrum non posse recedere : igitur quamvis verissimum sit theologorum assertiones non posse prævalere SS. Patribus, non magis audiendi sunt qui illud obtendunt, quam qui contenderet Scripturæ vel rationi adversari eosdem theologos, vel etiam ipsos SS. Patres; non magis quam Protestantes quando jactant decisiones Ecclesiæ verbo Dei contradicere : æque

vitiosa est eorum omnium methodus, posito tamen vario auctoritatis et certitudinis gradu, seu discrimine quod intercedit inter auctoritatem Ecclesiæ et auctoritatem theologorum.

§. 2. *De prohibitione usuræ ex jure naturali.*

1143. Quamvis prorsus sufficiat dispositio juris divini circa usuram, operæ tamen pretium erit investigare quid de ea sentiendum sit attento jure naturali; utrum nempe prohibitio quam hactenus asseruimus habenda sit ut manifestatio et confirmatio legis naturalis, an vero ut voluntatis Dei liberæ et mere positivæ simplex significatio. Ut autem illud accurate præstemus, quædam prænotanda sunt.

I. Etiamsi usura non esset legi naturali essentialiter opposita, Deus potuisset eam absolute prohibere: nihil enim vetat quin addat præcepta positiva legi naturali. Multa sunt scilicet æquitati naturali minus quidem consentanea, quæ tamen in omni prorsus casu omnino lege naturali prohiberi non ita constat, et quæ Deum absolute nihilominus prohibuisse certum est: sic matrimonii dissolutionem, polygamiam, etc., in quavis prorsus circumstantia juri naturali adversari non ita certum est, aut saltem non ita facile demonstratur; et tamen Christus ea absolute prohibuit: alia quædam afferri possent exempla. Porro usuram esse unum ex iis quæ, licet juri naturali absolute et in omni casu non repugnantia, potuissent a Deo prohiberi, imo aliquatenus debuissent, multipliciter ostendi potest. 1°. Ex confessione ipsorummet adversariorum, quorum multi agnoscunt periculosissimam esse usuram, et eo modo explicant cur SS. Doctores adeo frequenter et tanta cum vehementia eam insectati fuerint. 2°. Ex œconomia variarum legum humanarum quibus permissa aut tolerata fuit usura: in plerisque, tot et tantis

cautionibus opus fuit et restrictionibus, ut exinde intelligatur quam difficile existimatum sit varia removere incommoda quæ, ea admissa, sponte fluere consueverunt. Id pro legibus Romanis evolvit Ballerini, l. v, c. III, §. III, nº 15 et seq., t. I, p. 204 et seq. 3°. Ex ratione. Certe qui indolem hominum et experientiam consuluerit, agnoscet, 1. valde timendum esse ne usura fiat oppressiva: tum quia non ita apertum est quandonam fœnus sit immodicum; tum quia ut in praxi discernantur pauperes a divitibus occurrunt satis graves difficultates, sive ex parte mutuantium, qui sibi in res alienas curiosius inquirendum non putant, sive ex parte eorum qui petunt mutuum, qui sæpe, ne repellantur, paupertatem suam fateri verebuntur. 2. Agnoscet usuram esse bono animarum spirituali valde perniciosam, cum nihil magis aptum sit ad fovendam cupiditatem, quæ juxta Scripturam est radix omnium malorum. 3. Agnoscet sæpissime usuram multa afferre nocumenta societati : tum ex parte dantis ad usuram, qui cum ea via lucrum absque ullo labore et industria obtineat, exinde removetur a multis suscipiendis quæ ad bonum publicum valde conferrent; tum ex parte accipientis, qui sæpe, ut constat experientia, currente sensim usura in eam necessitatem conjicitur ut bona sua distrahat, et quidem viliori pretio, et sic ad indigentiam redigitur; si vero sit negotiator, ex mutui facilitate allicitur ad temeraria commercia ineunda, quasi ad aleam ludit, et exinde oriuntur frequentes adeo decoctiones, non solum ipsis negotiatoribus, sed toti societati tam perniciosæ. Hæc quæ breviter tantum indicare possumus, accurate et fusius exposita occurrent ap. Ballerini, l. v, c. VI, p. 232-243.

Ex his concludi potest, quidquid sentiatur de absoluta usuræ prohibitione ex jure naturali, non solum justam esse et Deo dignam legem quæ eam prohibuit, sed nec

haberi posse ut manifestationem voluntatis Dei mere positivæ, qualis erat prohibitio de comedendo fructu ligni scientiæ boni et mali in paradiso. Unde dici potest usuram esse, ut loquuntur theologi, prohibitam quia malam, et non tantum malam quia prohibitam, etiam ab iis qui propugnarent prohibitionem legis divinæ aliquatenus extendi ultra prohibitionem legis naturalis.

1144. II. De jure naturali in rebus moralibus duplici via agere possumus : vel ex revelatione seu auctoritate Ecclesiæ, quatenus revelatum vel auctoritate Ecclesiæ definitum sit aliquid esse jure naturali præceptum vel prohibitum, vel ex solo rationis lumine. Porro priorem methodum in præsenti quæstione longe anteponendam esse nemo vere catholicus inficiari potest. Nam 1°. constat præcepta naturalia quæ respiciunt morum informationem fuisse a Deo promulgata et revelata. Nec minus certum est Ecclesiæ auctoritatem collatam fuisse ad illa fidelibus proponenda et explicanda, sicut ipsa dogmata speculativa; eaque attingit ipsius infallibilitas, quemadmodum alibi demonstratur. Hinc Ecclesia semper intellexit sibi curam incumbere ut proscriberet errores circa doctrinam morum emergentes, sive respicerent jus divinum, sive jus naturale : suo jure usa est multis in circumstantiis. Vid. Ballerini, l. v, c. i, §. iii, p. 192 et seq. 2°. Nemo nescit rationem esse adeo in rebus moralibus ignorantiæ tenebris involutam, et majoribus adhuc cupiditatum præjudiciis impeditam, ut qui eam solam ducem sequi velit prolabatur quasi necessario in nefandissimos errores. « Si l'on se « met à raisonner sur la doctrine des mœurs, ait Bossuet, « vi^e^ *Avert. aux Protest.*, part. iii, n° 114, t. xxii, « p. 348, sur les inimitiés, sur *les usures*, sur la morti- « fication, sur le mensonge, sur la chasteté, sur les ma- « riages, avec ce principe qu'il faut réduire l'Écriture « sainte à la droite raison, où n'ira-t-on pas? N'a-t-on

« pas vu la polygamie enseignée par les Protestants, et en « spéculation et en pratique? Et ne sera-t-il pas aussi « facile de persuader aux hommes que Dieu n'a pas voulu « porter leurs obligations au delà des règles du bon sens, « que de leur persuader qu'il n'a pas voulu porter leur « croyance au delà du bon raisonnement? Mais quand on « en sera là, que sera-ce que ce bon sens dans les mœurs, « sinon ce qu'a déjà été ce bon raisonnement dans la « croyance, c'est-à-dire, ce qu'il plaira à un chacun? » Et revera cur non pauci theologi docuerunt propositiones in materia morum adeo laxas, et deinceps ab Ecclesia proscriptas, nisi propter *summam luxuriantium ingeniorum licentiam, per quam modus opinandi irrepsit omnino alienus ab evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina*, ut loquitur ALEXANDER VII in decreto 24 sept. 1665; uno verbo, quia propriis ratiocinationibus potius quam traditioni confidere maluerunt? 3°. Multi ex adversariis redarguunt theologos scholasticos quod doctrinæ Aristotelis nimium dediti, et meris subtilitatibus nimium indulgentes, recesserint a doctrina Patrum, et ideo in multos errores prolapsi sint : jam vero nonne ipsi eadem reprehensione digni erunt, si velint in præsenti quæstione rationi potissimum confidere?

Hinc intelligi potest aliud esse quod usura sit opposita juri naturali, aliud quod hæc oppositio aperta sit et obvia. Quamvis non intendamus hic agnoscendum esse veluti quoddam mysterium rationi impervium, facile concipitur dari posse casus in quibus non statim appareat hæc oppositio, quin ideo concludendum sit eam pro generalitate casuum non existere. Reipsa non desunt auctores qui agnoverunt difficile ex sola ratione ostendi usuræ injustitiam, quam tamen admiserunt, ut modo dicemus.

1145. His prænotatis, utrum usura, sive lucrum ex mutuo consumptionis perceptum, sit ex naturali jure in-

justum, duplici via investigabimus : ex auctoritate, et ex rationum discussione.

I°. Expenditur EX AUCTORITATE, *an usura juri naturali adversetur.*— Dubium non videtur quin in gratiam sententiæ affirmantis gravissimum ex multiplici auctoritate exsurgat argumentum. Argumentari possumus 1°. ex Scriptura Sacra. Jam ostendimus (n° 1128) eam fuisse legis veteris mentem ut usuram reprobaret tanquam in se malam. Ostendimus pariter legem illam fuisse a Christo confirmatam et apud christianos vigere : cum igitur communiter teneatur in Ecclesia Christum e veteri lege ea sola confirmasse præcepta quæ pertinent ad legem naturalem, assertio nostra est analogiæ fidei prorsus consentanea. 2°. Ex SS. Patribus. Docuerunt usuram esse injustam eo quod plus accipiatur quam datum est, et esse furtum septimo Decalogi præcepto prohibitum; eam impugnaverunt ex ratione naturali, v. g., ex sterilitate pecuniæ, et ex aliis argumentis : quæ omnia indicant ipsis visam fuisse jure naturali prohibitam. 3°. Ex Summis Pontificibus. Citare sufficiat GREGORIUM XIII, qui illud expresse asserit in Responsione ad ducem Bavariæ, de qua postea dicemus, ubi *de Titulo Legis,* et quæ interim videri potest apud BALLERINI, t. 1, p. 322, vel PAGÈS, t. 1, p. 140; et BENEDICTUM XIV, qui illud satis aperte supponit in sua Encyclica, §. 3, n° 11, asserens usuram adversari æqualitati quæ in mutuo intercedere debet. 4°. Ex theologis, quorum concordem ea de re sententiam testatur idem BENEDICTUS XIV, *de Synodo,* n° 2, *loc. cit.*: illudque satis libenter agnoscunt adversarii, cum ipsis tam frequenter exprobrent quod doctrinam Aristotelis secuti fuerint. Nonnulli quidem theologi citantur in contrarium, quorum testimonia profert LA LUZERNE, t. 1, p. 1 et seq. : sed paucissimi ita expresse sentiunt; plerique ex ipsis observant tantum, non ita facile solo rationis lumine ostendi posse usuram in omni casu juri

naturali adversari : quod libenter agnoscent omnes absque ullo causæ suæ detrimento. 5°. A theologis non dissentiebant olim apud nos celebriores jurisperiti : citari possunt DOMAT, POTHIER, D'AGUESSEAU, ut jam indicavimus (n° 1117). Nemo est qui statim non perspiciat quanti ponderis esse debeant variæ illæ auctoritates.

1146. II°. Expenditur EX RATIONE, *an usura juri naturali adversetur.* — Afferemus primum argumenta quibus communiter nituntur theologi; deinde nonnulla dicemus de difficultatibus quæ his opponuntur.

Ut intelligantur argumenta quibus vulgo adstruunt theologi usuram juri naturali repugnare, indicanda sunt quædam principia quæ in antecessum statuunt aut præsupponunt : tria sunt præcipua.

I^um^ PRINCIPIUM : *In mutuo consumptionis vere transfertur dominium rei mutuatæ.* Illud constat, ut jam diximus, non solum ex auctoritate juris tum Romani, tum Gallici, et consensu omnium theologorum et jurisperitorum, etiam eorum qui usuram jure naturali licitam contendunt, sed ex ipsa mutui notione. Attamen illud negaverunt auctores recentiores qui lucrum ex mutuo negotiationis defendendum susceperunt, LA LUZERNE, t. I, p. 134 et seq., et MASTROFINI, n° 285 et seq., quamvis asserant illud necessarium non esse ad causæ suæ patrocinium : prior profert denuo argumenta quæ attulerat BROEDERSEN, col. 187 et seq., et post eum MAFFEI, p. 201 et seq.; posterior nova quædam protulisse sibi videtur, sed quæ sub quorumdam scientificorum terminorum apparatu in idem recidunt. Dum illi distinguunt inter rem ipsam et illius valorem, hic distinguit inter *individuum ontologicum*, et *individuum valoris* : scilicet duo objecta numerice distincta, sed ejusdem valoris, v. g., duo nummi, vocantur individua valoris; dum objectum spectatum diverso tempore, si sit, non solum ejusdem valoris, sed numerice idem,

vocatur individuum ontologicum. Quo posito, contendit in mutuo non transferri dominium, quia verum objectum mutui est individuum valoris; hujus autem dominium remanet penes mutuantem, cui restituendum erit, non quidem idem individuum ontologicum, sed idem individuum valoris. — Verum quid aliud his includitur, nisi quod restituatur non eadem res numerice, sed idem valor, seu res ejusdem valoris? Igitur ut paucis adstruatur principium allatum, sufficit advertere duo in mutuo attendi posse, rem ipsam seu speciem physicam, et illius valorem.

1°. Si agatur de specie physica, seu de individuo ontologico, si ita loqui velint, nullum dubium videtur moveri posse de dominii illius translatione in mutuatarium : tum quia ex omnium confesso, quidquid in contrarium dicat La Luzerne, t. I, p. 146, perit pro mutuatario tantum, qui proinde est dominus; tum quia non tenetur eamdem rem reddere, sed alteram similem, unde rei mutuatæ dominium potest alteri transferre proprio nomine et proprio jure, vel eam omnino consumere ita ut dominium apud neminem subsistat, ac proinde necessario requiritur ut ipse illud habeat.

2°. Si agatur de valore rei mutuatæ, vel consideratur quatenus speciei physicæ inhæret, diciturque individuum valoris; et tunc ad mutuatarium transiit quemadmodum et ipsa species, siquidem speciem alienando vel consumendo profecto valorem illum alienat vel consumit : vel consideratur independenter a specie physica, seu abstractive tantum, et tunc, nisi subvertantur omnes dominii notiones, dici non potest illius valoris dominium remanere apud mutuantem, cum valor in abstracto non sit capax dominii, quod necessario exigit aliquid realiter existens et determinatum. Dominium enim seu jus in re dat actionem realem, seu facultatem rem physice apprehendendi ubicumque sit. Porro quomodo exerceri posset talis facultas circa merum valorem? Apprehendi non poterunt species monetæ tra-

ditæ, quæ ex dictis pertinent ad mutuatarium; neque etiam merces quas acquisierit per alienationem monetæ, quas ad mutuantem pertinere nemo dixerit. Ergo mutuans habet tantum jus ad rem, nempe ad illum valorem : potest quidem de illo jure pro nutu suo disponere, seu illud alteri transferre; sed inde non sequitur eum valoris dominium habere, nisi confundatur dominium cum jure ad rem, quod non solum omnia principia juris evertere, sed et ipsi rationi repugnare alibi ostendimus (*de Justitia*, n° 12). Ergo nullo sensu dici potest mutuantem servare dominium rei mutuatæ. Quod ostendi potest etiam a posteriori : si mutuatarius fiat debitis solvendis impar, mutuans non præfertur cæteris creditoribus; et tamen præferri deberet, si servasset dominium rei mutuatæ, quia *Res clamat domino*. Qui voluerit fusiorem discussionem assertionum Mastrofini, adeat *Analysim* Neapoli vulgatam, l. II, c. V et VI, p. 248 et seq., et facile assentietur auctori pronuntianti in ratiociniis illius plus esse subtilitatis sophisticæ, quam soliditatis vere philosophicæ.

1147. II^um^ PRINCIPIUM : *In rebus primo usu consumptibilibus*, qualis est pecunia, *usus non potest separari a dominio*, neque dominium æstimari potest separatim ab usu. Hic non loquimur de mero usu *facti*, qui nihil aliud est quam usus precarius et revocabilis; sed de usu qui dicitur *juris*, id est, de usu independenti et irrevocabili, qualis competit mutuatario. Priorem quidem posse aliquo sensu a dominio separari, colligi potest ex decisionibus SS. Pontificum circa dominium religiosorum et exemplo convivæ ad cœnam invitati, ut expositum est in Tr. *de Justitia* (n° 657) : posteriorem vero a dominio non posse separari *ibidem* ostendimus ex notione utriusque, et satis constat ex eo quod rerum hujusmodi usus eas prorsus consumat, sicque tollat dominium, quod proinde necessario competere debet utenti. Ex altera parte, satis evidens est totum

pretium hujusmodi rerum desumi ab usu ; quis enim alicujus pretii dominium æstimaret, si nullam facultatem utendi haberet? Hæc sunt ita aperta et apud omnes inconcussa, ut ea eludere non possit LA LUZERNE, t. I, p. 158, nisi relinquendo mutuanti dominium valoris in genere, quod ait separari posse ab usu. Sed jam vidimus hujusmodi dominium esse prorsus chimericum, et omnibus notionibus hactenus apud omnes receptis omnino repugnare. MASTROFINI autem, n° 202 et seq., contendit pecuniam non esse primo usu consumptibilem, quia substituitur tantum mercibus quæ cum illa acquiruntur et quæ illi pariter substituuntur : substitutio autem non est consumptio. Sed verum semper remanet pecuniæ usum unico actu exhauriri; qui enim semel ea usus est jam amplius usum ejus non habet : unde non consumitur quidem in se seu physice, sed consumitur quoad utentem, seu, ut loquuntur jurisperiti, *utenti perit.* Quod sic expressit S. THOMAS, 2-2, q. LXXVIII, art. I : « Proprius et principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio sive distractio « secundum quod in commutationes expenditur. » Vid. *Analisi*, p. 226 et seq., et quæ divimus *de Justitia*, n° 41. Addi potest hæc esse magis adhuc aperta, quando agitur, ut in præsenti loco, de mutuo consumptionis simpliciter et quatenus distinguitur ab eo quod vocant incrementi seu negotiationis, de quo postea.

1148. III^um^ PRINCIPIUM theologorum : *Pecunia habenda est ut aliquid sterile*, non solum physice, quod omnes agnoscunt, sed moraliter seu in eo sensu quod lucrum mediante pecunia perceptum reponendum sit inter fructus mere industriales. Necessarium non videretur illud principium quando agitur tantum de mutuo consumptionis, quando nempe pecunia adhibetur ad acquirendam rem statim consumendam. Sed modo generali illud statuunt theologi, et sic explicant. Undenam oritur lucrum me-

diante pecunia perceptum? Mutuatarius pecuniam suam distrahit, merces, v. g., comparando; nondum ditior evasit, cum non receperit nisi æquivalens illius quod ipse tradidit : postea easdem vendit majori pretio; inde lucrum; sed illud tribui debet ipsius industriæ, vel faustis circumstantiis, non vero pecuniæ jam longe antea distractæ. Igitur pecunia est quidem veluti instrumentum quo lucrum comparatur, conditio sine qua non acquireretur, indeque suam æstimationem recipit; sed non potest haberi ut illius causa : unde facile percipitur diverso prorsus modo lucrum exinde percipi ac fructus, v. g., percipiuntur ex agro. Idem dicendum si cum pecunia ematur res frugifera; lucrum ex illa re oritur, non ex pecunia. Hinc, ut mox evolvemus, fur qui ex pecunia aliena lucrum percepit a nemine obligatur ad illud restituendum, sed tantum ad compensandum damnum domino illatum.

1149. His principiis positis, sic argumentantur theologi quorum sententiam exponimus. Injustum est lucrum ex mutuo consumptionis perceptum, si mutuum nullum includat titulum vi cujus amplius percipiatur quam datum est : atqui revera nullum titulum includit mutuum consumptionis. Tria enim possunt attendi : ipsa res mutuata, mutuans, et mutuatarius : atqui nulla ex parte adest titulus.

1°. *Non ex parte rei mutuatæ.* Ut enim æqualitati satisfiat, sufficit ut reddatur eadem quantitas quæ accepta fuit. Illud per se satis intelligitur : si quod adsit discrimen inter sortem mutuatam et sortem redditam, non nisi ex parte mutuantis aut mutuatarii oriri potest.

2°. *Non ex parte mutuantis.* Supponitur enim nec lucrum cessans adesse, nec damnum emergens, nec periculum probabile : atqui his seclusis, nullus mutuanti titulus remanet. Si quis enim superesset, sane absentia rei mutuatæ seu pecuniæ, vel aliis verbis privatio juris re sua utendi per tempus mutui : atqui ille titulus non sufficit ad

lucrum percipiendum. 1. Cum agatur de re primo usu consumptibili, seu circa quam facultas utendi exhauritur per unum actum, ad id reducitur privatio mutuantis ut re non utatur nisi post elapsum terminum mutui, dum sine mutuo ea uti potuisset antea. Porro talis facultas in eo qui supponitur vel ea usurus non fuisse, vel nullum damnum pati ex eo quod ea usus non fuerit, non est pretio æstimabilis. 2. Mutuans transferendo dominium rei suæ in mutuatarium acquirit jus ad rem similem postea recipiendam. Porro jus illud, si supponatur omnino certum, seu non dubiæ nec difficilis solutionis, omnino æquivalet dominio rei : eo magis quod ex una parte pericula quibus res exponi potest jam rejiciuntur in mutuatarium; et ex altera, potest mutuans jure suo seu credito multipliciter uti, v. g., dando in pignus, imo etiam aliquando in solutionem sicuti rem ipsam, cum aliquando chirographa omnino secura et ad terminum non nimis remotum, a mercatoribus recipiantur tanquam pecunia præsens. 3. Per restitutionem rei debitæ omnino reducitur æqualitas; cum enim supponatur mutuans rem suam fuisse servaturus, in eodem præcise statu reponitur in quo versaretur si mutuum non fuisset factum. Dici quidem potest semper verum remanere quod interim re sua caruerit. Sed præter ea quæ modo diximus, addi potest hanc jacturam non cadere sub æstimationem, quia res hodie reddita aut data cum facultate ea utendi semper, non minoris valet quam res ab anno jam data cum eadem facultate, ut patet in venditione et aliis contractibus. Ita satis subtiliter DE LUGO, D. XXV, n° 21 et seq., et post eum BILLUART, p. 249; COLLET, n° 125, p. 281.

3°. *Non ex parte mutuatarii.* De tribus enim potest moveri quæstio : illi præstatur beneficium, quod supponi potest indebitum; illi conceditur usus pecuniæ; exinde utilitatem et lucrum sæpe percipit. Porro nulla ex his

rationibus fundari potest titulus lucrum percipiendi. 1. Non eo quod præstetur *beneficium indebitum*. Quando enim in beneficio præstando nec labor, nec periculum reperitur, non potest pro eo lucrum exigi. Nemo quidem extra contractum tenetur ex justitia convertere actus suos in utilitatem alterius. Attamen sunt quædam officia quæ gratuito præstanda esse dictat ipsa ratio, ut evolvit DOMAT : ea nempe quæ, ut ait CICERO, *de Officiis*, l. I, c. XVI, *Sunt iis utilia qui accipiunt, danti non molesta*, qualia sunt *erranti viam monstrare, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare*, etc. : sunt enim hæc quasi vinculum societatis, quæ conficitur ex beneficiis ultro citroque datis et acceptis, ut loquitur idem philosophus, c. XVII. Id agnoverunt ipsi ethnici, et fatentur ii qui de jure naturali disseruerunt, etiam usuræ patroni. Vid. PUFFENDORF, *Dr. de la Nat. et des Gens*, l. III, c. III, §. III, ubi non solum Ciceronis, sed et plura aliorum auctorum proferuntur testimonia. Porro supponitur beneficium de quo hic agitur nec laborem requirere, nec damnum aut periculum inducere pro mutuante. Ergo beneficium hujusmodi æstimari nequit, et ex solo humanitatis, a fortiori christianæ charitatis sensu gratis exhibendum est. 2. Non propter concessum *usum pecuniæ*. Nam ille usus non potest æstimari seorsim a dominio, cum non possit, ex dictis, sejungi a dominio, et dominium non æstimetur nisi propter usum. Jam vero dominium rei, pariter ex dictis, non pluris valet quam obligatio rem similem reddendi. Ergo nihil potest ultra exigi pro usu, et dicendum est in restitutione sortis includi solutionem ipsius usus. Hinc intelligitur ratio S. THOMÆ, 2-2, q. LXXVIII, art. 1, qui ait usurarium vel vendere quod suum non est, vel bis vendere idem : vendit quod suum non est, si vendat usum concesso jam dominio; vendit bis idem, si velit exigere separatim pretium pro dominio rei, et pro illius usu. Hinc agnoscit

ipse La Placette, c. xix, p. 159-161, non posse auctuarium exigi ex mutuo dato in consumptionis usum, et sibi videtur illud demonstrare hac ratione, quod nihil possit exigi pro usu rei mutuatæ. Duo enim obstant. Prius est quod res semel consumpta nullum amplius usum habeat : qui enim rem consumpsit, eam nullo modo habet; ergo non potest ea uti : ergo nihil exigi potest pro tali usu, et injustum est pactum quo se obligavit ad solvendum pro eo auctuarium : quemadmodum in locatione, si conductor non potest re frui, v. g., quia res periit, aut propter aliam causam, jam non debetur pretium locationis (vid. dicta nis 438, 769, 780). Posterius est, quod ad exigendum pretium pro usu rei necesse foret ut mutuans sibi reservasset hujus dominium : qui enim amisit dominium non potest exigere pretium usus; v. g., si postquam locavi meum equum, et antequam mihi reddatur, illum vendam, vel alicui donem, jam non habeo jus ad pretium locationis : porro mutuans non potest sibi reservare dominium rei quam concedit in usum consumptionis, sed illud dominium transit in mutuatarium, et re consumpta extinguitur. Ergo, etc. Addi potest pretium quod exigeretur pro usu rei quæ per primum usum consumitur, non debere esse proportionatum tempori. Ex his deducitur mutuum haberi non posse tanquam locationem pecuniæ, et merito rejectam fuisse opinionem Salmasii, prout jam retulimus (nis 1113 et 1030). 3. Non propter *utilitatem* vel *lucrum* quod percipit mutuatarius. Vel enim intelligitur utilitas quam habet res mutuata in se et quoad omnes, vel utilitas peculiaris respectu mutuatarii. Si prius, cum pretium rei exinde desumatur, cum speciatim ubi agitur de pecunia præcipua illius æstimatio repetenda sit ex eo quod variis usibus utilissime impendi possit, illa utilitas non potest æstimari seorsim ab ipsa re, ac proinde æqualitati satisfit per restitutionem sortis. Si posterius, certissimum videtur

exinde non posse lucrum percipi : tum quia pretia rerum non sunt æstimanda ex utilitate peculiari quam ex iis percipere potest qui eas sibi comparat, ut agnoscit ipse LA LUZERNE, p. 126, 127, et satis manifestum est ex eo quod ab omnibus haberetur ut injustus qui carius venderet, v. g., instrumentum opifici quia exinde maximum lucrum obtinebit; tum quia utilitas illa non percipitur ex ipsa re, sed illa tantum mediante, ex circumstantiis mutuatario peculiaribus; tum denique quia mutuans nullum jus habet ad lucrum quod percipere potest mutuatarius ex re quæ per mutuum sibi propria facta est. Ergo, etc.

1150. *Confirmatur* tota illa argumentatio, et præsertim quoad duas ultimas assertiones quæ confutant titulos quibus maxime insistunt plerique ex adversariis. Si fur pecuniam alienam surripuerit, sive ex illa lucratus sit, sive non, non obligatur nisi ad restituendam summam ablatam, et ad compensanda damna quæ passus est dominus, non autem ad restituendos aliquos fructus, seu aliquod lucrum : hanc regulam tradunt quotquot de jure naturali scripserunt, etiam inter adversarios; hanc omnes theologi et jurisperiti, apud quos receptum est hoc axioma : *Nummus ex nummo furtivo non est furtivus*. Ait quidem MASTROFINI, n° 403, deberi restitutionem pro usu pecuniæ, et soli consuetudini seu indulgentiæ creditoris tribuendum esse quod non exigatur : sed, ut advertit auctor *Analysis*, p. 332, non potest contra unanimem theologorum sententiam prævalere nuda ejus assertio, nulli auctoritati innixa, et solummodo deducta ex ejus principio quod in controversiam venit. Porro exinde constat nihil deberi pro usu rei mutuatæ, et pro utilitate exinde percepta : sane enim non debet melior esse conditio furis quam mutuatarii, ac proinde si hi tituli quoad mutuatarium valerent, admittendi essent etiam quoad furem; conventio enim quam init mutuans cum mutuatario, non

vero cum fure, titulum non efformat, sed supponit. Ita Ballerini, existimans hac decisione et exemplo totam de usuræ injustitia controversiam definiri posse; l. v, c. v, §. v, p. 229 et seq.[1]

1151. Huic communi theologorum argumentationi varia opposuerunt plures auctores Protestantes, non pauci jurisperiti præsertim recentiores, et quidam theologi catholici. Hæc breviter indicabimus.

1°. *Ex ipsa natura mutui.* Mutuum sine auctuario est beneficium mutuatario collatum : ita agnoscunt omnes, qui, post mutuum datum, sibi conscii sunt de præstito opere misericordiæ ; ita et ipsi theologi, qui mutuum reponunt inter contractus gratuitos. Cur autem est beneficium? Profecto quia mutuans confert mutuatario aliquid indebitum et cujus ipse æquivalens non recipit : unde immerito supponitur in mutuo gratuito adesse æqualitatem inter datum et receptum ; nec satis sibi constant theologi, quando in contractu quem vocant gratuitum loquuntur de æqualitate, quæ contractibus onerosis propria est. Illud indebitum nil aliud est quam facultas re mutuata statim aut quando libuerit utendi, et rem similem non reddendi nisi post tempus conventum : illam facultatem abdicat mutuans, et confert in mutuatarium. Porro illa facultas est aliquid pretio æstimabile : imo ex ea desumitur pretium seu rerum valor, qui nullus esset, si hæc facultas in perpetuum abesset. Æstimatur profecto a mutuatario, qui ex ea fructum ma-

[1] Exinde probant etiam plures auctores nihil posse a mutuante exigi pro absentia pecuniæ. Ea tamen ratio difficultatem pati potest, præsertim in opinione eorum qui tenent aliquid percipi posse propter periculum extraordinarium sortis, ratione cujus tamen fur ad nihil restituendum obligatur : ideo diximus confirmari *Præsertim duas ultimas assertiones*, nempe quoad usum pecuniæ, et quoad lucrum mutuatarii. Cæterum ubi agemus *de Periculo sortis*, videbimus (n° 1186) utrum et quare de periculo aliter ratiocinandum sit quoad furem ac quoad mutuatarium.

jorem minoremve percipiet; æstimari potest ab ipso mutuante, qui ea interim carens majus minusve incommodum exinde patitur. Ergo potest aliquid pro tali concessione exigere : nedum exigendo lædat æqualitatem, potius eam restituit; si enim post annum nonnisi sortem recipiat, nullam habebit compensationem pro facultate utendi qua ipse caruit, et quam contulit mutuatario. Et revera, juxta multos theologos, obligatio mutuandi in posterum est onus pretio æstimabile, adeo ut mutuans qui illud mutuatario imponit reus sit usuræ : ergo saltem a pari æstimabilis est obligatio pecunia carendi, seu eam non repetendi usque ad certum tempus.

Aliis verbis, mutuans confert mutuatario *jus in re*, seu dominium cum plena facultate utendi : ipse vero retinet tantum seu acquirit *jus ad rem*, sejunctum a facultate interim utendi. Porro dominium conjunctum cum facultate statim utendi pluris valet quam ab ea sejunctum, a fortiori quam jus ad rem nonnisi post certum tempus recipiendam : ex axiomate enim juris, *Minus solvit qui tardius solvit;* et ita apprehendunt omnes, qui certe ditiorem æstimant eum qui ex legato recipit pinguis hæreditatis pecuniariæ plenum dominium, quam si recipiat tantum hujus dominium directum seu nudam proprietatem, fruitione alteri legata. Ergo si mutuans nullum exigat auctuarium, veram donationem præstat, nempe usus rei, et ideo est beneficus : si vero exigat auctuarium, non donat, sed vendit eum usum; nec ideo iniquus est, aut bis idem vendit, ut dicunt theologi : nec ullo modo æquiparandus est mercatori qui præter pretium rei venditæ aliud exigeret pro facultate ea utendi; nam in venditione pretium æquivalet dominio pleno, dum in mutuo restitutio sortis non compensabit quidquid mutuans contulit mutuatario, si nihil addatur pro usu rei.

1152. — 2°. *Ex comparatione mutui cum commodato,*

locatione, usufructu, etc. Mutuum et commodatum differunt tantum ex diversa objecti utriusque natura, ex qua efficitur ut mutuatarius sit debitor rei indeterminatæ, commodatarius vero rei determinatæ, sicque commodans servet rei traditæ dominium, non vero mutuans. Porro illud discrimen non sufficit ut dicatur non posse in mutuo obtineri aliquod auctuarium per ejus conversionem in alterum contractum, quemadmodum obtinetur in commodato quando vertitur in locationem. Nam mutuatarius, quemadmodum commodatarius, gaudet favore gratuito; imo aliquo sensu majori : si enim, v. g., a Petro summam pecuniæ receperim ad ostentationem, et postea ille mihi concedat facultatem eam ad proprios usus adhibendi, quis dicat per hanc novam concessionem minui favorem? Et tamen aderat primo commodatum, et postea fit mutuum juxta theologos. Cur ergo licitum erit Petro in prima hypothesi convertere commodatum in locationem exigendo pretium; illicitum vero convertere mutuum in alium contractum, qui pariter det jus ad auctuarium, et qui non erit quidem locatio proprie dicta, sed erit vere mutuum onerosum, sive illud cum Romanis nomine *fœnoris* designemus, sive dicamus esse contractum innominatum? 1. An quia in commodato conceditur usus rei successivus et continuus, dum vero in mutuo est tantum unius momenti? Sed si bene attendamus, etiam in mutuo usus concessus a mutuante haberi potest ut successivus. Si enim agatur de summa pecuniæ in negotiationem adhibita, usus seu facultas lucrandi vere perdurat; distrahitur quidem pecunia, sed quæ exinde acquiruntur eam repræsentant; unde effectus manet. Etiam extra casum negotiationis, non minus continuus dici potest favor : mutuans enim qui non repetit restitutionem rei debitæ censetur quotidie de novo concedere, quemadmodum ille qui elapso termino inducias tribuit. Et revera mutuatarius utendo

re mutuata parcit propriis rebus, seu servat res suas frugiferas, quas alioquin vendere cogeretur, et quas reipsa vendere cogetur, si, adveniente termino mutui, aliunde non acceperit unde mutuanti restituat; interim rebus illis fruitur, præcise quia potuit uti re mutuata nec obligatur ad statim restituendum : ergo jus utendi pecunia omnino æquivalet juri fruendi rebus frugiferis. Existit quædam veluti solidaritas inter diversi generis bona, utpote quæ possint alia in locum aliorum subrogari : unde ea quæ vocantur primo usu consumptibilia sunt etiam suo sensu frugifera. Uno verbo, jus ad usum rei etiam primo usu consumptibilis valorem identicum habet cum jure ad usum rei frugiferæ. Ergo ex ea parte non explicatur cur adesset titulus lucri in casu commodati, non vero in casu mutui. 2. An propter periculum rei quod subit commodans, non vero mutuans? Sed non vetatur commodans obtinere ut res sibi a commodatario assecuretur; quo posito, minui quidem debebit pretium locationis, si locare velit, sed nihilominus pretium quoddam poterit exigere ex omnium confesso. Insuper periculum commodantis circa interitum rei abunde compensatur per periculum mutuantis circa insolvabilitatem aut infidelitatem mutuatarii. 3. An quia commodans exigit pretium pro usu rei semper suæ, mutuans vero exigeret pro usu rei jam non suæ, sed mutuatarii propriæ? Sed quid refert an Petrus exigat pretium pro usu rei propriæ, an alienæ, si concessio rei alienæ non minus pendeat ab ejus voluntate? Porro, ut dictum est, mutuans qui posset quotidie rem sibi debitam repetere, censetur quotidie ejus usum concedere. Ergo nulla est ratio cur, dum commodatum verti potest in locationem, mutuum verti non possit in contractum onerosum, qui non erit stricte locatio in sensu juris, sed qui ultimate in praxi eumdem scopum seu effectum habebit, ut ait TROPLONG, n° 327. Et revera quis credat in casu quem ab

initio attulimus, Petrum posse quidem exigere pretium pro pecunia tradita solum ad ostentationem, sed e jure suo excidere si concedat recipienti facultatem eam in proprios usus adhibendi? Afferri possent multi alii casus, in quibus contractus ille onerosus, seu *fœnus*, multo utilior erit mutuatario quam alii contractus quos theologi licitos admittunt : ergo dici non potest mutuantem illum ineundo inferre injuriam seu damnum mutuatario.

1153. — 3°. *Ex comparatione mutui cum censu.* In censu consignativo quem licitum esse jam omnes agnoscunt, censualista qui dat pecuniæ summam acquirit jus recipiendi amplius quam dedit, nempe pensiones annuas sibi successive solvendas. Illud per se patet quando agitur de censu perpetuo. Sed idem locum habere potest etiam in censu temporaneo, qui juste institui potest, ex communi æstimatione, etiamsi pensiones quotannis solvendæ a censuario superare debeant, quando elapsus erit terminus, pretium quod recepit. Idem locum habet a fortiori quando censuarius redimit censum, prout lex ipsi permittit, refundendo totum pretium, nec deductis pensionibus interim persolutis. Porro exinde concludi potest licitum esse pariter mutuanti aliquid supra sortem exigere. Nam 1. si naturam ipsam rerum inspiciamus, manifestum erit totam mutui naturam reperiri in censu, adeo ut census non sit nisi species cujus genus est mutuum. Quid enim est census, nisi traditio pecuniæ præsentis pro jure eamdem aut majorem summam recipiendi successive et per partes? Sic, v. g., trado alicui mille nummos pro censu annuo centum nummorum per viginti annos persolvendo; alteri trado mille nummos quos post viginti annos mihi restituet, interim persolvendo quinquaginta nummos annuatim pro auctuario : quis non videat ambas conventiones nomine tenus tantum differre, imo posteriorem esse minus onerosam recipienti? Ergo cum liceat in

censu plus accipere quam datum est, idem licet in mutuo. 2. Revera nulla afferri potest ratio cur liceat census, quæ non eodem jure applicetur mutuo. Omnes rationes in id recidunt, quod pecunia præsens pluris æstimetur quam pecunia nonnisi post certum tempus recipienda, sive una vice simul, sive successive per partes recipienda sit. Hæc autem ratio valet quoad mutuum. In utroque casu adest quædam venditio seu permutatio, in qua eatenus servatur æqualitas quatenus præter summam capitalem aliquid restituitur ratione commodi quod ex dilatione percipit debitor et incommodi quod patitur creditor. Ergo non potest permitti census, quin permittatur mutuum cum auctuario. 3. Si censuarius non accurate persolvat pensiones annuas, cogi potest ad restituendum capitale : ergo censualista in eo tantum differt a mutuante quod iste habeat jus absolutum ad restitutionem, ille vero jus tantum alternativum, nempe vel ad solutionem pensionum, vel ad restitutionem capitalis. Jam vero cum duæ obligationes alternativæ sint inter se æquales, debent esse æquales obligationi absolutæ : ergo qui subjicitur obligationi absolutæ, scilicet mutuatarius, non magis gravatur quam qui obligationi alternativæ, nempe censuarius. Unde ulterius concludi potest nihil iniqui habere censum redimibilem ex parte censualistæ vel ex parte utriusque; siquidem nulla videtur ratio cur justitiæ repugnaret jus absolutum ex parte censualistæ potius quam jus conditionatum : porro talem censum a mutuo non differre satis apertum videtur, et strenue propugnant theologi usuræ magis infensi. Ergo, etc.

1154. Talia sunt præcipua argumenta quibus impugnatur doctrina communis de prohibitione usuræ ex jure naturali. Hæc possunt plus minusve evolvi, cum majori minorive subtilitate proponi : sed quacumque arte proponantur, eadem semper remanent quoad substantiam. Porro

ea non ignorarunt theologi, nec sine responsione reliquerunt, aut saltem principia posuerunt quibus refelli possunt, ut colligi potest ex iis quæ jam attulimus : quibus hic nonnulla addere satis erit.

Ad I. Observamus 1°. non solum huic difficultati respondisse theologos, sed et ipsam Sedem Apostolicam. Ad istud enim optimo jure reduci potest hæc difficultas : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et « nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem « quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a « mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. » Porro hæc est propositio XLI damnata ab INNOCENTIO XI, 2 mart. 1679. Non ideo contendimus damnatos dici debere auctores quorum sententiam hic expendimus : posset enim admitti principium in priori parte propositionis enuntiatum, quin ideo admittenda foret pars posterior seu consequentia ex principio educta; siquidem principium ordinem non habet nisi ad jus naturale, dum consequentia, utpote omnino universalis, ad ipsum jus divinum, imo et ecclesiasticum refertur. Sed si quis, huic principio innixus, ideo præcise propugnet usuram non adversari juri naturali ut exinde qualicumque modo concludat dici non posse hanc esse prohibitam jure divino, non veremur dicere, adhibendo verba a Benedicto XIV alia occasione prolata, tali opinioni grave vulnus inflictum fuisse per præfatum Innocentii XI judicium. 2°. Non negant theologi in mutuo beneficium præstari mutuatario : sed contendunt pro tali beneficio deberi quidem a mutuatario gratitudinem, sed non deberi pretium aliquod mutuanti, quando illud confert absque ullo suo damno; quæ enim sunt aliis utilia, nec nobis molesta gratis præstanda esse dictat humanitatis sensus, ipsis ethnicis perspectus : et quemadmodum ille qui vendit panem alicui fame laboranti, vel instrumentum opifici quo victum, imo forte

magnum lucrum sibi comparabit, præstat profecto maximum beneficium, nec tamen potest vendere ultra pretium commune, seu aliquid pro tali beneficio exigere, ita nec mutuans potest exigere plus quam dedit. Vid. inter alios GERDIL, t. XIX, p. 226 et seq. Et revera fieri potest ut non minus præstetur beneficium, licet mutuatarius re hic et nunc egens possit rem similem postridie, aut post aliquot dies restituere : numquid in eo casu idem pretium exigere poterit mutuans? Imo si auctuarium deberetur ratione beneficii, quo in majori necessitate versaretur mutuatarius, eo majus exigi posset auctuarium, cum eo majus sit tunc beneficium : ita saltem quotiescumque non obstaret lex charitatis; fieri autem potest ut non obstet, si nempe mutuatarius non versetur nisi in necessitate transitoria. Quis tamen ferat exigi tunc, v. g., centum pro centum? 3°. Quando dicunt theologi mutuum esse contractum gratuitum, intelligunt soli mutuatario beneficium conferri : sed cum nihilominus contractus ille valde differat a donatione, quatenus nempe in donatione donatur ipsa res nunquam restituenda, dum in mutuo donatur tantum usus actualis (ita enim loqui non abnuemus, si placeat adversariis), ideo dicunt servari debere æqualitatem quoad ipsam rem, seu, ut loquuntur, *inter datum et acceptum*. Hæc omnia autem inter se conciliari facile intelliget, ut putamus, qui noluerit de verbis contendere. 4°. Quoad illud quod additur de obligatione mutuandi in posterum, opportunius alibi de eo redibit sermo (n^is^ 1163 et 1192).

1155. Ad II. Hæc observamus. 1°. Jamdiu responderunt theologi, ex ipsa rerum natura desumi discrimen inter commodatum et mutuum, et exinde explicari cur commodatum verti possit in locationem, mutuum vero verti non possit, non solum in locationem stricte dictam, sed etiam in contractum æquivalentem. Quando agitur de re frugifera, v. g., de agro, facile concipitur dominum, si

alteri concedat hujus usum per aliquod tempus, posse aliquid exigere pro fructibus, quemadmodum admittunt omnes aliquam restitutionem pro iis deberi ab eo qui agrum injuste per vim aut fraudem detinuit : quia *Res domino fructificat*, et aliud est pretium rei, aliud pretium fructuum qui seorsim æstimari possunt et debent. Pariter si agatur de re usus successivi et non inexhausti, v. g., de equo, domo, etc., concipitur pro illo usu deberi pretium : militat enim eadem ratio; res remanet sub dominio tradentis, et cum usus habeat pretium ab ipsius rei pretio distinctum, pretium illud, quemadmodum fructus, domino debetur. Insuper res hujusmodi, cum per usum successivum consumatur, minus diuturni usus capax erit quando restituetur, nec proinde aderit æqualitas si restituatur sine ullo pretio. At vero quando agitur de re primo usu consumenda seu destruenda, v. g., de pane, vino, etc., idem dici nequit : usus non potest æstimari seorsim a dominio. Cum res hujusmodi non usum frugiferum aut successivum habeant, sed potius destructivum et mere transitorium, quando res similis restituetur, perfecta aderit æqualitas; non minus enim apta erit ad usum proprium absque ulla imminutione, quam res quæ mutuata fuerat : ac proinde si aliquid ultra exigeretur, jam non solum æquivalens, sed aliquid amplius obtineretur. 2°. Interim donec res illa similis restituatur, seu toto tempore dilatæ solutionis, dicatur, si placet, mutuantem novum æquivalenter quotidie tribuere beneficium quamdiu mutuatario inducias concedit (quod recidit in præcedens argumentum) : sed non videtur qua veritatis apparentia dici possit eum tribuere novum usum seu successivum rei primo usu consumptæ. Neque id probatur ex prætensa illa bonorum *solidaritate*, quam hactenus ignoraverunt theologi et jurisperiti. Esto enim quod mutuatarius utendo re mutuata servet sua bona, non inde sequitur mutuantem ipsi præ-

bere hæc bona : non minus verum remanet hæc esse sub dominio mutuatarii, ac proinde illi soli fructificare, nullatenus autem mutuanti, qui proinde non habet eumdem titulum ac locator rei frugiferæ. Non magis potest mutuans aliquid ex his frugibus sibi vindicare, quam posset ille qui remedium præbuisset quo sanaretur equus alioquin interiturus, sibi vindicare partem pretii quod dominus equi ex ejus locatione percepturus est : quemadmodum locatio equi nullum jus confert ei qui præbuit medium illius servandi, cum hæc locatio sit aliquid ei omnino extraneum, ita mutuans nullum jus acquirit ex fruitione bonorum quæ mutuatarius habere potest. Aliunde falso supponitur facultatem illam utendi re mutuata æstimari posse seorsim a dominio ipso in quo necessario includitur : in æstimandis bonis diversi generis certe attenditur ad illam facultatem; et speciatim in pecunia valor desumitur ex facilitate qua potest bonis aliis subrogari : ergo semper expendendum remanebit, an mutuatarius se obligans ad reddendum rem similem non det æquivalens ejus quod recipit. Ita esse affirmamus cum theologis : scilicet dicimus mutuatarium qui rem primo usu consumendam recipit a domino qui nullum ex ejus absentia damnum patitur quia ea usurus non erat, omnino ad æqualitatem satisfacere quando rem similem reddit; quodcumque lucrum exinde perceperit, vel non perceperit, sive pepercerit bonis frugiferis aut non frugiferis, sive etiam vitam propriam exinde servaverit, hæc omnia nil influunt in rei valorem, ad mutuantem non spectant, nec ullum jus ipsi conferunt. Quid enim, si agatur de mutuatario qui *omnia secum portat,* ut olim philosophus, qui nempe nil aliud habet in bonis quam laborem et industriam? Mutuans in eo casu dat ipsi medium servandi vitam : numquid exiget auctuarium tanquam pretium vitæ? Quid, si mutuatarius non habeat nisi bona non fructifera, v. g., pecuniam aut res primo usu con-

sumptibiles, et mutuo accipiat res ejusdem generis quibus hic et nunc indiget et quas aliter quam per mutuum non posset aut non nisi difficillime sibi comparare? Dici non poterit in eo casu mutuantem concedere æquivalenter usum rei fructiferæ; nec proinde poterit eo titulo auctuarium exigere : cur potiorem titulum haberet præcise quia mutuatarius habet bona unius generis potius quam alterius? Huc semper redeundum est, quod jura mutuantis nullatenus pendeant ex effectu quem mutuatarius obtinebit consumendo rem mutuatam. Quemadmodum si quis domum suam in loco favorabili sitam locet magno pretio, ut in loco longe minus favorabili conducat aliam domum pretio viliori, non poterit dominus postremæ istius domus majus pretium locationis exigere sub eo prætextu quod prior domus sit *solidaria* pro posteriori quæ ejus locum tenet erga inhabitantem, ita nec ille qui mutuo dat centum nummos aut modium vini poterit aliquid ultra exigere eo quod mutuatarius exinde servet bona frugifera quæ alioquin vendere debuisset : hæc non magis sunt *solidaria* quam præfata domus. 3°. Quoad varia exempla contractuum qui videntur mutuatario minus utiles quam mutuum cum auctuario, et pro licitis habentur, monent theologi, de contractuum justitia non esse judicandum præcise ex effectibus, sed ex eorum elementis seu ex titulis quibus innituntur contrahentium jura aut obligationes, quæ possunt esse diversa licet primo intuitu prorsus similia appareant. Cæterum dicere sufficiat uno verbo, contractus qui afferri possunt, si in rei veritate non differant a mutuo usurario, iisdem subjici difficultatibus; si vero differant, jam non posse ex iis ullum argumentum educi.

1156. Ad III. Ex iis quæ diximus, cap. XI, satis intelligitur theologos assidue et accurate investigavisse an et quatenus mutuum a censu differat. 1°. Discrimen in eo est quod in censu sors in perpetuum alienetur, non in

mutuo, ut diximus n° 1041 : unde censualista acquirit tantum jus ad pensiones annuas, et tradit pretium quod æquivalet illi juri, licet pensiones simul conjunctæ superent summam traditam, quia pensiones annuatim tantum solvendæ minoris æstimantur quam summa totalis, prout etiam exposuimus, n^is 1049, 1050 : quibus addi potest, attentis rebus humanis ut sunt, valorem earum pensionum lapsu temporum minuendum fore, quia successive crescit valor bonorum immobilium, decrescit vero valor pecuniæ; unde fit ut pejor sit ex ea parte conditio censualistæ, nec proinde mirum sit eum dare pretium quod materialiter non adæquet pensiones percipiendas. Sed censualista non servat jus ad ipsum capitale, nisi in iisdem casibus in quibus resolveretur contractus venditionis : et quantocumque tempore pensiones percipiat, nunquam dici poterit eum recepisse capitale, nunquam reponetur in statu in quo erat antequam illud traderet censuario. Igitur censualista differt a mutuante, qui independenter ab auctuario servat jus ad suum capitale. 2°. Quoad censum temporaneum, si esset longissimi temporis, v. g., pro centum annis, pro ducentis, idem diceretur ac de censu perpetuo. Sed posito quod sit brevioris temporis, facilius concipitur quod possit recidere in merum mutuum; quamvis determinari non possit intra quosnam præcise limites necessario standum sit : quod mirum non videbitur ei qui attenderit hujusmodi determinationem sæpe esse impossibilem in rebus moralibus, etiam quoad justitiam, v. g., quoad materiam furti gravis aut levis, etc. Igitur si res ita componantur, ut censu pro quodam tantum tempore constituto ille qui tradit pecuniam reipsa recipiat successive et per partes capitale cum auctuario, videndum erit an, attentis intentione contrahentium, justitia pretii, et variis circumstantiis, prout diximus n° 1051, dici debeat recipere meras pensiones annuas, an recipere suum capitale : in priori casu, pro-

nuntiabitur adesse censum; in posteriori, erit merum mutuum, et applicabuntur regulæ mutui. Effectus materialis poterit esse idem; sed, ut ait Billuart, p. 251, moralia moraliter æstimanda sunt. 3°. Quod spectat ad censum redimibilem, observare sufficiat eatenus excusari a theologis, quatenus existimant eum differre a mutuo; unde satis est dicere : si idem sit cum mutuo, non potest admitti; si sit diversum, nihil ex eo concludi potest. Cætera opportunius occurrent in art. seq. (n° 1218 et seq.).

Hæc in præsenti sufficiant. Non contendimus ex iis evanescere omnem difficultatem; agnoscimus enim cum multis theologis intricatam remanere quæstionem sub respectu quo eam nunc expendimus, et ideo magis ac magis persuasum habemus longe satius et tutius esse eam ex auctoritate solvere. Sed hæc sufficere putamus ut judicium ferri possit de prætensa illa evidentia quam opinioni suæ affulgere jactitant non pauci usuræ patroni. Qui enim attenderit nihil novi proponi a recentioribus jurisperitis et theologis, sed eadem quoad substantiam instaurari argumenta, quibus ab ætate S. Thomæ ad nostra usque tempora perstrepuerunt scholæ theologicæ, quæque etiam extra eas scholas in discussionem vocarunt tot et tam præclari scriptores quorum plures initio capitis recensuimus; qui simul perspectum habuerit communissimam nihilominus remansisse opinionem quæ docet usuram juri naturali repugnare, ille, ni fallimur, vix abstinebit a pronuntiando non minus præsumptuosum quam temerarium esse eum qui hanc opinionem suggillat velut absurdam, et in contrarium manifestam sibi occurrere evidentiam fidenter asseverat.

Corollarium. *An et quatenus liceat mutuum sub usura postulare aut sumere?*

1157. Ex dictis in toto articulo solvi potest hæc quæstio. Facile intelligitur eam non moveri de eo qui alium indu-

ceret positive ad non dandum mutuum nisi cum usura, aut qui hujusmodi determinationem approbaret : ille profecto peccaret, ad peccatum inducendo, aut peccatum approbando. Nec etiam agitur de casu quo mutuans habet justum titulum percipiendi lucrum, juxta ea quæ dicemus in art. sequenti : tunc enim non committit usuram. Quæritur ergo tantum, an quis possit mutuum petere ab eo quem scit aut prævidet non mutuaturum nisi exigendo lucrum usurarium?

Respondent communiter theologi post S. Thomam, 2-2, q. LXXVIII, art. IV, id licitum esse quando adest sufficiens causa seu necessitas; secus vero illicitum esse.

Prob.—I. *Illicitum est sine causa.* Nam, ut alibi explicatur, non licet sine causa alteri præbere occasionem et materiam peccandi : et quidem, cum hic agatur de peccato gravi, ex communi doctorum sententia est graviter illicitum. Non desunt quidem theologi qui cum DE LUGO, D. XXV, n° 234, dicunt non esse grave peccatum si mutuans jam sit paratus ad exercendam usuram : quia cum jam peccatum in voluntate sua commiserit, per talis aut talis mutuatarii petitionem non ei infertur grave damnum spirituale. Sed alii multi, ut MOLINA, D. CCCXXXV, n° 4, et plures alii quos citat et sequitur S. LIGUORI, l. 2, n° 47, docent esse nihilominus peccatum grave : tum quia per actum externum augetur malitia, saltem per accidens, ut alibi exponitur; tum quia semper verum remanet concurri ad peccatum grave.

II. *Licitum est cum causa.* Non enim peccat qui cum ratione sufficienti postulat ab alio id quod sine peccato præstare potest, licet prævideatur non ita præstiturus : illud enim non est consentire ejus peccato, sed, ut ait S. Thomas, uti ejus peccato, quod non est illicitum, cum ipse Deus utatur hominum peccatis ad educendum bonum; neque est scandalum activum ex parte petentis,

ut prosequitur S. Doctor, sed passivum tantum, et quod vitare non tenetur, quia non ex infirmitate vel ignorantia provenit, sed ex malitia. Ex eo principio docet S. Augustinus, quem citat S. Thomas, licere propter bonum uti juramento illius qui jurat per falsos deos : et admittunt theologi licitum esse in casu necessitatis postulare sacramenta a ministro qui est in statu peccati, vel dare crumenam suam furi ad vitandam mortem aut aliud grave malum, etc. Unde prorsus immerito asserunt plures usuræ patroni, inter quos LA LUZERNE, t. III, p. 584, et MASTROFINI, n° 494, excusari non posse, posito quod usura sit absolute prohibita, mutuatarium qui eam solvit : evanescit ea difficultas, modo tantisper perspecta sint theologorum principia circa scandalum et cooperationem.

Nec obstat decisio ALEXANDRI III, CAP. *Super eo*, IV, *de Usuris*, V, XIX, juxta quam *prohibendus est quis ut etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur*. Quamvis enim in titulo dicatur posse intelligi tum in mutuante, tum in mutuatario, forsan restringi posset ad receptionem usurarum. Sed si extendatur etiam ad earum solutionem, dici potest cum SYLVIO, q. LXXVIII, art. IV, t. III, p. 556, S. Pontificem respondere tantum quod, cum crimen usurarum sit prohibitum in utroque testamento, non potest super eo dispensatio admitti; unde concludere poterat consulens non posse per dispensationem fieri licitam participationem ad crimen usurarum : sed in casibus de quibus agimus non adest participatio ad crimen, ut intelligitur ex dictis.

Tota ergo difficultas est in assignando quænam causa debeat haberi ut sufficiens. Si quis non possit a mutuo petendo abstinere sine gravi detrimento, v. g., quia alioquin cogetur prædium vendere, commercium notabiliter minuere, a decentia sui status decidere, etc., certum est eum posse mutuum petere : agnoscunt enim omnes non

requiri necessitatem extremam aut quasi extremam. Contra si quis usuras solvat ad ludum, comessationes, aut alia hujusmodi, certum est non excusari a gravi peccato. Si vero mutuum petat ad opes augendas, ad lucrum faciendum, non ita constat. Excusare videntur SYLVIUS, q. LXXVIII, art. IV, t. III, p. 556, et BILLUART, D. IV, art. VII, p. 290, qui exigunt tantummodo notabilem utilitatem, quæ ad decentiam status vel personæ multum pertineat. Alii vero aliquid amplius exigunt, allegantes verba S. THOMÆ in *Opusc.* 67, *de Empt. et Vendit.*, ubi ait non excusari mercatores qui usuras dant *ut honorabilius vivant et majores mercationes faciant.* Ita P. ANTOINE, c. III, q. XVIII, p. 70; *Collat. Ambianen.*, t. III, p. 484; COLLET, n° 431, p. 368; *Collat. Ruthenens., de Contractibus,* p. 277, et alii. Dicendum saltem cum S. LIGUORI, l. 2, n° 77, et pluribus aliis, ad excusandum grave peccatum gravem requiri causam. Addemus cum D. BOUVIER, p. 419, fieri posse ut causa non sufficiat ad excusandum ab omni peccato, et tamen excuset a gravi peccato. Unde id judicandum ex circumstantiis ad arbitrium viri prudentis.

Ex his concludi potest quid sentiendum sit de ipsa solutione usurarum, quando fuerunt promissæ?

De hoc magnam controversiam non movent auctores, ait DE LUGO, n° 229: certa est responsio et omnium communis, ait SYLVIUS, *ibid.*, p. 557, posse solvi. Qui enim solvit patitur tantum injuriam seu injustitiam, sed non est particeps criminis; illud tantum non impedit, seu permittit ex juxta causa: præter enim causas quas habuit promittendi, adest hic alia; quia nempe non posset pactum violare quin se exponeret pluribus incommodis, v. g., alia vice non inveniendi mutuum, etc. Si tamen posset aliqua via non solvere, vel seipsum compensare, non committeret injustitiam, cum supponatur injuste exigi usuras. Ita D. BOUVIER, p. 431, post PONTAS, v° *Promesse*, cas VII.

Art. 3. *Quousque extendatur prohibitio usuræ.*

1158. Hucusque stetimus intra limites notionis et prohibitionis generalis lucri percepti ex mutuo consumptionis, sive usuræ. Sed necessarium est nunc fusius exponere quid præcise includat notio allata, ut perspectum sit quousque extendatur prohibitio. Ut scopum illum attingamus, agemus 1°. de usura mentali; 2°. de variis pactis quæ mutuo aliquando adjiciuntur; 3°. de titulis ex quibus aliquid supra sortem exigi potest in mutuo; 4°. de variis contractibus in quibus percipitur auctuarium supra sortem; 5°. demum expendemus an prohibitio attingat etiam auctuarium lege civili permissum.

§. 1. *De usura mentali.*

1159. Non hic loqui intendimus de usura mere interna, de qua nulla peculiaris occurrit difficultas, cum hujus natura satis innotescat ex notione usuræ externæ, ad quam refertur velut ad suum objectum; sed de usura quæ percipitur *omni conventione cessante*, et quæ vulgo mentalis dicitur, ut antea observavimus (n° 1122). De ea exstat decisio Urbani III, jam a nobis allata (n° 1141), cap. *Consulait*, x, *de Usuris*, v, xix, ubi interrogatus de eo *qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat*, respondet : « Hujusmodi homines pro inten-« tione lucri quam habent.... judicandi sunt male agere, « et ad ea quæ taliter sunt accepta restituenda, in anima-« rum judicio efficaciter inducendi. » Hinc intelligitur dari usuram quæ percipitur, omni conventione cessante, et quæ tamen inducit obligationem restituendi. In quo præcise consistat, non constat apud omnes.

Duplex præcipue est sententia. Alii repetunt usuræ mentalis notionem ex intentione quam habet mutuans lucrum

percipiendi : si hæc intentio sit præcipua, id est, talis, ut, ea spe sublata, mutuum non daretur, dicunt adesse usuram mentalem; secus, si intentio sit tantum secundaria, id est, talis ut etiam ea sublata daretur mutuum. Ita post plures alios *Collat. Parisiens.*, t. I, l. II, conf. I, §. 3, p. 30; JUENIN, *Cas de Conscience*, tr. XVI, c. III, t. II, p. 444.

Alii dicunt non attendendum esse an intentio sit præcipua, an secundaria, sed tantum an lucrum recipiatur aut detur tanquam debitum vi mutui : tunc adest usura mentalis; secus, si non detur et recipiatur nisi ex mera liberalitate, licet spes recipiendi fuerit præcipua. Ita sentire videtur S. THOMAS, et docent MOLINA, D. CCCV, n° 3 et seq.; SYLVIUS, in 2-2, q. LXXVIII, art. I, t. III, p. 530; DE LUGO, D. XXV, n° 29; BILLUART, D. IV, art. II, p. 223, et alii plures, quorum sententiam amplectimur et sic stabilimus.

I. *Ad usuram mentalem non sufficit intentio, etiam præcipua, percipiendi lucrum.*

Prob. Usura non adest, cum lucrum percipitur non vi, sed tantum occasione mutui; cum nulla erga mutuatarium committitur injustitia; cum mutuum remanet gratuitum. Porro hæc omnia concurrere possunt cum intentione de qua loquimur, si nempe non intendatur lucrum nisi ex mera mutuatarii liberalitate, ut facile intelligitur. Igitur quamvis illa intentio non sit perfectæ caritati consentanea, imo possit esse vitiosa quatenus includit voluntatem violandi officium charitatis, non est usuraria, neque illam respicit prohibitio legis divinæ aut decisio Urbani III, quæ non respiciunt nisi lucrum intentum ex mutuo seu vi mutui.

II. *Ad usuram mentalem non requiritur intentio præcipua percipiendi lucrum.*

Prob. Evidens est enim etiam sine ea intentione fieri posse ut adsit lucrum perceptum vi mutui. Idque expresse agnoscit JUENIN, p. 445.

III. *Ad usuram mentalem requiritur et sufficit ut lucrum detur aut percipiatur tanquam debitum vi mutui.*

Prob. Sequitur ex dictis. Et revera, ut ratiocinatur Sylvius, cum quis voluntate sua fertur in objectum formale alicujus peccati, reus est ejus, sive primaria intentione, sive secundaria feratur in illud; sicut reus est furti qui furatur, sive principali intentione feratur in injustam rei alienæ ablationem, sive solum secundaria, ut si principaliter intendat meretricium, et minus principaliter furtum : atqui formale objectum peccati usuræ est lucrum ultra sortem proveniens ex mutuo, seu vi mutui, tanquam debitum, ut constat ex dictis. Ergo sive hoc principaliter intendatur, sive secundario, est usura.

1160. Hinc usura mentalis potest triplici modo se habere. 1°. *Ex parte utriusque*, si unus det tanquam debitum vi mutui, et alter eodem titulo recipiat; quin tamen adsit conventio sive explicita sive implicita, quia tunc adesset usura realis. In eo casu nullus adest titulus auctuarii extrinsecus mutuo, saltem in mente contrahentium, ac proinde lucrum vere percipitur vi mutui. 2°. *Ex parte mutuatarii* tantum, si det lucrum tanquam debitum vi mutui, et alter illud acceptet tanquam ex liberalitate vel alio titulo datum. In eo casu non adest donatio, cum desit animus donandi, nec uterque consensus feratur in eumdem contractum; unde non remanet nisi titulus mutui. 3°. *Ex parte mutuantis* tantum, si accipiat lucrum tanquam debitum vi mutui, dum alter liberaliter donare intendit. In eo casu propter eamdem rationem non adest contractus donationis, ac proinde non remanet nisi titulus mutui, donec mutuans, cognita voluntate mutuatarii, acceptet donationem, et sic contractus perfectus evadat per duplicem consensum successive datum, juxta principia exposita in part. 1, ut diximus n° 1028.

§. 2. *De variis pactis quæ mutuo aliquando adjiciuntur.*

1161. Per usuram intelligitur ex dictis (n° 1121) quodcumque lucrum vi mutui perceptum. Si lucrum illud sit pecuniarium, nulla est specialis difficultas, nisi ex parte modi quo exigitur, si nempe dicatur exigi tantum tanquam debitum ex gratitudine, non ex justitia. Sed si agatur de variis aliis commodis quæ mutuans potest aliquando ex mutuo percipere, non ita semper constat quandonam tanquam usurarius habendus sit. Illud nunc enucleandum habemus.

I. Si mutuatarius *se obliget ad aliquid præstandum ad quod jam tenebatur,* distinguendum est.

1°. Si jam tenebatur *ex justitia,* pactum non est usurarium, quia non imponitur nova obligatio, et mutuans nihil lucratur. Ita multi quos citant et sequuntur Billuart, D. iv, art. iv, p. 238; Collet, n° 254, p. 320: ita omnes, ait S. Liguori, l. 3, n° 777.

2°. Si tenebatur tantum *ex charitate* seu ex alia virtute, alii dicunt pactum non esse usurarium, quia nova obligatio quæ imponitur non potest haberi ut vere onerosa, cum contra mutuatario utilis sit eum removendo a peccato. Et vero, inquiunt, quemadmodum mutuans pacisci potest ut mutuatarius desistat ab injuria sibi inferenda, ita sane potest pacisci ut desistat ab injuria Deo inferenda. Ita plures quos citat et sequitur Collet, n° 256, p. 321. Alii tamen ibi usuram agnoscunt. Ita multi quos citat et sequitur S. Liguori, l. 3, n° 777, asserens se numquam valuisse alteri sententiæ acquiescere. Ratio est, quia nova illa obligatio ex pacto est obligatio justitiæ, adeo ut si violetur teneatur mutuatarius damna nde orta compensare, et cogi possit coram judice; quod est sane onus pretio æstimabile : quid ergo refert, ait S. Liguori, quod pactum cedat, vel non, in utilitatem mu-

tuatarii, cum usura in hoc consistat quod exigatur ex mutuo onus pretio æstimabile?

Hæc secunda opinio rigori principiorum magis consentanea videtur. Eam tamen non applicaremus omnibus casibus quos afferunt quidam auctores. Fieri potest, prout advertit GIBALINUS, l. I, c. VIII, n° 4, ut non intendatur imponi nova obligatio seu novo titulo justitiæ, sed ut obligatio remanens qualis erat innovetur solummodo et excitetur : tunc non aderit usura. Pariter si talis sit obligatio ut nullum ex ea lucrum obtinere queat mutuans, a fortiori si ex ejus violatione damnum temporale pati non debeat mutuatarius, nullam esse usuram crederemus. In eodem fere sensu utramque sententiam conciliare tentat BILLUART, p. 239, dicens pactum licere, si mutuans intendat solum gloriam Dei et utilitatem mutuatarii; non licere autem, si propriam utilitatem. Vid. etiam quæ diximus *de Materia contractuum*, n° 244.

1162. II. *Si in pactum deducatur amor seu benevolentia* tanquam debita ex justitia, existimat post plures alios BILLUART, p. 237, usuram committi, quia hæc obligatio justitiæ est pretio æstimabilis. Non ita sentiendum nobis videtur : tum quia non est res pretio æstimabilis; tum quia non potest esse objectum justitiæ strictæ, eo saltem modo qui novum onus censeatur. Ita sentiunt ii etiam auctores qui minime usuræ patrocinantur, ut COLLET, n° 253, p. 320, et alii; D. RICHARD. Aliud tamen dicendum foret si ageretur, non de simplici amore, sed de amore tali vel tali modo exhibendo; tunc enim obligatio posset esse vere onerosa. Ita cum pluribus aliis GIBALINUS, l. I, c. VIII, art. II, n° 2.

1163. III. Si mutuans paciscatur cum mutuatario ut *officinam suam frequentet*, ut *sibi locet suas operas*, vel de aliis hujusmodi, sed justo semper pretio; item si exigat ut mutuatarius *se obliget* ex parte sua *ad remutuandum*,

quæstio est an adsit usura. Duo hæc simul conjunguntur, quia eadem utrique casui vulgo applicantur principia.

Juxta multos, vere committitur usura, quia tollitur libertas mutuatarii, sicque ei imponitur onus pretio æstimabile. Esto enim quod ex gratitudine ad idem teneretur: sed gratitudo leviter obligat et vix plerumque sub veniali, eique aliunde multis modis potest satisfieri, dum contra pactum stricte et in certo quodam genere arctat. Ita docent S. Thomas et doctores communiter, ait MOLINA, qui iis adhæret, D. CCCVIII, n° 3, et D. CCCIX, n° 6; ita doctores innumeri, ait DE LUGO, D. XXV, n° 47, qui et eos sequitur; ita communiter, inquit BILLUART, p. 239 et 240; COLLET, n° 270, p. 324; S. LIGUORI, n° 780. Unde docent mutuantem teneri non solum relinquere mutuatarium suæ libertati pactum dissolvendo, et resarcire damna, si qua exinde passus sit, quia, v. g., alibi viliori pretio empturus fuisset, vel operas suas meliori pretio locaturus, sed etiam aliquid restituere pro gravamine ipsi imposito, quanti scilicet, ait de Lugo, n° 50, prudentis arbitrio æstimari poterat, et quanti in iis circumstantiis a prudenti redimi potuisset: quod tamen non esse nisi aliquid modicum observat Billuart, p. 240.

Attamen plures ex iis auctoribus varias restrictiones afferunt. Sic quidam dicunt non adesse usuram, si postuletur officium, non ut pretium mutui, sed ut mera conditio, id est, si mutuans velit tantum desistere a mutuo, si mutuatarius deneget obsequium de quo agitur; adeo ut nulla præcise imponatur obligatio, sed sit tantum declaratio quod non velit alteri gratificari nisi vicissim ipsi gratificetur: agnoscunt tamen id esse valde lubricum et periculosum, quia facillime subesse potest usuraria intentio. Sic pariter non pauci dicunt committi quidem usuram si imponatur obligatio in futurum, quia tunc applicatur ratio allata; secus vero, si agatur de præsenti, quia tunc nulla

imponitur obligatio, vel ad summum dici potest adesse onus æquale ex utraque parte.

Verum quoad ipsum principium theologis non assentitur LEOTARDUS, quæst. XVI, n° 24 et seq., asserens, n° 49, se nimiam eorum in his quæstionibus scrupulositatem et subtilitatem probare non potuisse. Ab iis etiam aliquatenus recedit POTHIER, *Usure*, n^is^ 109, 110. Hæc itaque statuit Leotardus.

I. Si mutuans ineat conventionem de ineundo alio contractu, sed justo pretio, non videtur ibi adesse usura. Nam 1. nihil ultra sortem accipitur, sed onus quod imponitur compensatur per justum pretium. 2. Uterque contrahens eodem modo liber est; quemadmodum unus non tenetur mutuum dare, ita alter non tenetur operas suas locare, etc.: possunt ergo nolle contrahere, nisi quatenus mutua fiet conventio. 3. Onera sunt æqualia, quia si unus obliget se ad contractum postea ineundum, alter se obligat ad mutuandum, seu statim mutuans obligat se ad standum contractui: ergo nulla est injustitia aut usura. Cæterum supponitur abesse omnem fraudem, neque damnum ullum extrinsecum inferri mutuatario, ut accideret, v. g., si cogeretur merces suas vendere tempore quo minoris erunt pretii, etc.

II. Si mutuum detur sub onere quod ipse mutuatarius vice sua mutuet in alio vel in eodem genere, triplicem casum distinguit Leotardus, n° 36. Primus est, si rogatus mutuo dare pecuniam, ipse mutuum peto triticum quo indigeo, non alia ratione pecuniam mutuam daturus: non adest tunc usura, propter easdem rationes, quia nempe onera sunt ex utraque parte æqualia, et neuter dici potest alteri damnum inferre. Secundus est, si obligatio dandi mutui ex utraque parte in futurum confertur; v. g., si duo paciscantur ut sibi invicem in necessitate mutuent: non adest usura, cum non sit proprie mutuum, sed promissio mutui; nulla est inæqualitas, et secundum mutuum non

debebitur vi prioris mutui, sed vi præcedentis pacti. Idque admittunt ipsi theologi : Molina, D. cccviii, n° 4; de Lugo, n° 47; Billuart, p. 240 : ita etiam Pothier, n° 109, qui testatur olim Aurelianis inter mercatores nullam perceptam fuisse usuram, sed tacite initum fuisse inter omnes pactum mutuum de quo hic loquimur. Tertius demum casus est, si ex una tantum parte obligatio confertur in posterum : tunc etiam non adest usura; militat eadem ratio, quia sive obligatio sit in præsens, sive in futurum, adest semper compensatio : imo durior est qui mutuans exigit ut sibi statim mutuetur, quam qui promissione in futurum contentus est; unde, ait Leotardus, n° 48, admisso secundo casu reprobare tertium, est condemnare justiorem.

Cæterum observat Leotardus, n° 43, non debere admitti distinctionem inter casum quo exigitur ut pretium, et quo ut conditio; in hujusmodi enim conventionibus conditio habetur ut pars pretii : ita etiam S. Liguori, n° 780, quia conditio est semper vere onus.

Hæc omnia satis vera videntur. Addimus in omni sententia excusari debere ab usuræ labe mutuantem qui, exigens a mutuatario promissionem mutui, non intendit imponere obligationem strictam, sed tantum monere de obligatione gratitudinis, et illius confirmationem obtinere : tunc enim non imponitur onus indebitum, nec modo indebito. Ita Pothier, n° 109. In his omnibus multum confert intentio agentis : accusat et excusat conscientia, ut post S. Thomam omnes confitentur, ait Collet, n° 279, p. 326.

1164. IV. Si mutuum detur ea conditione *ut mutuatarius pecuniam recuperet a debitore difficili*, adest usura, juxta Molinam, D. cccx, n° 7, de Lugo, n° 66, Billuart, p. 244. Existimat Collet, n° 266, p. 323, hanc decisionem falsam esse posse : quid enim mali, inquit, si

mutuum postulanti dixerim : Non habeo, sed summam hanc mihi debet Petrus, vir in me durus : tu qui nonnihil apud eum vales, hunc adi; et si rem obtinueris, sit tibi mutuo ad annum unum. Videtur solutio pendere a circumstantiis : si enim mutuans nonnisi cum expensis debitum recuperare posset, jam lucrum perciperet, ac proinde usuræ reus esset; si vero non exponeretur nisi cuidam molestiæ, quam libenter subiret nec pecunia vellet redimere, et mutuatarius eam libenter in se suscipiat, nihil videtur usurarium.

1165. V. Si mutuum detur ea conditione ut *ante certum tempus reddi non possit*, potest adesse usura, si nempe sit illud onus grave mutuatario, v. g., si acceperit frumentum quod non poterit reddere nisi in fine anni, et interim periculum sit ne tunc sit corruptum, etc. Ita DE LUGO, n° 69, quem sequitur D. RICHARD.

1166. VI. Si lucrum deducatur in pactum tanquam *debitum, non ex justitia, sed ex gratitudine*, non omnino concordant theologi, nec desunt ex veteribus qui satis accurate non sunt locuti. Exstat ea de re propositio XLII damnata ab INNOCENTIO XI : « Usura non est dum ultra « sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et « gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex « justitia debitum. » Eam damnavit etiam clerus Gallicanus ut *falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi periculosam, palliativam usurarum*. Ratio autem damnationis hæc est. 1°. Eo ipso quod exigitur tanquam debitum, aliquid additur obligationi gratitudinis : tum quia obligatio gratitudinis est de se indeterminata, et illi quisque satisfacere potest prout voluerit, eo quod in hac magis consideretur affectus dantis quam ipsum datum; tum quia alioquin prorsus inutile efficeretur pactum, quod tamen non intendunt contrahentes. 2°. Admissa propositione excusarentur omnes usurarii, cum parvi illorum intersit an

habeant titulo justitiæ, an titulo gratitudinis. Si tamen exigeretur ut omnino gratuitum, quo pacto, ait COLLET, n° 244, p. 316, amicitiam leniter exigis ab eo cui amicitiam ipse voves, non esset usura, quia non tolleretur libera mutuatarii donatio, nec proinde perciperetur vi, sed tantum occasione mutui. In eo sensu explicandus est S. Thomas, quem immerito aliqui dicunt docuisse propositionem damnatam. Vid. BILLUART, p. 235 et 236. Cæterum illud quantum ad praxim vix aut ne vix admittendum arbitror, ait idem Billuart, nisi in iis occasionibus et necessitatibus in quibus solent amici ab amicis obsequium requirere, quia adest grave usuræ periculum, et plerumque etiam scandalum.

§. 3. *De titulis ex quibus aliquid in mutuo exigi potest supra sortem.*

1167. Antequam de his titulis sigillatim disseramus, quædam prænotanda sunt.

I. Magna hic cautione et prudentia opus est, ut media inter nimium rigorem et laxitatem incedatur via. Qua de re sapienter monet BENEDICTUS XIV, in *Encycl.*, §. 8 : « Qui viribus suis ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent (quæ tamen « haud exiguam sacræ theologiæ et canonum scientiam « requirunt), ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe « se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus « judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam « accusent, tanquam illicitam et cum usura conjunctam; « contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, « ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine « liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis « adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures « scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædi-

« cantur : deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, « tum auctoritate plane confirmatas intelligent. »

1168. II. Principii loco ponendum est cum Bossuet, prop. VII, p. 691 et seq., legem Dei quam huc usque adstruimus non posse esse vanam, nec in meris verbis sitam esse : nihil enim excogitari posset a sapientia Dei et doctrina Ecclesiæ magis alienum. Unde Benedictus XIV, *ibid.*, §. 10, hortatur episcopos *ne aditum relinquant ineptis illorum sermonibus, qui dictitant de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia quæ qualibet ratione alteri conceditur fructus ut plurimum comparetur.* Notari merentur hæc verba, *Hoc tempore* : fieri enim potest ut uno tempore longe plures occurrant modi fructum ex pecunia comparandi, seu plures tituli, quam in alio, cum id pendeat ex statu regnorum et multis circumstantiis omnino variabilibus, ut alio loco fusius evolvetur.

Hinc 1°., ut verbis Bossuet utamur, « il faut avant « toutes choses bien entendre ce que Dieu défend, et com- « ment sa sainte loi a été entendue par les saints Pères; « car c'est la règle de la foi. Cela étant bien entendu, il « faut dire que tout ce qui dans le fond fera tout l'effet de « la chose que Dieu défend sera également défendu, de « quelque nom qu'on le nomme; parce que le dessein de « Dieu n'est pas de défendre ou des mots, ou des tours « d'esprit et de vaines subtilités, mais le fond des choses. » Illudque attendendum, non solum quando agitur de variis titulis, sed etiam de contractibus qui quamdam habent similitudinem cum mutuo, et de quibus dicemus in paragrapho sequenti.

Hinc 2°., ut addit idem Bossuet, « toutes les fois que « nous trouverons qu'en permettant un certain profit de « l'argent, la loi de Dieu sera éludée et ne subsistera plus « qu'en paroles, nous devons tenir ce profit comme en-

« fermé dans la défense divine. Je ne crois pas qu'il y ait « rien de plus ferme ni de plus inébranlable que cette « règle. »

Hinc 3°. quidquid est mutuo intrinsecum et in quolibet mutuo reperitur, non potest esse titulus ad aliquid exigendum supra sortem; alioquin lex divina numquam suam haberet applicationem, ut patet. Igitur quoad varios titulos de quibus moveri potest quæstio, primum expendendum est an sint mutuo extrinseci, et deinde expendetur an sint pretio æstimabiles. Ut prius detegatur, videndum an separari possint a mutuo, adeo ut etiam iis titulis admissis immota stet prohibitio usuræ. Quoad posterius, hæc regula generalis statui potest, ait Zech, Diss. II, §. 4 : cum titulum concurrentem cum mutuo sufficere, qui in aliis negotiis vel contractibus sufficit ad percipiendum emolumentum ultra negotii aut contractus illius obligationem; mutuans enim per hoc quod mutuaverit non fit pejoris conditionis, quam si non mutuasset.

Hinc 4°. rejiciendi absque dubio quidam tituli a theologis quibusdam excogitati, quique usuram redderent impossibilem. Tales sunt labor in numeranda pecunia, nisi sit omnino extraordinarius; absentia pecuniæ, de quo exstat propositio XLI damnata ab Innocentio XI et jam relata : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, « et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsen- « tem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem « a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari; » stipulatio mutuo adjecta, nisi forte in casu moræ, in quo dicitur pœna conventionalis, de qua infra; obligatio sortem non repetendi ante certum tempus, si pure et simpliciter intelligatur, de quo etiam exstat propositio XLII ab Alexandro VII damnata : « Licitum est mutuanti « aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repe- « tendam sortem usque ad certum tempus. » Hi varii

tituli recidunt in ipsum mutuum, et haberi debent ut sufficienter confutati in discussione generali de usura.

Sed sunt plures alii tituli, qui vulgo admittuntur a theologis; sunt alii de quibus graves moventur controversiæ : de singulis seorsim agemus, nempe 1°. de damno emergente; 2°. de lucro cessante; 3° de destinatione lucrativa; 4°. de periculo sortis; 5°. de donatione gratuita; 6°. de obligatione non repetendi sortem ante certum tempus; 7°. de solutionis dilatione vel anticipatione; 8°. de pœna conventionali.

Punct. 1. *De damno emergente.*

1169. Per damnum emergens intelligitur jactura quam patitur mutuans in rebus suis acquisitis; v. g., si defectu pecuniæ quam mutuo dedit non possit reparare domum quæ ruinæ exponitur, vel cogatur merces suas vendere viliori pretio, vel carius emere, etc.

Certum est hunc esse titulum justum. Nisi enim compensaretur illud damnum, jam non servaretur æqualitas; nec debet beneficium esse auctori damnosum. Et ita jam omnes admittunt. Illud negasse perhibetur Scotus; quem tamen quidam explicant in eo sensu quod nihil permittat propter damnum mutuo intrinsecum; vid. Zech, Diss. II, §. 18 : ita explicat Henno, tr. II, D. VIII, q. IV, art. IV, p. 375. Illud etiam negare videtur Domat, l. I, tit. VI, t. I, p. 73, dicens : Si damnum patiatur, non mutuet. Verum illud est parum humanum et minus æquitati consentaneum, ut advertit Zech, *ibid.*, §. 16. Nec in contrarium objici potest silentium SS. Patrum, ut jam diximus (n^is 1134, 1139). Nec etiam mirum videri debet quod ille titulus olim non admitteretur coram lege civili : rationes legislatoris erant periculum usuræ, difficultas accuratæ æstimationis, præsumptio quod non mu-

tuet qui damnum timet. Ita *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 348, 349, et POTHIER, n° 124.

1170. Ut autem valeat in conscientia ille titulus, variæ requiruntur *conditiones*.

I^a est, ut mutuum sit vere *causa damni* : alioquin mutuatarius non teneretur illud compensare.

Hinc 1°. si mutuans alias pecunias habeat aut faciliter habere possit quibus damnum impedire valeat, jus non habet ad compensationem. Ita auctores, qui tamen communiter excipiunt casum quo illæ aliæ pecuniæ essent destinatæ ad quemdam usum moraliter necessarium, v. g., ad dotandam filiam, præcavendum casus insolitos, etc.

Hinc 2°. deduci potest an exigi possit lucrum præcise quia mutuans ipse solvit usuras alteri pro pecunia quam mutuat? — Distinguendum est cum DE LUGO, D. XXV, n° 75 : potest exigere, quando istud secundum mutuum est vere causa damni, v. g., quia alioquin pecuniam quam mutuo accepit reddidisset, et sic cessasset a solvendis usuris; secus, si novum damnum non incurrat propter secundum mutuum, quia non potest exigere lucrum præcise ad se reddendum indemnem ab usuris, quas eodem modo soluturus erat, licet ipse mutuum non præstitisset : sicut qui rem emit supra justum pretium non ideo potest eodem pretio vendere ad se servandum indemnem.

1171. II^a conditio est, ut servetur *æqualitas* inter damnum et compensationem. Duplici modo fieri potest conventio : vel paciscendo damnum, si contingat, totum fore compensandum; vel in antecessum determinando compensationem, facta æstimatione periculi juxta judicium prudentum. Prior conventio est sane licita, modo moneatur mutuatarius, ita ut cognoscat vere cui periculo se exponat. Iste modus est minus usuræ capax, et adhiberi potest, etiam pro damno mere possibili, quia tunc onus est in eadem proportione, ut patet. Posterior etiam

est justus; modo habeatur ratio probabilitatis : est veluti contractus aleatorius. Unde, quamvis contradicere videatur *Collat. Parisiens.*, t. I, l. VI, conf. I, §. 2, p. 263, compensatio potest exigi, licet reipsa damnum non subeatur aut nonnisi minus, quia potuit etiam damnum esse majus, et idcirco est pretium periculi. Illud commodi habet ille modus quod præcaveat lites quæ in altero oriri possunt ad determinandum damnum.

Advertunt auctores mutuatarium, si velit contrahere priori modo, non posse cogi ad contrahendum altero, quia ex natura rei ad priorem tantum tenetur, nec debetur novum onus ei imponi. Ita LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 76; DE LUGO, n° 71; ANTOINE, q. XII, p. 61; COLLET, n° 232, p. 313; BILLUART, D. IV, art. V, §. III, p. 254; ZECH, §. 15. Si tamen mutuans secundum modum non requireret nisi ad præcavendas lites et difficultates, non esset culpandus : sed sæpe inde colligetur, ut ait ZECH, §. 15, eum aliquid aliud quærere quam indemnitatem.

1172. III[a] conditio est, ut *mutuatarius moneatur* de damno compensando. Ita communiter contra paucos, ait BILLUART, p. 252. Ratio est 1°. quia contractus mutui est ex natura sua gratuitus; ergo mutuans censetur gratis dare, nisi stipuletur auctuarium. 2°. Mutuatarius prænonitus forsan mutuum non acciperet, sed ad alium recurreret. 3°. Si monitus non fuerit, non adest titulus vi cujus obligetur ad damni compensationem : non injusta acceptio, ut supponitur; non res accepta, cum reddat quidquid recepit; non contractus, qui initus non est.

Excipiendum 1°. si mutuatarius per vim aut dolum mutuum obtineat; est enim tunc causa injusta damni. Idem aiunt MOLINA, D. CCCXV, n° 4, et DE LUGO, n° 74, si quis cogatur etiam juste, v. g., a principe ut mutuum præstet : quia ille non debet præ aliis subditis gravari, ut explicatur ubi *de Tributis*.

Excipiendum 2°. si mutuatarius sit in mora culpabili. Quandonam autem censeatur satis in mora, deducendum ex dictis in parte I, n° 288 et seq.

Sed requirirturne ut mutuatarius moneatur præcise *de titulo*, an vero solummodo de auctuario?

Non concordant auctores. Alii id requirunt. Ita plures quos citant et sequuntur SALMANTICENSES, c. III, n° 83; COLLET, n° 216, p. 307, et alii quos sequitur S. LIGUORI, n° 769. Ratio est, quia alioquin mutuatarius consentit quasi in usuram; eo magis quod ex communiter contingentibus potius præsumere debeat lucrum exigi vi mutui quam vi tituli. Porro ille consensus non sufficit. 1°. Non est voluntarius, quia non solvit usuras nisi ex necessitate. 2°. Forte difficilius consentiret mutuatarius in contractum justum, quam in usuras : usuras enim solvere recusabit postea, si possit; vel poterit sperare aliquando sibi faciendam restitutionem. 3°. Licet consensurus supponatur, non adest nisi consensus interpretativus, qui in contractibus non sufficit. 4°. In venditione, si ea ratione augeatur pretium, monendus est emptor; ergo a pari.

Alii judicant id non requiri. Ita LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 74; DE LUGO, n° 74, et alii quos sequitur D. RICHARD. Ratio est, quia cum mutuatarius fuerit præmonitus, non videtur posse conqueri : debuit consentire quasi in compensationem, quia cum nemo præsumatur malus, supponere debuit adesse titulum; eo magis quod inter unum mutuantem usurarium et alterum non usurarium, debuit, ne peccato cooperaretur, hunc eligere, non obstante spe restitutionis : ergo dicere nequit se postulaturum fuisse ab alio, si monitus fuisset. Nec valet paritas e venditione desumpta. Nam in venditione emptor cui non manifestat venditor exigi aliquid ultra justum pretium, nescit se dare plus quam recipit, ac proinde non consentit in excessum pretii; et aliunde exponitur periculo alium decipiendi, si

ipse rem vendat : dum nihil tale in mutuo occurrit. Ita Lessius, n° 75, de Lugo, n° 186.

Hæc secunda sententia videtur probabilior, quamvis magis tutum sit, ut notat ipse de Lugo, præmonere de vero titulo, tum ad vitandum scandalum, tum ad magis assecurandum debitum, quod facilius solvetur, si non reputetur usurarium. Sed observandum est auctores illius opinionis supponere mutuantem cognoscere suum titulum : si ignoret, tunc est casus diversus, quem expendemus ubi de *Restitutione usurarum;* illud patet, perlegendo ea quæ habet de Lugo, n° 182-184.

Quædam adhuc supersunt difficultates, de quibus commodius dicetur ubi *de Lucro cessante,* cui sunt communes.

Punct. 2. *De lucro cessante.*

1173. Per lucrum cessans intelligitur lucrum speratum, quo quis se privat eo quod alteri mutuet pecunias quibuscum volebat et verisimiliter sperabat tale lucrum consequi. Intelligitur autem solum lucrum legitimum, et supponitur voluntas simul et potestas illud consequendi.

Hunc esse titulum legitimum constat. 1°. Ex jure canonico, cap. *In civitate,* vi, *de Usuris,* v, xix : ibi declarat Alexander III, eum qui merces suas carius vendit ob dilatam solutionem, excusari ab usura, si merces illæ pluris valituræ sint tempore solutionis. Quid ita, ut observat *Collat. Ambianens.,* t. iii, p. 339, nisi quia alioquin careret lucro quod obtinuisset servando merces usque ad tempus majoris pretii? 2°. Ex consensu omnium theologorum, qui hunc titulum nunc admittunt. Id olim negaverunt quidam ; sed hodie omnino prævaluit hæc doctrina. Vid. Zech, §. 26. Vulgo opponitur S. Thomas : sed explicari potest vel de lucro mere possibili, vel in eo sensu quod non debeat compensari totum lucrum quod speratur. Vid. Billuart, p. 256. S. Doctorem ita

intelligunt veteres theologi. Vid. *Collat. Ambianens.*, p. 350 et seq. 3°. Ex decisionibus SS. Pontificum quoad Montes Pietatis : admiserunt hunc titulum, servatis conditionibus quibusdam, ut modo videbimus (n° 1180). 4°. Ex ratione. Si res attente inspiciatur, manifestum erit lucrum cessans includi in damno emergente : qui enim spe certa aut verisimili et fundata bonum aliquod proxime habendi privatur, eo ipso verum patitur damnum.

Obj. Qui alium sine fraude impedit a consecutione boni non tenetur ad restitutionem : atqui id locum habet in præsenti casu. Ita Dom. Soto, l. VI, quæst. I, art. III, qui ideo hunc titulum admittit quando mutuans invitus quomodocumque cogitur mutuare.

R. Inde sequitur tantum non deberi compensationem absque conventione : sed non improbatur ideo conventio; quod enim me privem lucro in alicujus gratiam, est pretio æstimabile. Neque ipse Soto hanc sententiam omnino reprobat, quamvis eam non admittat.

1174. Requiruntur autem plures *conditiones*.

I^a^ est, ut lucrum sit vel *moraliter certum*, vel saltem *probabile*. Quidam videntur exigere ut sit omnino certum, quia æquum non est ut damnum incertum modo certo compensetur. Verum illud non est urgendum : quia si sit certo probabile, jam est pretio æstimabile; quotidie æstimantur meræ probabilitates. Vid. S. Liguori, n° 770. Sed non sufficeret mera possibilitas, quia meræ possibilitatis ratio non habetur in rebus humanis. Insuper hæc esset aliquid mutuo intrinsecum. Illud bene explicat Bossuet, prop. VII, p. 694, 695. Ut autem lucrum sit probabile, requiritur lucri legitimi potestas seu occasio, et voluntas : uno deficiente, deficit titulus. Qualis vero voluntas requiratur, mox expendemus ubi *de Destinatione lucrativa*.

1175. II^a^ conditio est, ut mutuum sit *causa* cur lucrum

cesset, prout exposuimus ubi *de Damno emergente* (n° 1170). Mox fusius expendemus quandonam verificetur ea conditio : quod non ita facile determinatur.

III[a] conditio est, ut *moneatur mutuatarius*, et in compensationem lucri cessantis consentiat, prout etiam diximus *de Damno emergente* (n° 1172).

1176. IV[a] conditio est, ut adsit *æqualitas* inter lucrum cessans et compensationem quæ exigitur. Cum enim lucrum speratum sit magis minusve incertum, habenda est ratio hujus incertitudinis. Posset quidem iniri pactum de compensando lucro quale eventus declarabit futurum fuisse, si non datum fuisset mutuum, attento nempe lucro quod percipiunt alii mercatores in eodem commercio, vel quod percipit ipse mutuans negotiando cum alia pecunia; observatque DE LUGO, n° 105, non posse mutuatarium cogi ad paciscendum alio modo, prout supra in simili diximus (n° 1171). Sed facile intelligitur non semper occurrere medium dignoscendi quisnam futurus fuisset eventus, si mutuans non renuntiasset negotio quod intendebat, et non raro locum dari posse multis difficultatibus et ambagibus. Unde plerumque satius est ut ab initio determinetur pretium certum pro spe lucri futuri.

Quocumque autem tempore fiat determinatio, sciendum est an fieri debeat deductio ratione laboris quem mutuans adhibere debuisset ad obtinendum lucrum?

Theologi satis communiter distinguunt, cum DE LUGO, n° 98 et seq. Vel labor talis est, ut mutuans eum aliquo pretio redimere vellet, vel non. In priori casu, deducendus est; alioquin mutuans lucrum perciperet, nempe illam laboris cessationem. In posteriori casu, non est deducendus. Hinc si agatur de negotiatore, ordinarie labor non est deducendus : sæpius vero deducendus, si de alio. Si autem quæratur, quomodo æstimabilitas laboris sic pendeat ex voluntate mutuantis? Rem ita explicat DE LUGO, *ibid.*

Mutuatarius dat quodammodo mutuanti otium a labore : si ergo iste vellet illud otium redimere, jam plus accipit quam dat; si vero non curet de labore, non potest cogi ad redimendum laborem pretio, et proinde mutuatarius illud censetur ipsi donare.

Hæc omnia dicta sint consideratis rebus in se, seu independenter a determinatione legis. Quando autem lex determinavit auctuarium, an standum sit hujus taxationi, sive in casu lucri cessantis, sive damni emergentis, jam expendimus in parte I (n° 292 et seq.).

1177. V^a conditio est, ut compensatio *statim non exigatur,* sed tantum tempore quo lucrum cessabit, vel quando reddetur summa mutuata, vel successive pro singulis annis jam elapsis. Ratio est, quia si statim solvatur, jam non totum mutuo traditur : v. g., mutuo 100; si statim recipiam 5, reipsa non mutuo nisi 95, et nihilominus compensationem exigo pro 100. Attamen si daretur in compensationem res alterius generis, cum tunc non impediretur integrum mutuum, nec minus existeret lucrum cessans, videtur nihil fore usurarium. Illud quidam non probant, apud BILLUART, p. 261, quia res illæ vicem pecuniæ subeunt. Sed alii admittunt, observantes solummodo cavendum esse ne nimium onus imponatur mutuatario. Vid. DE LUGO, n° 106; COLLET, n° 217, p. 308 : idem habet D. RICHARD.

1178. VI^a conditio assignari potest, ut *mutuatarius non versetur in* tali *necessitate,* ex qua oriatur obligatio pro mutuante ei mutuandi gratis. Quod intelligendum juxta ea quæ supra dicta sunt, ubi *de Præcepto mutui* (n° 1037).

PUNCTUM 3. *De destinatione lucrativa.*

1179. Ut lucrum cessans sit titulus legitimus aliquid exigendi supra sortem, requiri vidimus ut adsit voluntas in mutuante lucrum obtinendi alio medio legitimo; item

ut mutuum sit causa cur lucrum cesset. Insuper non desunt theologi qui requirunt ut mutuans ita sit dispositus ut mallet ad illum alium modum legitimum recurrere, quam ad mutuum, et ea occasione plures alias quæstiones expendunt. Ut ergo absolvantur quæ spectant ad lucrum cessans, determinandum est qualis voluntas lucri alio modo obtinendi in mutuante necessaria sit, quandonam mutuum sit causa lucri cessantis, ut sic solvantur quæstiones a theologis agitatæ. Hinc ultimis hisce temporibus nata est controversia de *Destinatione lucrativa*, quam theologi sub eo nomine non tractant, de qua tamen quoad ipsam rem spectata quædam, licet quæstionis difficultati non proportionata, apud ipsos reperiuntur.

Destinatio igitur lucrativa tunc adesse dicitur, quando aliquis vult non relinquere pecuniam otiosam, et simul habet, vel certo aut saltem probabiliter sperat se habiturum occasionem lucrandi. Quæstio est an, si ex se ipso sponte huic renuntiet, ut pecuniam suam mutuet, possit aliquid exigere proportione habita lucri sperati.

Porro certum est 1°. mutuantem, si ita agat intuitu mutuatarii, ex motivo charitatis, posse lucrum exigere. 1. Ita expresse definierunt plures SS. Pontifices quoad eos qui mutuum præstabant montibus pietatis; eorum testimonia mox indicabimus. 2. Ita sentiunt theologi, etiam ii qui in præsenti quæstione minus usuræ favent, ut Sylvius, q. lxxvii, art. i, quær. v, t. iii, p. 516; Collet, n° 221, p. 309; Billuart, §. iv, p. 259, et alii. 3. Illud ratio satis indicat. Nam æquissimum est ut mutuatarius compenset damnum quod ipsius gratia incurritur : atqui cessatio lucri in præsenti hypothesi ipsius causa incurritur, ut patet. Nec refert quod mutuans sponte lucro renuntiaverit, quia, ut jam vidimus, ad titulum lucri cessantis non requiritur ut mutuans sit invitus.

2°. Certum etiam videtur, si mutuans ideo renuntiet

lucro quia majus auctuarium sperat ex mutuo, eum non posse illud totum exigere, quia jam non adesset æqualitas inter lucrum et illius compensationem, ac proinde deesset una ex conditionibus supra assignatis. Pariter si mavult mutuare propter labores et incommoda in lucri perceptione subeunda, quæ ipse aliquo pretio redimere vellet, non poterit exigere auctuarium, nisi ad summum deducta illius laboris compensatione, juxta ea quæ supra diximus. Ita pro utroque casu DE LUGO, n° 108, quem sequitur D. RICHARD : illudque a nemine negari credimus.

1180. — 3°. Quæstio est igitur, an possit lucrum exigi, quando mutuans renuntiat occasioni fructuosæ, non intuitu mutuatarii et ex motivo charitatis, sed quia viam mutui judicat sibi magis commodam, et vult vitare quamdam molestiam, quam tamen pretio nollet redimere, sed potius vellet cum illa plus lucrari quam minus sine illa?

Duplex adest ea de re opinio. Prima docet posse lucrum exigi. Ita LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 95, asserens tamen hanc opinionem non esse in praxi suadendam ob periculum palliandi usuras; NAVARRUS, et alii quos citat et sequitur DE LUGO, n° 108. Citatur etiam S. LIGUORI, n^is 769 et 772, qui tamen clare non loquitur, cum dicat in fine : *Ut quis ab usuræ labe sit immunis, malle debet lucrari negotiando, quam mutuando, et mutuare debet tantum in gratiam mutuatarii.* Idem tenuerunt recentioribus temporibus non pauci viri doctissimi. Istæ autem afferuntur rationes. 1. Vere existit titulus extrinsecus et pretio æstimabilis : extrinsecus quidem, quia hujusmodi occasio non necessario et in omni mutuo reperitur; pretio æstimabilis, quia spes lucri est aliquid vere pretio æstimabile. 2. Mutuum est vere causa cur lucrum cesset. Mutuans renuntiavit quidem occasioni, sed conditionate tantum; igitur qui mutuum acceptat, eo ipso fit causa cur lucrum cesset : si enim non acceptaret, lucrum obtineretur, et

mutuans ab illo non abstinet nisi propter mutuum. 3. Debet illud lucrum cessans compensare mutuatarius, licet non cesset præcise intuitu illius, seu ex motivo charitatis erga ipsum; sufficit enim ut sit vere illius causa : sic, ait de Lugo, artifex qui nollet pretio aliquo emere otium a labore, potest exigere totum lucrum laboris ab eo a quo invitatur ad recreationem, licet revera malit totum illud lucrum sine labore. Et revera pretium rei seu operis est determinandum in se, et ex natura sua, non vero ex intentione concedentis : in iis enim quæ ad justitiam spectant absentia motivi charitatis nihil confert, cum æqualitas aut inæqualitas sit ab eo motivo prorsus independens. Tandem nil vetat quin mutuans intendat simul utrumque, et suum commodum, et commodum proximi.

Secunda opinio tenet non posse compensationem exigi, nisi mutuans renuntiet occasioni lucri intuitu mutuatarii, animo ipsi gratificandi, non vero ex intentione commodioris lucri. Ita communius docent theologi : inter alios Toletus, *Instruct. sacerdotum*, l. v, c. xxxiii, n° 2, asserens doctores in hoc convenire ; Sylvius, *loc. cit.*, t. iii, p. 505; Cabassut, *Jur. Canon. theoria et praxis*, l. vi, c. vii, n° 14, quem citant et sequuntur Collet, n° 222, p. 310, et Billuart, p. 260; Antoine, q. xii, p. 62; Habert, q. 3°, p. 323; Gaitte, p. 641; Ballerini, t. ii, opusc. i, *de Montib. Pietatis*, c. iii, §. ii, n° 15, p. 99, ubi S. Antoninum citat; Gerdil, t. xviii, p. 88, 89; Pothier, n° 122; Pagès, edit. ii et iii, p. 123; Labrunie, et alii. Nituntur 1. *decisionibus SS. Pontificum* circa Montes pietatis. Cum instituti fuissent illi Montes ut provideretur necessitatibus pauperum qui usuris immodicis opprimebantur, eis dando mutuum sub modico auctuario necessario ad expensas compensandas, brevi impares fuerunt omnium necessitatibus sublevandis : tunc actum est de medio facultates Montium augendi; cumque

multi pecunias offerrent cum lucro moderato, quæstio mota est an possent recipi illæ summæ. SS. Pontifices, ea de re interrogati, responderunt posse pecunias apud Montes collocari ab iis qui illas occasionibus fructuosis exposituri, zelo charitatis adducti ac pro pauperum subventione, non fœnerandi animo, illis occasionibus renuntiarent : ita PAULUS III, JULIUS III, et PIUS IV : idem statuit cardinalis NAVAREGIUS, episcopus Veronensis, re mature discussa cum theologis qui concilio Tridentino intererant. Ita ex variis monumentis confirmat BALLERINI, *ibid.*, t. 2, p. 96, 97, 99, quem exscribit PAGÈS, *ibid.*, p. 108 et seq. Porro, ut observat idem auctor, si creditum fuisset non requiri eam conditionem, non perpetuo fuisset allegata; et certe aliud medium suppeditare non omisissent tum SS. Pontifices, tum theologi ad consulendum necessitatibus illorum Montium, quibus providendi maxime studiosi erant. Ergo revera requiritur, etc. 2. *Ex ratione.* Eatenus teneretur mutuatarius lucrum compensare, quatenus esset vera causa cur cesset : atqui reipsa non est. Vera enim causa cessationis est motivum quo determinatur mutuans ad pecuniam subtrahendam negotiationi : atqui illud motivum suppeditat propria ipsius commoditas, non præcise mutuatarius. Insuper æquum non videtur ut mutuatarius compenset damnum quod nec ipsius intuitu, nec in ipsius gratiam subit mutuans. Hinc, ut vidimus ubi *de Venditione* (n[is] 689, 691), si quis aliqua necessitate compulsus rem suam vendat, non potest juxta plerosque theologos exigere ultra summum pretium ratione peculiaris affectus : idem hic dicendum videtur.

1181. Inter illas opiniones, quamvis prior sua probabilitate non careat et rationibus satis subtilibus fulciri possit, secunda tamen anteponenda est, præsertim in praxi, ut majori auctoritati nixa, et magis æquitati consentanea. Et revera cum hodie plerique mutuatores mul-

tiplicem viam habeant pecuniam adhibendi in usus fructiferos, et nil aliud in mutuo videant quam unam ex his viis, si prior opinio admittatur, inde fiet ut fere omnibus liceat lucrum exigere, iis exceptis qui lucrum ex pecunia non quærentes solo charitatis motivo determinantur ad eam mutuo tradendam; illis proinde minus concedetur quibus potissimum favendum videretur. Igitur ut determinetur an compensationem possit exigere qui pecuniam suam offert, vel qui eam nonnisi conditionate negotiationi destinaverat, id est, posito quod non ad mutuum peteretur, expendendum erit an motivum determinans ex quo impellitur ad eam mutuo dandam sit utilitas et commodum mutuatarii, an vero proprium commodum : in priori casu compensationem poterit exigere, non in posteriori.

Cæterum judicamus eam quæstionem, si sola spectetur, non tantum ad praxim conferre posse ac multis videri posset. Nam vel agitur de mutuo faciendo, vel de mutuo jam facto. Si prius, agnoscunt multi patroni prioris opinionis, imprimis Lessius et S. Liguori, eam esse adeo periculosam ut in praxi non sit suadenda : et revera quamvis hodie minus sit periculum illusionis circa occasionem fructuosam, timendum est tamen ne desit firma voluntas recurrendi ad viam diversam a mutuo, et ne potius lucrum intendatur vi mutui, ac proinde ne adsit usura saltem mentalis. Si posterius, in praxi reperietur plerosque ex iis qui lucrum perceperunt ex mutuo ad quod sponte recurrerunt, non præcise ratione illius tituli, sed reipsa vi mutui percepisse : ac proinde expendendum supererit an valeat ille titulus, quando contrahens de eo non cogitat; si autem negative respondeatur cum pluribus prioris sententiæ patronis, jam intelligitur non inservire titulum destinationis lucrativæ. Igitur sedulo examinandum est utrum reipsa valeat titulus, etsi contrahens de eo non cogitet : hæc est quæstio majoris momenti in ordine ad praxim; quæ cum respiciat

etiam plures alios titulos, et ordinem habeat præsertim ad auctuarium jam perceptum, eam remittimus ad alium locum, ubi nempe *de Restitutione usurarum.*

Attamen ope voluntatis et facultatis quam habet mutuans pecuniam non relinquendi otiosam, potest facile confessarius efficere ut qui mutuum tradidit sine titulo sibi cognito, habeat titulum in posterum, curando nempe ut firmum efformet pecuniam retrahendi propositum, cui sæpe renuntiandum erit in gratiam mutuatarii, et sic ex tunc aderit titulus.

Punctum 4. *De periculo sortis.*

1182. Ut elucidentur controversiæ exortæ circa illum titulum, plura sunt prænotanda.

I. In mutuo duplex præsertim periculi species a mutuante incurri potest, scilicet *periculum damni emergentis* seu *lucri cessantis*, et *periculum sortis*. Prius locum habet quando mutuans timet ne ob mutuum incurrat aliquod damnum, aut lucro alioquin obventuro privetur. Posterius, quando sors ipsa periclitatur. De priori vix ulla est difficultas : est titulus mutuo extrinsecus, et pretio æstimabilis, ut intelligitur ex dictis; vidimus enim posse iniri pactum de certo auctuario pro damno emergente aut lucro cessante, quorum ordinarie quantitas non est ab initio certe cognita. Id fuse evolvit *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 364-372.

Hinc si sors recuperanda non sit nisi cum laboribus et expensis, pro iis aliquid exigi potest : si enim mutuans non debeat lucrum ex mutuo percipere, neque damnum pati debet; si expensas perferendas haberet, jam illi restitutio non fieret ad æqualitatem.

1183. II. Duplex distinguitur periculum sortis : periculum juris, et periculum facti. *Periculum juris* locum habet, quando mutuans in se suscipit periculum, ita ut

sors sibi, et non mutuatario, pereat. *Periculum facti* adest, quando mutuans timendum habet ne mutuatarius, licet obligatus ad sortem restituendam, non illam restituat.

De *periculo juris* vix ulla adest etiam controversia. Quando mutuans illud in se suscipit, nil aliud agit quam addere mutuo contractum assecurationis : porro potest ipse pro ea assecuratione aliquid percipere, sicut quilibet alius qui sortem assecuraret; nil obstare posse videtur. Vid. *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 372 et seq. Illud admittunt etiam hi qui titulum periculi quale vulgo intelligitur, id est, periculi facti, rejiciunt, ut COLLET, n° 152, p. 288; BALLERINI, t. I, l. VI, c. III, n° 4; GERDIL, t. XVIII, p. 90.

Sola difficultas contra illam decisionem est in declaratione GREGORII IX, CAP. *Naviganti*, XIX, *de Usuris*, V, XIX : « Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans « pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se peri- « culum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est « censendus. » Hujus multiplex affertur interpretatio : multos torquet interpretes, ait ZECH, D. II, §. 63, et vicissim in varios torquetur sensus. Præcipuos recenset et expendit *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 375-384.

1°. Quidam censent legendum esse, *Usurarius non est censendus* : idque deducunt ex connexione textus; statim enim additur : *Ille quoque usurarius non est censendus*, etc., quæ verba sunt paritatis et conformitatis : retenta lectione vulgari, dicere debuisset : *Ille contra*, etc. Vid. *Collat. Parisiens.*, t. I, l. VI, conf. II, §. 2, p. 317. — Verum difficile illud admitti potest. 1. Sensum affirmativum habent omnes editiones, et in hoc sensu referunt antiqui auctores. 2. Prorsus decretoria videtur auctoritas S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, qui eam sic intelligit, *Summa*, l. II, tit. VII, *de Usuris*, §. V, p. 210 : cum enim ipse compilaverit decretales Gregorii IX, et hanc constitutionem ipsis inseruerit, imo cum hujus condendæ auctor

verisimiliter fuerit, et ad eum dirigatur hoc modo, *Fratri R.*, non potuit verum ejus sensum ignorare. Ita Zech, Diss. II, §. 63, 65, qui miratur hoc argumentum a pluribus non fuisse animadversum. Illud animadverterat editor *Summæ S. Raymundi*, Veronæ, 1744, in-fol. (quem putamus fuisse Ballerini), qui ait, *Præfat.*, §. III, n° XIV, p. VIII, exinde tolli omnem ambigendi locum.

2°. Juxta Thomassin, *de l'Usure*, c. XVI, n° IX, p. 390, ibi agitur de eo qui periculum omne rejicit in navigantem vel euntem ad nundinas, et vult lucrum percipere : unde verbum *Suscipit* refert ad mutuatarium, et ibi videt damnationem contractus trini, seu societatis cui adjicitur assecuratio tum sortis principalis, tum lucri. — Sed agnoscendum est hanc explicationem esse satis gratuitam, nec sensui obvio esse consentaneam : unde generatim rejicitur ab aliis auctoribus.

3°. Alii intelligunt de eo qui mutuat eo animo ut in se suscipiat periculum sortis, et inde lucrum reportet ex mutuo, alioquin non mutuaturus; unde hæc verba, *Pro eo quod suscipit in se periculum*, referunt ad verbum, *Mutuans*, et non ad verbum, *Percepturus*, quasi diceret, *Ideo mutuans quia suscipit in se periculum, inde recepturus aliquid ultra sortem*. Ille autem declaratur usurarius, sive propter animum lucrandi ex mutuo, sive propter obligationem quam imponit mutuatario ipsum assumendi in assecuratorem. Ita Billuart, art. V, §. V, p. 266, asserens ita interpretari plerosque ex iis qui admittunt titulum periculi sortis. — Verum observant alii hanc esse meram conjecturam nulli fundamento innixam : neque satis inde explicari decisionem S. Pontificis; si enim mutuans non exigat pro assecuratione nisi pretium justum quod exigere posset alius assecurator, non satis constat eum pro usurario ideo habendum esse.

4°. Nonnulli explicant de eo qui lucrum exigit pro

periculo ficto, vel qui pretium immodicum postulat. Ita explicat La Luzerne, t. III, p. 615, quia tunc moris erat ut exigerentur plerumque usuræ immodicæ. — Sed alii observant nil in textu indicare hunc sensum : imo satis notum est ordinarie navigantem satis gravibus periculis exponi; quod verum erat etiam tunc temporis de eunte ad nundinas, cum plerumque parum tuta essent itinera.

5°. Juxta Fagnan, l. v Decretal., ad cap. *Naviganti*, n° 21 et seq., textus ille intelligendus est tantum de foro externo seu ecclesiastico, non vero de foro interno seu animæ : ideoque non dicitur simpliciter *Est usurarius*, sed *Est censendus usurarius*. Scilicet si mutuans dicat se recipere lucrum, non ratione mutui, sed ratione periculi quod in se suscipit, non est audiendus : licet enim, si verum diceret, excusaretur coram Deo, attamen cum id pendeat ab ejus intentione, Ecclesia quæ non judicat de occultis, præsumit id quod plerumque accidit, nempe creditores in se suscipere periculum ad palliandam intentionem quam habent lucrandi ex mutuo. Eam explicationem multi secuti sunt; inter alios, auctores libri, *Dogma Ecclesiæ*, p. 388 et seq. — Eam multis refellit La Luzerne, t. III, p. 613 et seq., quia si actus non sit in se malus spectatus secundum speciem externam, non debet præsumi malus in foro externo, cum nemo præsumatur malus nisi probetur.

6°. Demum juxta Zech, Diss. III, §. 132, Decretalis intelligenda est de fœnore nautico quale admittebatur in jure Romano, quod nempe permittebat lucrum ratione mutui, et insuper vehementer auctum ratione periculi. Verisimile enim est S. Pontificem fuisse interrogatum in sensu legum civilium, juxta quas susceptio periculi non erat causa exigendi usuras simpliciter, sed eas ultra consuetum morem augendi; et in eo sensu respondet. Quamvis scilicet sive ii qui interrogabant, sive S. Pontifex dis-

crimen agnoscerent inter mutuum ordinarium et illud in quo mutuans suscipit in se periculum, nihilominus cum mens contrahentium præsumeretur eo tempore conformis legibus civilibus, præsumi quoque debuit contractus usurarius, sed non talis expresse declarari. Illa explicatio essentialiter non differt a præcedenti, quam affert etiam Devoti, *Institut. canonic.*, l. iv, tit. xvi, §. xi, *Not.* 2.

Quidquid sit de variis illis interpretationibus, id certum remanet, ait *Collat. Ambianens.*, p. 383, ab omnibus agnosci periculum juris esse justum titulum. Unde qui Decretalem nequeunt explicare, dicunt eam nullibi esse receptam, ap. Zech, D. ii, §. 64. Saltem certum est ex Decretali tam obscura nihil clarum educi posse, ut observat idem *Collat. Ambianens.*, p. 384.

Cæterum ut aliquid percipi possit propter periculum juris, requiritur ut periculum quod in se suscipit mutuans sit verum et probabile; alioquin injustum esset ratione illius aliquid exigere. Non debet ad illud medium recurrere mutuans ut lucrum præcise obtineat, sed relinquere mutuatario facultatem recipiendi assecurationem, vel non; ab illo, vel ab alio. Ita Gerdil, t. xviii, p. 91.

1184. III. *Periculum facti*, de quo agendum restat, duplex a multis distinguitur: unum generale et omni mutuo essentiale, v. g., periculum ne incendio, devastatione, etc., cuncta mutuatarii bona pereant, et sic sortem reddere nequeat; alterum extraordinarium, quod desumitur ex circumstantiis peculiaribus in quibus versatur mutuatarius, vel etiam ex aliis circumstantiis accidentalibus et ideo extraordinariis.

Existimat Billuart, p. 261, non esse legitimam eam distinctionem: quia res in mutuo perit mutuatario; si per casus fortuitos fieri possit ut sors non restituatur, pariter mutuans a multis casibus liberatur: denique potest removeri periculum per pignus, hypothecam, fidejussorem, etc.

Quidquid sit, saltem certum est *periculum commune* non esse titulum aliquid exigendi supra sortem. 1°. Eo ipso quod illud periculum reperitur in quocumque mutuo, non potest esse titulus, ex jam dictis. Hinc saltem de illo intelligendi sunt Patres, quorum plures citat BALLERINI, t. I, l. VI, c. III, §. IV, n° 21 et seq., p. 279, 280, qui reprobant usuram etiam in casibus in quibus memorant mutuantem periculo exponi. 2°. Tale periculum est mera possibilitas, quæ non cadit sub æstimatione, sicut in aliis contractibus : v. g., in venditione pretium non determinatur ex casibus insolitis qui evenire possunt. 3°. Illa pericula sufficienter compensantur per ea a quibus interim liberatur mutuans.

1185. Quoad *periculum extraordinarium*, non ita concordant theologi, quorum opiniones fuse exponunt *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 384-401, et ZECH, Diss. II, §. 40-65.

I^a^ opinio docet esse titulum legitimum. Ita LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 111; DE LUGO, D. XXV, n° 81; GIBALINUS, l. II, c. IV, art. I, n° 1; SALMANTICENSES, c. III, n° 88; DAELMAN, quæst. III, obs. XV, p. 284; *Theolog. Wirceburgens., de Jure et Justit.*, part. I, D. V, c. II, art. III, p. 425, et alii multi quos citat et sequitur BILLUART, p. 202, dicens eam nunc videri communiorem; S. LIGUORI, n° 765, asserens esse satis communem; D. BOUVIER, p. 442; VERNIER, n° 458 et seq.; *Theolog. Tolosan.*, p. 441; D. RECEVEUR, p. 255, et alii non pauci etiam inter theologos qui vulgo rigidiores dicuntur.

Prob. 1°. *Ex auctoritate* SS. Pontificum. Duo exstant præsertim documenta. I^um^ est Responsio S. Congregationis de Propaganda fide pro Sinensibus. Inter XVII quæsita missionariorum Sinarum, quæ leguntur in *Bullario Pontificio S. Congr. de Prop. fide*, t. I, p. 123 et seq., cum responsis ad ea, istud occurrit, p. 124 : « III. In præfato

« regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro cen-
« tum accipiantur absque respectu lucri cessantis aut
« damni emergentis. Quæritur utrum Chinensibus sit
« licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non inter-
« veniat lucrum cessans aut damnum emergens, prædic-
« tam pro centum triginta quantitatem lege regni taxatam
« accipere : et causa dubitationis est, quia in recuperanda
« pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit
« mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod
« necessarium sit coram judice repetere, vel propter alia
« hujusmodi. — Censuerunt ratione mutui immediate et
« præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principa-
« lem : si vero aliquid accipiant ratione periculi probabi-
« liter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos,
« dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabi-
« litatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et
« id quod accipitur. » Refertur autem *ibidem*, p. 131, S. Congregationem die 12 sept. 1645 hæc responsa et resolutiones approbasse, et SS. DD. (Innocent. X), « Ad
« conservandam uniformitatem in prædicatione ejusque
« praxi, omnibus et singulis missionariis.... sub pœna
« excommunicationis latæ sententiæ Sanctitati Suæ et
« S. Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, districte præ-
« cipiendo mandavisse, quatenus præfata responsa et re-
« solutiones diligenter observent, illisque in praxi utan-
« tur, ac ab aliis ad quos pertinebit observari et practicari
« faciant, donec Sanctitas Sua, vel S. Sedes Apostolica
« aliud ordinaverit. » In eo textu, si sensu obvio sumatur, agitur de periculo sortis, quidquid in contrarium asserere conetur Ballerini, t. I, l. VI, c. III, §. IV, n° 28, p. 281 : esto enim quod hæc verba, *Tardet in solvendo*, indicent periculum damni emergentis aut lucri cessantis, et verba, *Coram judice repetere*, expensas; at priora verba, *Quod fugiat*, naturaliter exprimunt periculum sortis, quod

aliunde includitur in postremis verbis, *Propter alia hujusmodi.* Porro, quamvis S. Congregatio non videatur voluisse controversiam dirimere, satis aperte favet opinioni quæ admittit hunc titulum. Quemadmodum autem nollemus nimium insistere excommunicationi ad exaggerandam auctoritatem hujus responsionis, ita non putamus hanc imminui posse ex postremis verbis, *Donec Sanctitas Sua...* : qui enim perpenderit alia quæsita simul proposita, et tantisper notas habuerit controversias tunc in his missionibus ferventes, non dubitabit quin utraque clausula apposita fuerit propter quæsita cæremonias Sinenses respicientia, de quibus toties et tamdiu judicia ferre debuit Sedes Apostolica, antequam perfectam obtineret obedientiam. Et revera videmus in eodem *Bullario, ibid.*, p. 131, jam an. 1656 missionarios Societatis Jesu denuo proposuisse plura ex quæsitis quibus an. 1645 responsum fuerat, sed *de quibus ipsi auditi non fuerant,* ut ibidem dicitur, p. 134. Cæterum de quæsito III non ibi agitur : nec videmus quod unquam Sedes Apostolica quidquam novum ea de re statuerit. Profert quidem BALLERINI, n° 32, p. 284, decretum latum pro missione Japonica : « Utrum liceat ex « Japonis consuetudine mutuam dare pecuniam ad ratio- « nem viginti aut triginta in centum, cum cautione, aut « sine cautione capitalis. — R. Nihil ratione mutui præ- « cise exigi posse titulo lucri : in damno emergente, lucro « cessante, societate negotiationis aut obligatione pretio « æstimabili et vendibili, constitui debere quantitatem « lucri, communi æstimatione definiendam, minori semper « proventu cum adest securitas, quæ et ipsa pretio redimi « potest. Super his monendos et instruendos contrahentes, « et publica auctoritate præscribendam formam contrac- « tus. » Sed ibi nil videmus quod deroget alteri responsioni : contra his verbis, *Minori proventu cum adest securitas quæ et ipsa pretio redimi potest,* fulcitur principium

cui innititur titulus periculi. Pariter opponi forsan posset testimonium cujusdam missionarii (D. Ozanon), qui asserit responsionem datam sub Innocentio X non fuisse nisi provisoriam, et testatur missionarios qui successerunt Jesuitis, cum Sedem Apostolicam consuluissent, non aliud responsum accepisse quam Instructionem directam an. 1749 ad P. Felicem, missionarium in Africa. Vid. Pagès, t. II, p. 117. Sed mox videbimus hanc Instructionem non adversari opinioni quam nunc exponimus.

II^um^ documentum est ea Instructio ad P. Felicem missa jussu Benedicti XIV. In ea expresse agnoscitur, *Ratione periculi cui mutuans sortem exponit, non provenientis ex natura negotiationis sed ex alia causa extrinseca accidentali, posse exigi lucrum tali periculo proportionatum;* et solummodo indicantur cautiones in praxi adhibendæ, ut in fine dicemus : sed vere agnoscitur principium.

2°. *Ex ratione.* Sufficit ut titulus ex periculo sortis desumptus vere sit mutuo extrinsecus, et pretio æstimabilis. Atqui revera.... 1. Est mutuo extrinsecus. Non enim oritur periculum ex mutuo in se spectato, sed ex qualitatibus seu statu mutuatarii, vel ex aliis circumstantiis accidentalibus : porro hæc non insunt cuilibet mutuo, ut patet. Aliunde agnoscunt omnes posse mutuantem sibi providere per pignus, fidejussionem, etc.; ergo essentiale non est ut tale periculum in mutuo incurratur. 2. Est pretio æstimabilis. Quotidie enim pretio æstimantur pericula. Et vero in instanti contractu debet adesse æqualitas : porro non aderit, si nullum lucrum in pactum deducatur pro periculo; omnes enim agnoscunt obligationem periculo obnoxiam esse minoris pretii. Reipsa juxta omnes, si quidam tertius sortem assecuraret, posset pro ea assecuratione pretium exigere : quidni et ipse mutuans? Jus haberet profecto pignus seu fidejussorem exigendi : quod autem tali juri renuntiet, est onus pretio æstimabile.

Tandem ex dictis licet aliquid exigere pro periculo damni emergentis. Jam vero nulla afferri potest ratio cur non idem liceret pro periculo sortis : si enim sors amittatur, incurretur profecto damnum, ac proinde periculum sortis est vere periculum damni. Hæc paritas fere omnia adversariorum argumenta evertit, ut observat BILLUART, p. 263.

1186. IIª opinio hunc titulum rejicit. Ita magis communiter antiqui, teste *Collat. Ambianens.*, p. 384; inter recentiores non pauci, quos citat COLLET, nº 155, p. 289, qui in duas partes scinduntur, alii reprobantes omnino contrariam opinionem, alii eam vere probabilem agnoscentes; ipse COLLET qui, ut ipse testatur, *ibid.*, p. 290, prius alteri opinioni adhæserat, et tandem hanc propugnat, nº 184, p. 298; PIETTE, t. IV, c. VII, q. V, p. 446 et seq.; BALLERINI, t. I, l. VI, c. III, §. I, nº 6 et seq., p. 271 et seq.; GERDIL, t. XVIII, p. 92, qui tamen alibi agnoscit, t. XIX, p. 224 et 235, priorem opinionem vulgo admitti a communi doctorum; et alii, quorum argumenta exponentes simul indicabimus quæ his opponuntur, ut perfecta habeatur controversiæ notitia.

Prob. 1°. *Ex auctoritate*, tum SS. Patrum, quorum nonnulli de illo periculo loquentes, usuram tamen adesse pronuntiant; hos citat BALLERINI, *ibid.*, nº 20 et seq., p. 279, 280 : tum facultatis Parisiensis, quæ an. 1665 in Amadæo Guimenio damnavit hanc propositionem : « Mutuanti licitum est aliquid ultra sortem exigere ra- « tione periculi cui in ea recuperanda exponitur : » tum plurium episcoporum, qui hunc titulum rejecerunt, teste BALLERINI, *ibid.*, nº 32, p. 285. Huic opinioni subscribit etiam BOSSUET, in decreto quod erat edendum in comitiis an. 1682, t. VII, p. 307. — Reponunt alii, SS. Patres intelligi posse de periculo ordinario et communi : volunt ostendere, ait ZECH, D. II, §. 62, p. 133, fœneratores

qui mero lucro inhiant, justo Dei judicio sæpe sortem amittere. Guimenii autem propositio potuit damnari ut nimium generalis, utpote applicabilis cuilibet periculo, et cuilibet mutuo facto etiam pauperi, quod multi excipiunt, ut modo dicemus. Vid. *Collat. Ambian.*, p. 400.

2°. *Ex ratione.* 1. Mutuans debet tantum consulere suæ indemnitati, non lucrum quærere : atqui non consulit paciscendo de lucro supra sortem. Nam vel sortem amittet, vel non : si amittat, jam nec lucrum ipsum recipiet a fortiori; si sortem non amittat, jam opus non est indemnitate. — R. Mutuans consulit indemnitati, quatenus redimit periculum cui exponitur, et efficit ut tempore conventionis tantum recipiat quantum dedit, scilicet obligationem quæ æquivaleat summæ quam ipse tradit mutuatario. Hinc si sors pereat, præterquam quod potest habere auctuarium interim perceptum, compensatus censetur per spem quam habuit tantumdem lucrandi : si sors non pereat, habet rationem percipiendi lucrum propter periculum quod nihilominus subiit. Neque opponatur, hoc admisso, jam posse aliud lucrum percipi pro periculo auctuarii, et sic in infinitum. — R. Possunt omnia illa pericula unico auctuario compensari : quia in conventione habetur ratio periculi utriusque, ita ut si mutuans vellet vendere creditum, reciperet quod dedit. Deinde brevi tam levis momenti evadet periculum, ut nullius æstimationis sit capax.

2. Quod est justus titulus in mutuatario debet esse a fortiori in fure; nam repugnat conditionem furis meliorem esse quam mutuatarii, et conventio quæ initur cum uno, et non cum altero, titulum supponit, sed non illum efformat : atqui titulus iste in fure non admittitur; licet enim majus sit periculum pecuniæ furto sublatæ quam mutuatæ, fur non cogitur aliquid restituere ratione periculi. Ergo, etc. Hoc argumentum demonstrativum judicat Ballerini, §. II, n° 13, p. 273, 274. — R. 1. Adver-

sarii, saltem plerique, qui admittunt aliquid exigi posse pro periculo damni, eamdem objectionem solvendam habent: nihil enim pro tali periculo exigitur a fure. Igitur, inquit Billuart, p. 267, hoc argumentum quod magnificant adversarii, nullius est ponderis. 2. Inter furem et furatum nulla adfuit conventio. Porro in multis accidit ut liceat in pactum deducere quod absque pacto non debetur. Sic, inquit Zech, Diss. II, §. 59, in locatione equi nihil exigi potest propter periculum, si conductor contra voluntatem domini in hostilem terram transierit, modo equus salvus redeat; potuisset tamen antea dominus de pretio hujus periculi pacisci : sic in multis aliis casibus qui afferri possent. Periculum non æstimatur post eventum, sed antea per pactum, ex eo quod quis sine obligatione et sponte in gratiam alterius hoc periculum subeat. Negatur itaque, pergit idem auctor, illa universalis propositio, quod fur teneatur de omni justo titulo, etiam non convento. Id enim tantum verum est, quando reale interesse damni emergentis vel lucri cessantis intercedit, non autem quando agitur solum de periculo : nam restitutionem *veri interesse* metimur ex culpa; compensationem *probabilis interesse* metimur ex pacto. Discrimen est latissimum : *verum* enim *interesse* debet compensari quantum est; *probabile* autem *interesse* compensatur ex æstimatione partium, quæ non datur sine pacto. Sicuti ex furto, ita etiam ex mora non oritur compensatio probabilis periculi, nisi præcesserit pactum. Ratio autem a priori hujus discriminis inter damnum reale et periculum varie explicatur. Juxta quosdam, ubi agitur de reali damno, compensationem recusare nequit violentus mutuatarius; ubi vero agitur de periculo, non potest cogi ad aliquid dandum, quia potest illud avertere per pignus aut aliter; unde in uno casu violentia supplet pactum, non in altero. Ita Billuart, p. 268, addens : « quidquid sit de hac ratione,

« constat saltem sic esse, sicque apprehendit communis « sensus hominum. » Juxta alios, in periculo, malum reducitur ad damnum personale, seu anxietates, timores, etc. Porro pro hujusmodi damno non debetur compensatio pecuniaria juxta multos theologos; et tamen pro illo voluntarie subeundo aliquid in pactum deduci potest. Ita DE LUGO, n^is 81, 82, quem sequitur D. RICHARD, qui ideo addit, in sententia quæ tenet deberi restitutionem pro damno mere personali, necessario aliquid esse a fure restituendum ratione periculi, seu anxietatum quas expertus est rei furatæ dominus. Nec inde sequetur mutuantem, quo magis timidus erit, aut avarus, eo majus lucrum exigere posse. — Reponunt plures apud DE LUGO, n° 85, et D. RICHARD, periculum esse æstimandum in se, non vero præcise ex mutuantis apprehensione. Ibi tamen difficultatem agnoscit de Lugo, quia si ego, v. g., claudus majorem molestiam experiar ad ferendam pecuniam, possum aliquid exigere : ergo a pari in præsenti casu. Sed quidquid sit, exigere poterit tantum quod exigeret fidejussor, vel proportione habita imminutionis quæ locum habet in crediti pretio, ratione habita periculi.

3. Eo titulo admisso, semper hodie licebit lucrum exigere. Semper enim existit grave periculum sortis amittendæ, aut nonnisi cum difficultate et multis expensis recuperandæ : quotidie enim illi qui ditiores habentur fortunæ detrimentum experiuntur; et qui omnino probi imo et religiosi existimabantur non raro omnium spem fallunt. Saltem quo magis pauper erit mutuatarius, eo majus lucrum exigi poterit, quia majus cum paupere incurritur periculum, ut patet. Atqui illud absurdum prorsus videtur. Ergo talis titulus nullo modo est admittendus. — R. 1. Etiamsi aliquo loco vel tempore semper occurreret titulus periculi, non ideo rejiciendus esset : cum enim non ex ipsa mutui natura id oriretur, sed ex loco et tem-

pore, esset nihilominus mutuo extrinsecus, nec ideo tolleretur prohibitio lucri pro aliis locis et temporibus. Revera in regno Sinarum videtur modo generali extitisse ille titulus, nec ideo fuit rejectus. 2. Falsum est semper occurrere periculum. Quamtumvis enim generalis sit depravatio, non desunt tamen viri omni fiducia digni. Aliunde removeri potest, et sæpe removetur periculum per hypothecam, pignus, aut fidejussorem. 3. Quod spectat ad mutuum factum pauperibus, non consentiunt præsentis opinionis patroni. Quidam dicunt non posse lucrum exigi ratione periculi absque injustitia, quia periculum est intrinsecum huic mutuo, quatenus ordinatur ad sublevamen pauperum. Unde hic admittunt exceptionem, quæ innotescit ex variis Scripturæ locis mutuum gratuitum in eo casu præcipientibus. Vid. *Collat. Ambianens.*, p. 397 et seq. Hæc sententia, ait Billuart, p. 271, est pia, et ex hac parte plurimum commendanda. Alii dicunt, et quidem melius juxta D. Richard, non adfuturum peccatum contra justitiam, quia adest æqualitas in contractu, sed tantum contra charitatem, posito quod tales sint circumstantiæ ut incumbat præceptum se exponendi tali periculo. Porro hoc mirum videri non debet. Nam idem locum habet pro periculo damni emergentis aut lucri cessantis, ut observat Billuart, p. 272. Locum habet etiam in multis aliis contractibus, ut in assecuratione, fidejussione, etc. Et ratio a priori est quod justitia respiciat æqualitatem rei, non vero qualitatem personarum. Tandem non obstante præcepto charitatis posset exigi pignus, et revera exigitur in Montibus pietatis, ut observat Zech, diss. II, §. 61 : porro plerumque magis expedit pauperi auctuarium solvere, quam pignus tradere. Ergo non impedit præceptum charitatis quin admitti possit titulus periculi.

4. Periculum sortis est mutuo intrinsecum. Nam oritur

ex qualitatibus mutuatarii; atqui persona mutuatarii est aliquid mutuo intrinsecum. Imo apertius adhuc dici potest oriri ex ipsa mutui natura, quatenus scilicet oritur ex facultate quam acquirit mutuatarius de re mutuata quomodocumque disponendi, unde fieri potest, ut amissa sorte, impar fiat ad eam reddendam. Ita GERDIL, t. XVIII, p. 92. — R. Periculum oritur ex qualitatibus accidentariis mutuatarii; ergo dici nequit mutuo intrinsecum. Revera periculum damni emergentis oritur pariter ex qualitate mutuatarii, et tamen est mutuo extrinsecum : ergo a pari. Ita bene BILLUART, p. 269. Licet autem aliquo modo periculum oriatur ex concessa mutuatario facultate utendi, cum non semper ex ea oriatur, signum est non esse eo ipso intrinsecum. Et revera non tam in his attendendum est, an periculum oriatur ex aliquo intrinseco, vel extrinseco; sed an semper comitetur mutuum, quia ideo exigitur ut titulus sit extrinsecus, ne lex divina illusoria evadat.

1187. Post exposita præcipua momenta quæ in utramque partem proferuntur, prior opinio nobis videtur anteponenda et magis principiis consentanea. Quoad praxim tamen duo sunt advertenda.

1°. Ut lucrum percipiatur ratione periculi, cavendum ut adsint conditiones quas requirunt hujus sententiæ patroni. 1ª est, ut periculum sit verum et in probabilibus conjecturis fundatum. 2ª. Ut mutuatarius non compellatur pro isto periculo pacisci, sed facultatem habeat, si velit, removendi periculum per aliud medium, v. g. pignus, hypothecam, etc.: alioquin mutuans satis ostenderet se non quærere tantum indemnitatem. 3ª. Ut ratione istius periculi non plus exigatur quam illud a prudentibus communiter æstimetur. Attamen quando existit taxatio legalis, hic applicari potest quod diximus de damno emergente et de lucro cessante (n° 1176), et recurrendum ad principia

posita in parte I (nº 292 et seq.). 4ª. Ut auctuarium non exigatur contra debitum charitatis vel eleemosynæ, cujus leges semper debent esse salvæ. 5ª. Ut auctuarium deducatur in pactum, prout diximus ubi *de Damno emergente* (nº 1172). Quid vero dicendum si mutuans, conveniendo de auctuario, ignoret titulum suum aut de illo non cogitet, proindeque animum usurarium habeat, alibi expendimus, ubi nempe *de Restitutione usurarum*.

2º. Non tam frequenter in praxi ex eo titulo possunt excusari mutuantes, quam primo intuitu videri posset. 1. Satis raro reperiuntur omnes conditiones mox assignatæ. 2. Si excipiantur mutua egenis facta, quæ saltem ex charitate omnino gratuita esse debent, raro iis mutuum datur ex quorum parte timetur amissio sortis, præsertim si de iis mutuantibus agatur qui ipsi pecuniam suam offerunt: si timeant, pignus vel hypothecam aut fidejussorem exigunt; quo posito, nihil pro periculo exigere possunt. Ita *Collat. Ambianens.*, p. 401; Ballerini, t. I, l. VI, c. III, §. IV, nº 18, in *Nota*, p. 277. Unde, ut notat Labrunie, illi mutuantes peccant saltem ratione pravæ intentionis. Hinc etiam in *Instructione* ad P. Felicem, de qua supra, post admissum principium quo nititur titulus periculi, additur, cum in praxi difficillima sit æstimatio periculi, et periculosissimum sit exigere auctuarium huic proportionatum, securius esse pro conscientia pauperum Christianorum de quibus agebatur in consultatione, eos hortari ad abstinendum a talibus contractibus, et ad adhibendam suam pecuniam in alios contractus certe licitos. Ap. Pagès, t. I, p. 132.

Punctum 5. *De donatione gratuita.*

1188. Nullum dubium esse potest quin donatio gratuita sit titulus legitimus aliquid percipiendi ultra sortem: *Nihil enim tam nostrum est*, ut fert axioma, *quam*

quod nobis libenter fuit donatum. Illudque verum est etiamsi donatio fiat occasione et intuitu mutui : plerumque enim donationes fiunt ob beneficia præstita, nec ideo minus valent; mutuum autem est beneficium, majus minusve pro circumstantiis.

Sed ut excusetur auctuarium ratione donationis, requiritur ut sit 1°. *sincera* : alioquin esset mera fraus; 2° *libera*, juxta ea quæ diximus parte I, ubi de *Libertate requisita in contractibus gratuitis* (n° 47); 3°. *acceptata* a mutuante ut vera donatio : alioquin esset irrita, et adesset usura mentalis, ex jam dictis (n° 1160).

Ut autem dignoscatur an adsit talis donatio, sequenda est eadem regula quam suppeditat circa simoniam ALEXANDER III, CAP. *Etsi quæstiones*, XVIII, *de Simonia*, V, III : « In accipiendis vel dandis muneribus tria sunt maxime « attendenda, personæ scilicet dantis et accipientis qua- « litas, quantitas muneris, et donationis tempus. Qualitas « personarum, ut a quo et cui, scilicet an a paupere « diviti, vel e converso, sive a divite locupleti datum « fuerit. Æstimatio muneris, et donationis tempus : si « magni vel minoris pretii res data fuerit, et an instanti « necessitate seu alio tempore conferatur. » Ex hac regula, si mutuatarius grave solvat auctuarium, præsertim annuum et taxationi legali proportionatum, et antequam mutuum reddiderit, donatio non debet præsumi gratuita : item, si mutuans per formale pactum stipulatus sit auctuarium, vel si sufficienter ostenderit se illud exspectare tanquam debitum; tunc applicantur quæ supra diximus *de Pactis mutuo adjectis* (n° 1166).

1189. Sunt autem quidam casus speciales de quibus nonnulla observare juvat.

I. Si donatio fiat ne altera vice mutuans mutuum deneget, vel ne ipse mutuatarius ingratus appareat, non constat apud auctores an sit valida, adeo ut liberet a

restitutione. Quidam judicant eam non esse validam, ac proinde adesse usuram. Ita S. Antoninus, Molina, D. CCCIII, n° 11, et D. Bouvier, p. 447. Alii contra negant adesse usuram. Ita de Lugo, D. XXV, n° 35, et alii quos sequitur S. Liguori, n° 763. Ratio est quia possum nolle mutuare ingrato; ergo potest mutuatarius moveri hac ratione ad donandum : nec tunc dici potest vel adesse pactum, vel lucrum percipi vi mutui. — Inter hæc, putamus cum Billuart, D. IV, art. VI, §. II, p. 281, cui non dissentit D. Richard, 1°. adesse usuram, si metus de quo agitur incussus sit ab ipso mutuante, quia tunc videtur adesse pactum implicitum; 2°. si metus incussus non fuerit a mutuante, speculative loquendo absolute fieri posse ut non adsit usura, quia tunc auctuarium non necessario datur ut debitum : addi potest aliquando dari ad vitandum debitum alterius generis; scilicet ex mutuo oritur naturaliter obligatio gratitudinis; sunt autem personæ quæ satius existimant auctuarium dare quam hujusmodi obligationi in posterum subjici; 3°. in praxi tamen vix admitti posse hanc excusationem, tum propter periculum intentionis usurariæ, tum quia plerumque metus ille oritur ex indiciis datis a mutuante. Ita etiam quoad substantiam Salmanticenses, c. III, n° 36. Videantur quæ supra diximus (nis 1163, 1166).

1190. II. Non constat etiam, an mutuanti liceat aliquid gratis a mutuatario donandum sperare? — 1°. Si ea intentio sit primaria, adeo ut sine illa non fieret mutuum, quidam dicunt hoc esse omnino illicitum, ex verbis Christi : « *Mutuum date, nihil inde* sperantes. » Revera, inquiunt, si non licet dare mutuum principaliter ob lucrum ex mutuo percipiendum, nec etiam licet mutuare principaliter ob spem lucri. Ita Concina, quem citat et sequitur S. Liguori, n° 762. Alii tamen non judicant id esse illicitum. Ita de Lugo, n° 29; Billuart, diss. IV, art. IV,

p. 236, et alii. Etenim ibi non est usura, ut constat ex antea dictis. Nec etiam necessario adest peccatum avaritiæ, si nempe sic mutuans ex honesto fine lucrum intendat. Tandem non violatur præceptum Christi; nam præceptum Christi quatenus negativum, respicit tantum lucrum vi mutui perceptum; si ultra extendatur, est merum consilium, alioquin nec ipsa sors sperari posset. Ita communiter intelligitur, inquiunt iidem auctores. Illud verum videtur; sed potest adesse peccatum, vel quando mutuans ita agit ex avaritia, vel si sit expresse dispositus ad non mutuandum etiam quando præcepto charitatis urgeretur. 2°. Si intentio sit tantum secundaria, id est, si mutuans aliquid speret ex liberalitate mutuatarii, nihilominus tamen mutuaturus etiamsi nihil speraret, agnoscunt theologi non adesse peccatum : sine peccato enim desiderari potest quod sine peccato potest accipi; atqui tale est donum gratuitum. Sed major est difficultas, an illa spes manifestari possit mutuatario? — Si manifestetur spes lucri tanquam debiti, jam satis diximus supra quid sentiendum (n° 1166). Si autem exhibeatur ut spes meri doni, nihil videtur illicitum : nam generatim donum ab altero petere licet, modo non tollatur aut minuatur libertas; nec debet facultas illa auferri propter beneficium mutui præstitum. Ita communiter docent theologi, teste DE LUGO, n° 30. Sed advertit ipse, et BILLUART, p. 235, illud esse valde periculosum in praxi : quia valde timendum ne mutuatarius sit invitus; difficile discernitur an exigatur ut debitum; tandem adest sæpe scandalum.

1191. III. De condonatione usurarum quæ jam sunt perceptæ judicandum est ex iisdem principiis. Ut notat *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 522, ut valeat, seu ut libera sit illa condonatio, duo requiruntur : 1°. ut fiat absque metu aut fraude; 2°. ut cum cognitione causæ, id est, ut sciat mutuatarius has usuras non fuisse debitas : si enim

condonet ex errore, jam non adest voluntarium. Hinc dicunt auctores, vulgo expedire ut usurarius offerat realiter summam quam debet restituere, ut melius intelligat mutuatarius hanc sibi deberi, et penes se ipsum esse hanc recipere, sicque condonatio, si fiat, magis certo appareat libera. Advertunt tamen id non esse semper rigorose necessarium, quia aliis viis de libertate constare potest. Advertit D. Richard non sufficere, si mutuatarii nolint restitutionem recipere, ex metu ne hujusmodi lucra habeantur ut injusta, quod sibi nocivum fore judicant. Sic aliquando negotiatores repellent tanquam scrupulosos eos qui volunt restituere, ne postea sint in impossibilitate similia mutua obtinendi : quod adeo verum est, ut postquam a commercio discesserunt, si ipsis offeratur restitutio, multi eam libenter acceptent.

In foro civili, quando perceptæ sunt usuræ supra taxationem legalem, admittitur transactio de iis inita, modo regulariter inita fuerit, et non respiciat usuras in posterum percipiendas. Vid. Troplong, n° 404; Chardon, *du Dol*, t. III, n° 533 et seq.

Punctum 6. *De obligatione non repetendi sortem ante certum tempus.*

1192. Ex ipsa mutui notione intelligitur rem mutuatam non posse repeti ante certum quoddam tempus; alioquin vanum esset et nugatorium (vid. n° 1035). Hinc certum est apud omnes pro tali obligatione auctuarium exigi non posse : cum enim sit a mutuo inseparabilis, non potest esse titulus legitimus, juxta principia posita (n° 1168). Id constat etiam ex prop. XLII ab Alexandro VII damnata, et ex propositione XLI Innocentii XI, quas retulimus *ibid.* Si qua sit difficultas, tota est in probando lucrum illud contrarium fore juri naturali : quia illud

recidit in ipsam quæstionem de oppositione usuræ contra jus naturale; de qua supra.

Sed cum obligatio non repetendi ante longum tempus non sit mutuo essentialis, hinc orta est quæstio an possit esse titulus. Per longum tempus autem quidam intelligunt unum annum, apud BILLUART, Diss. IV, art. V, §. II, p. 248; alii triennium, apud S. LIGUORI, n° 760. Porro plures nec ignobiles theologi, inquit Billuart, contendunt esse reipsa titulum; et multo plures proferri possent qui agnoscunt id esse probabile, quamvis id non admittant: quorum tamen plerique non satis sibi ipsis constant, cum hic nitantur iisdem argumentis quæ ipsi rejiciunt quando afferuntur ad probandum usuram non adversari juri naturali. Unde potius pro hac opinione dicendum est, ex una parte, mutuo essentialem non esse nisi obligationem expectandi per tempus ordinarium, non vero per tempus extraordinarium; ex altera parte, propositionem allatam damnatam fuisse propter suam generalitatem, quia loquitur, non de longo tempore, sed de *certo*, ac proinde quolibet tempore. Vid. S. LIGUORI, *ibid.*

Verum alii communiter juxta plures, saltem communius juxta alios, hunc titulum rejiciunt. Ita MOLINA, qui opinionem contrariam rejicit ut novam et inauditam, simulque periculosam, D. CCCVIII, n° 10; LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 127; DE LUGO, D. XXV, n° 17; BILLUART, *loc. cit.*, et alii multi. Sed agnoscendum est plures ex ipsis, præsertim quando redarguunt opinionem contrariam, non loqui directe de quæstione restricta ad tempus extraordinarium. Ratio eorum est, quod obligatio non repetendi sortem ante tempus determinatum, sive breve, sive longum, est de ratione hujus mutui in individuo; quemadmodum aliqua pecuniæ summa est de ratione intrinseca mutui in genere, et hæc determinata summa, sive magna, sive parva, est de ratione intrinseca hujus mutui in indi-

viduo. Ergo sicut non potest plus accipi ultra sortem, quia magna summa mutuatur quam si parva, ita non potest plus accipi si mutuetur ad longum tempus, quam si ad breve. Insuper longum spatium temporis non est pretio æstimabile respectu mutuantis : nam supponitur pecuniam suam relicturus otiosam; quo posito, parvi ipsius interest an pecunia apud se remaneat, an apud alterum, secluso periculo.

Inter has duas opiniones, tertiam intermediam proponunt SALMANTICENSES, c. III, n° 26, quam plures amplectuntur, sin expresse, saltem per viam restrictionis quam apponunt secundæ opinioni. Juxta eam, spatium temporis non sufficit per se ad præbendum titulum : sed cum sit moraliter impossibile ut mutuans, per longum tempus expectando, non patiatur aliquod periculum, damnum vel incommodum, aut saltem non impediatur ab exercendo aliquo actu liberalitatis aut alterius decentis operationis, ideo potest per accidens de auctuario pacisci.

Existimamus licitum esse rationem habere hujus periculi, ideoque sæpe exigi posse auctuarium. Sed addimus cum BILLUART, p. 250, illud non semper verificari. Quale enim, inquit, periculum subit homo ditissimus in cujus arcis quiescunt millia nummorum, si centum aut ducentos nummos mutuet ad unum aut alterum annum? Simul tamen agnoscimus id quod dicitur de uno aut altero anno non eodem modo verificari si agatur de spatio multo longiori, v. g., de decem aut viginti annis; hodie præsertim, cum pauci sint qui pecuniam suam relinquant tamdiu otiosam.

Impugnari posset principium opinionis communis ex doctrina multorum theologorum, qui docent obligationem mutuandi in futurum esse onus pretio æstimabile seorsim a mutuo, prout supra diximus (n° 1163) : nam obligatio non repetendi ante certum quoddam tempus æquivalet saltem

obligationi mutuandi. — Verum hæc objectio nimis probaret, cum applicari possit cuilibet tempori. Insuper, inquiunt quidam ex illis auctoribus, obligatio mutuandi in futurum non est intrinseca, sed prævia mutuo; dum obligatio non repetendi sortem ante tempus determinatum est intrinseca tali mutuo. Tandem, inquiunt alii, qui mutuam pecuniam dedit non subit ejus periculum; dum ille qui se obligat ad mutuandum in posterum tenetur habere paratam pecuniam cujus periculum subit : ergo adest discrimen. Sed vid. quæ diximus *ibid.*

PUNCTUM 7. *De solutionis dilatione, vel anticipatione.*

1193. Quando summa alicui debita non solvitur eo tempore quo deberet solvi, videtur fieri mutuum implicitum. Satis per se apertum videtur non magis licitum esse inde lucrum percipere quam ex mutuo explicito. Ita docent auctores, et statuerunt multa Concilia. Vid. *Collat. Ambianens.*, t. IV, p. 31 : est communis cum S. Thoma, inquit BILLUART, loquens de dilatione solutionis in venditione, D. III, art. IV, §. II, p. 150.

Quidam tamen occurrunt casus de quibus adest specialis difficultas, quos proinde sigillatim expendere debemus. Observamus eamdem esse quæstionem, si quis contra solvat ante tempus, ideoque velit minus solvere.

1194. I. Si adsit quidam ex titulis jam expositis, v. g., damnum emergens, lucrum cessans, periculum expensarum vel sortis, etc., applicanda sunt quæ diximus. Videri possunt etiam quæ diximus *de Venditione* (n° 727 et seq.) : nonnulla in decursu mox evolventur.

1195. II. Quando auctuarium haberi potest tanquam *pars pretii* conventi, adeo ut summa principalis et illius interesse habeantur pro unico pretio, non aderit usura; quamvis possit esse injustitia, si pretium sit nimium. Sed caute illud applicandum est in praxi : nam etiamsi unicum

ineatur pactum, facile fieri potest ut non sit nisi pactum usurarium.

1196. III. Si vendatur *res frugifera* et statim tradatur ante solutum pretium, quæritur an possit interim auctuarium percipi? — Triplex fingi potest hypothesis : vel conventum est de tempore solutionis et de auctuario interim solvendo; vel concessa est dilatio absque ulla mentione auctuarii; vel denique non nisi post contractum pure et simpliciter initum conceditur dilatio.

In I[a] hypothesi, conventio nihil includere videtur illicitum. Illud patet, si venditor voluerit sibi reservare dominium usque ad pretii solutionem, et rei periculum subire : tunc enim res fructificat domino; et cum venditor, qui remanet dominus, non percipiat fructus, jus habet ad compensationem pro iis recipiendam. Ita omnes admittunt, teste JUENIN, licet in casibus posterioribus severiori sententiæ addicto, *Cas de Conscience*, t. III, Tr. XVI, c. V, §. IV, p. 101. Sed licet venditor non intenderit dominium sibi reservare, idem videtur admittendum, quia tunc et sors et auctuarium censentur pretium constituere, nec ulla adest injustitia quod venditor sibi reservet fructuum perceptionem usque ad pretii solutionem, ut ex mox dicendis magis constabit.

In II[a] hypothesi, dubium est an interesse debeatur etiam in foro externo. Quamvis olim negaret POTHIER, *Vente*, n° 286, asserens esse sententiam communem, quam sequebantur LEOTARDUS, q. XXVII, n° 31, et D. RICHARD, hodie affirmant plerique jurisperiti, ut antea vidimus (n° 727, p. 383, 384). Unde nobis videtur pro foro interno attendendum esse ad intentionem contrahentium, quæ deducetur ex circumstantiis : si reipsa propter terminum concessum auctum fuerit pretium, adeo ut appareat in dilationis concessione venditorem non reipsa attendisse ad interesse per illud tempus solvendum, illud postea exigere

non poterit, cum nullum titulum habeat posteaquam fructuum perceptioni renuntiavit; si vero nihil tale appareat, judicandum erit conventionem initam fuisse juxta dispositionem legis, ac proinde idem statuendum ac de casu sequenti.

1197. De III[a] hypothesi adest præcipua controversia; atque, ut patet ex dictis, ex hujus decisione multum pendet decisio duarum præcedentium.

I[a] opinio negat posse percipi auctuarium. Ita post S. Antoninum Lessius, l. 2, c. 21, n° 109; Salmanticenses, c. II, n° 17 et seq.; Billuart, D. III, art. IX, §. I, p. 186, asserens ita teneri communius; Juenin, qui quæstionem satis fuse discutit, t. III, *loc. cit.*, p. 102-109; Antoine, asserens esse sententiam communem, c. V, q. XVII, p. 97; De Gasquet, *l'Usure démasquée, Droit natur.*, p. 227; S. Liguori, n° 398, et alii. 1°. Res fructificat domino, et æquum est illum habere commodum qui sentit incommodum: porro res pertinet ad emptorem, qui solus subit illius periculum. 2°. In alia opinione non servaretur æqualitas. Nam supponitur res vendita justo pretio quod haberet si solutio statim fieret: porro ex antea dictis pecunia postea solvenda tanti valet quanti nunc soluta; ergo si ob dilationem aliquid amplius percipit venditor, usuram committit. 3°. Nullus videtur adesse titulus. Emptor acquirere intendit dominium directum simul et utile; ergo dici nequit venditorem sibi reservare dominium utile usque ad pretii solutionem. Aliunde lucrum perceptum ab emptore qui simul re et pretio fruitur, nullum jus confert venditori, nisi admittatur lucrum adveniens; alioquin si quis mutuaret emptori ad pretium solvendum, jus haberet ad interesse, pari ratione, ne scilicet iste fruatur simul re et ejus pretio. Denique interesse dici nequit percipi in compensationem fructuum; eo enim admisso, deberet ipsis proportionari, quod plerumque locum non habet. Ergo, etc.

IIª opinio affirmat posse percipi auctuarium. Ita Molina, D. CCCLXVIII, nis 9 et 17; de Lugo, D. XXV, nº 140; Leotardus, qui ait hanc sententiam esse inter jurisperitos receptam, q. XXVII, nº 2, et fuse confutat theologos contrarium sentientes, nº 4 et seq.; *Collat. Ambian.*, t. IV, p. 88; Pothier, *Vente*, nº 283 et seq.; Collet, asserens hanc esse praxim universalem Galliæ, c. I, nº 149, p. 154; et alii, quos sequitur D. Richard. Nituntur autem hoc fundamento. 1°. Venditor jus habet non tradendi rem nisi quando solvitur pretium : ita statuunt aut supponunt omnes leges; ita hodie art. 1612 cod. Civilis, ut vidimus (nis 710, 711); illudque æquitati omnino consonum videtur. Posset igitur interim fructus percipere, et, iis perceptis, æqualitati satisfaceret eam tradendo quando pretium recipiet : si ergo huic juri renuntiet in gratiam emptoris, potest indemnitati suæ consulere stipulando interesse; alioquin evenire posset ut emptor ex solis fructibus pretium solveret, quod esset iniquum. 2°. Nisi contraria conventio ineatur, censetur venditor illam indemnitatem stipulari. Nam *Ea veniunt in contractibus quæ sunt juris et consuetudinis* : porro ex jure debetur illa compensatio : ita olim ferebat jurisprudentia constans in Gallia, licet quamlibet usuram reprobaret; ita hodie expresse statuitur in cod. Civ. art. 1652, ut diximus (nº 727). 3°. Constituta est fixi pretii solutio, ait Collet, nº 151, p. 155, ut litibus et discussionibus infinitis via præcluderetur; illud cognoscunt emptores, penes quos proinde stat non emere fundum ex quo tam uberes fructus non percipiantur, vel statim solvere : est veluti pretium legale, ait D. Richard, cui emptor libere consentit; ergo conqueri non potest, eo magis quod si forte uberiores fructus percipiat, non ideo majus solvet auctuarium.

Hæc secunda opinio admittenda videtur. Ex ejus fundamento jam eversa sunt pleraque argumenta in contra-

rium adducta. Unde breviter responderi potest : ad I, venditorem servare dominium utile rei donec pretium ipsi fuerit solutum, quia non intendit illud transferre nisi ea conditione : nec in eo adest injustitia, licet emptor periculum rei subeat; tum quia, ut observat DE LUGO, n° 141, jus habet ad incrementum intrinsecum rei, sive quoad substantiam, sive quoad valorem; tum quia, ut advertit COLLET, n° 149, p. 155, hujusmodi periculum plerumque nullius est momenti; tum denique quia potest ab illo onere se liberare solvendo pretium. Ad II, servaretur æqualitas etiamsi venditor rem non traderet nisi soluto pretio; ita apprehendunt omnes, et licet venditor rem interim voluisset retinere, idem pretium potuisset exigere : ergo nulla fit injustitia. Ad III, titulus fuit jam assignatus : emptor acquirit jus ad dominium directum et utile, sed utrumque non potest exigere nisi soluto pretio; si ergo antea ipsi tradat venditor, jus habet ad compensationem. Idem dici nequit de eo qui emptori mutuam tradit pecuniam ad pretium solvendum; ille enim nullum jus habebat ad perceptionem fructuum; nullam ergo compensationem exigere potest. Cæterum de hoc fusius infra agemus, ubi *de Cessione creditorum* (n° 1241).

1198. Observandum superest in casu inverso, scilicet quando emptor pretium solvit ante rei fructiferæ traditionem, posse ab eo interesse percipi : adest eadem ratio, nempe jus habet ad compensationem fructuum quos deberet percipere. Est tunc quædam species locationis. Ita docet cum pluribus aliis LEOTARDUS, n° 54 et seq.; POTHIER, *Usure*, n° 131; D. RICHARD.

Ex his sequitur etiam posse interesse percipi pro eo quod dicitur *Retour de partage* : v. g., inter duos dividendi sunt duo fundi, qui cum sint inæqualis valoris, ex unius parte apponitur summa pecuniæ; qui minorem fundum sortitur poterit percipere interesse illius summæ, donec

ipsi soluta fuerit. Ratio est, quia hic vendidisse censetur partem majoris fundi, et qui illum possidet fructus percipit ante solutionem; ergo hic applicanda sunt quæ supra diximus, ut agnoscunt auctores utriusque opinionis. Vid. JUENIN, *loc. cit.*, p. 110.

1199. IV. De mercatoribus qui carius vendunt ob dilatam solutionem, seu, ut aiunt, *à crédit*, non concordant auctores. Non pauci eos excusant. Ita LESSIUS, l. 2, c. 21, n° 56; DE LUGO, D. XXVI, n° 107; S. LIGUORI, n° 811; NICOLE, in speciali tractatu, *Ess. de Morale*, t. VI : addi potest GASTUMEAU, qui in *Dissertatione* jam memorata (n° 1116, p. 276) id adstruere conatur multis argumentis non spernendis. 1°. Adest, inquiunt, saltem plerumque, titulus lucri cessantis aut damni emergentis. Mercatores enim non relinquunt pecuniam suam otiosam, ac proinde si eam haberent, lucrum obtinerent quo privantur. Aliunde ipsi exinde coguntur credito merces emere, et sic carius solvere. 2°. Adest etiam verum periculum. Semper enim inter eos qui credito emunt non pauci fidem fallunt; ergo æquissimum est ut obtineatur compensatio per majus pretium : alioquin brevi corrueret mercatorum fortuna, unde grave damnum pateretur tota societas. 3°. Licet in quibusdam casibus peculiaribus non reperirentur illi tituli, subsistit æstimatio communis, ex qua determinatur verum pretium rerum. Omnibus notum est, juxta illam æstimationem merces carius vendi credito quam numerata pecunia. Et revera pretium augetur vel minuitur pro majori vel minori numero emptorum : porro multi concurrunt ad emendum credito, pauci vero ad emendum pecunia præsenti; ergo mirum non est diversum esse pretium. Ita quoad substantiam DE LUGO, n^is^ 107 et 114; qui tamen suam opinionem non propugnat nisi quoad eas merces quæ credito vendi solent, et propter eamdem rationem admittit res illas quæ communiter emuntur an-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ticipata solutione emi posse viliori pretio, quam emerentur tempore traditionis.

Alii contra sentiunt non posse sine usura carius vendi ob dilatam solutionem. Ita HABERT, c. XII, §. II, q. 11°, p. 293; COLLET, c. I, n° 317, p. 202; BILLUART, D. III, art. IV, §. II, p. 150. Imo dicunt SALMANTICENSES, c. II, n° 440, in hoc convenire omnes : quod intelligendum si habeatur ratio tantum dilatæ solutionis, absque ullo titulo; est enim non solum expressa doctrina S. THOMÆ, 2-2, q. LXXVIII, art. II, ad VII, sed et SS. Pontificum URBANI III, et GREGORII IX, CAP. *Consuluit,* X, et CAP. *Naviganti,* XIX, *de Usuris,* V, XIX, in quibus id satis diserte declaratur. Sed ut bene intelligatur ea decisio, et præsertim ut in praxi applicari possit, plura sunt observanda.

1°. Omnes admittunt non adesse usuram vel injustitiam, quando statur intra limites justi pretii, scilicet modo merces non vendantur ultra summum pretium, nec emantur infra infimum. Ita BILLUART, *loc. cit.*, p. 152; ANTOINE, c. V, q. XI, p. 90; COLLET, n° 320, p. 202. Si enim semper licitum sit vendere supremo pretio, a fortiori id licebit quando venditur dilata solutione.

2°. Quando adest lucrum cessans aut damnum emergens, nullum dubium est quin possit ea de causa augeri pretium. Verum observant MOLINA, D. CCCXVI, n° 4, et DE LUGO, D. XXV, n° 89, quos sequitur D. RICHARD, et alii plures quoad substantiam, caute procedendum esse in hac parte. Nam sæpe nedum ea de causa lucrum cesset mercatoribus, potius augetur; quia vendendo credito plures emptores habent, et plures merces vendunt, nec ideo minus possunt satisfacere iis qui volunt numerata pecunia emere, quia supersunt merces sufficientes; unde superabundanter compensatur lucrum : et licet verum sit quod, si emptor solvisset statim, potuisset mercator cum illa pecunia negotiari et lucrari, non ideo lucrum ei cessat, quia, si non

vendidisset credito, merces illæ apud ipsum remansissent. Præterea non raro evenit ut mercatores quando vendunt credito non habeant occasionem præsentem lucrandi; quod adeo verum est ut non raro malint eo modo vendere.

3°. Quando adest verum periculum, potest etiam augeri pretium erga hujusmodi emptorem, qui si nihilominus solvat, fiet compensatio. Sed non ideo potest majus pretium exigi ab iis ex quorum parte nullum adest periculum; non magis enim tenentur compensare periculum cujus non sunt causa, quam qui emunt numerata pecunia. Aliunde in determinando pretio communi habetur ratio hujusmodi periculi generalis.

4°. Quando agitur de mercibus quæ nonnisi credito vendi solent, videtur stari posse pretio communi quod habent attenta emptorum frequentia. Quod enim frequentia hæc oriatur ex indulgentia venditorum qui dilationem concedunt, per accidens est; nec minus verum est quod adsit multitudo, et illa multitudo communem æstimationem faciat, et non alia sit æstimatio quam quæ credito fit, cum eæ merces ex solitis commercii legibus non nisi credito vendantur. Ita post DE LUGO et plures alios COLLET, n° 324, p. 205, et BILLUART, p. 151. Idem vice versa dicendum de iis quæ nonnisi anticipata solutione emi solent. Aliud vero est de iis mercibus quæ modo venduntur credito, modo numerata pecunia : in iis non attendendum an plures occurrant qui velint emere credito, quam qui numerata pecunia. Nam ideo mutatur rei pretium pro numero emptorum, quia inde ostenditur quatenus multi vel parvi fiat; igitur attendendum est ad numerum emptorum totaliter sumptorum, non vero separatim eorum qui tali vel tali modo volunt emere. Et reipsa si veluti duplex admittatur pretium, illud oritur non ex eo quod merces pluris vel minoris æstimentur in uno quam in altero casu, sed ex eo quod diversa ratio habeatur pecuniæ

præsentis et absentis; quod excusari nequit, nisi excusetur ipsa usura, ut ex dictis facile intelligitur.

1200. V. De anticipata solutione, quam Gallice dicimus *Escompte*. Quæ modo diximus de dilata solutione pari ratione dici debent de eadem anticipata : utraque enim recidit in mutuum implicitum; quando differtur solutio, creditor censetur mutuum dare debitori; quando autem anticipatur, debitor censetur dare mutuum creditori. Eadem igitur principia applicanda sunt. Anticipatio de qua nunc dicendum habemus locum habet, non solum in emptione mercium seu solutione alterius cujuscumque debiti, sed etiam in negotiatione chirographorum; sed de ista sigillatim agemus alio loco (n° 1247), quia occurrunt circa illam difficultates peculiares.

Quando ergo agitur de emptione mercium, aut de debitis ordinariis, anticipata solutio, quam vocamus *Escompte,* in eo consistit quod, si pecuniæ summa solvatur ante elapsum terminum, quædam fiat deductio seu imminutio ratione illius anticipationis. Si nullus adesset titulus nisi anticipata solutio, nihil aliud esset quam mutuum virtuale, ac proinde lucrum inde obtentum esset usurarium; ita et merito POTHIER, *Prêt de consompt.*, n° 128, quem sequitur D. RICHARD : dum contra si adsit lucrum cessans aut damnum emergens ex parte illius qui solvit, nulla adest injustitia; *ibid.*, n° 129. Sed advertendum est in praxi plerumque non tam esse injustitiam, quam reditum ad justitiam. Scilicet quando emptor obtinet a mercatore imminutionem quia statim solvit, non minuitur justum pretium, sed relaxatur tantum excessus qui exigebatur ob dilationem. Vid. LA PORTE, *Princip. théologiq. sur l'Usure*, t. II, p. 493. Sive ergo ille excessus fuerit injustus, sive excusari debuerit ratione lucri cessantis, etc., satis patet nihil injustum esse in imminutione. Sed si illa imminutio esset infra infimum pretium, tunc applicanda forent quæ ex Pothier protulimus.

1201. VI. De *sententia judicis* auctuarium imponente ob solutionis dilationem. Olim disceptabant, et hodie adhuc disceptant theologi, an, posito quod creditor nullum ex dilatione patiatur damnum, possit nihilominus auctuarium recipere, utpote per justam sententiam sibi adjudicatum.

Eam quæstionem jam expendimus part. 1 (n° 296): nec judicavimus sententiam judicis esse per se titulum sufficientem ad recipiendum auctuarium.

1202. VII. In casu *dilationis coactæ*. Quando nempe debitor jam pecuniam habet, nec potest ad terminum solvere, ideoque creditor cogitur cum ipso transigere, sunt qui putant hunc posse auctuarium percipere. Etenim 1°. hic non est casus mutui, quod ex natura sua est gratuitum et liberale; non sponte mutuat, sed cogitur expectare, vel ob impossibilitatem obtinendi solutionem, vel quia debitori mora conceditur a judice. 2°. Obligatio mutuandi in posterum habetur tanquam pretio æstimabilis : porro nonne idem dicendum de obligatione hic et nunc mutuandi? 3°. Fit quædam injuria creditori : cur non posset pro ea de quadam compensatione conveniri?

Hæc non carent omni probabilitate. Attamen difficile id admitteremus : est semper mutuum implicitum, nec videmus titulum sufficientem per se, secluso omni damno et periculo.

Punctum 8. *De Pœna conventionali.*

1203. Intelligitur pœnæ conventionalis nomine pactum initum quo mutuatarius se subjicit ad auctuarium per modum pœnæ solvendum, si tempore præfixo sortem non reddat. Unde patet hunc titulum maximam habere analogiam cum præcedenti, seu esse veluti illius appendicem.

Porro hunc esse legitimum est communis opinio, inquiunt Collet, c. III, n° 300, p. 332, et apud eum Henricus a S. Ignatio; uterque laxioris doctrinæ non

suspectus : hunc admittunt ALAIN DE SOLMINIHAC, et GAITTE, quos citat et sequitur *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 427, 428, quamvis uterque, ut *ibidem* observatur, usuram acerrime insectetur : est communis contra paucos Lovanienses, inquit BILLUART, D. IV, art. V, §. VI, p. 272. Ratio est, quia illud auctuarium seu mulcta non exigitur propter mutuum, sed propter moram culpabilem mutuatarii; ergo non adest usura : debetur ex pacto legitimo, quod nempe ineundi rationem sufficientem habuerunt contrahentes, tum ut consuleretur firmitati contractus, tum ut debitoris negligentia præcaveretur.

Ne tamen sub hujus tituli specie obtegatur usura, variæ requiruntur conditiones. Requiritur 1°. ut hæc pœna *non imponatur in* usuræ *fraudem*, ita videlicet ut propter illam mutuum detur, sed ut imponatur vel quia reipsa interest mutuantis ut summam habeat tempore præfixo, vel saltem vult eam hoc tempore recipere. Unde si malit mutuatarium pœnam incurrere quam summam reddere, si ab initio prævideat eum non posse statuto tempore reddere, gravia sunt indicia intentionis usurariæ, quamvis per se non semper sufficiant ad constituendam injustitiam. Vid. MOLINA, D. CCCXVII, n° 6; DE LUGO, D. XXV, n^is 110, 111. Multum attendendum est ad peculiares circumstantias. 2°. Ut *æquitas* servetur in pœna, nempe ut sit moderata, ut non tota exigatur si pars debiti reddita fuerit, ut mora sit alicujus momenti, etc. 3°. Ut adsit quædam *culpa* ex parte mutuatarii, quia pœna supponit culpam. Ita communiter theologi. Advertunt tamen quidam, sufficere ut mora culpabilis fuerit in causa, v. g., si mutuatarius imprudenter se obligaverit, vel si comessationibus aut dissipationibus solvendi incapacem se reddiderit. Ita DE LUGO, D. XXII, n° 398, quem sequitur D. RICHARD. Imo sufficere videtur culpa juridica, quia nimis arduum foret mutuanti expendere an adsit culpa theologica : et si

mutuantis vere interesset ut solutio fieret tempore præfixo, ne culpa quidem juridica foret exigenda.

Cæterum quia timendum est ne deficiant illæ conditiones, ideo pactum illud habetur ut in praxi periculosum, nec in foro externo olim admittebatur. Hodie non condemnaretur conventio, ut patet : sed non permitteretur ut sub eo prætextu excederetur taxatio legis. Vid. quæ diximus in parte I, n° 292 et seq.

1204. Sed quærendum superest quandonam solvenda sit illa pœna? — Tres adsunt opiniones, quas fuse discutit DE LUGO, D. XXII, n° 400 et seq. : alii exigunt sententiam judicis; alii petitionem mutuatarii tantum; alii nihil. Inter hæc, videtur 1°. non requiri sententiam judicis. Ita communius auctores, inter quos SUAREZ, *de Legibus*, l. V, c. VI, n° 8; MOLINA, D. CCCVII, n° 3; DE LUGO, D. XXII, n^is 400 et 404; COLLET, n° 308, p. 336; BILLUART, *ibid.*, p. 272, et alii, quos sequitur D. RICHARD. Ratio est, quia conventiones per se obligant independenter a sententia judicis; et talis videtur intentio contrahentium, ut nolint recurrere ad judicium incertum et quod nonnisi multis sumptibus obtineri potest. Unde non eodem modo ratiocinandum est ac de pœna per legem imposita : pœna publica applicatur per auctoritatem publicam; sed privata per auctoritatem privatam, ut mox dicemus. 2°. Requiri tamen petitionem alterius contrahentis, seu mutuantis. Ita iidem auctores, et *Collat. Ambian.*, t. III, p. 432. Ratio est, quia mutuans, nisi petat, censetur relaxare. Aliunde est de natura pœnæ ut non se offerat reus ad eam subeundam, sed exspectet sententiam, ubi de pœna legali; ergo exspectare potest petitionem, ubi de pœna conventionali. Cæterum monent illi auctores hæc omnia pendere ab intentione contrahentium, quæ proinde ante omnia inquirenda est : conventiones enim obligant juxta mentem illorum qui eas inierunt.

1205. Hinc deduci potest quid sentiendum *de Pacto legis commissoriæ*. Duplici sensu sumitur, prout apponitur venditioni, vel pignori. 1°. *In venditione*, est pactum, ut, si non solvatur pretium tali tempore, res sit inempta. De eo jam diximus ubi *de Venditione* (n° 741). 2°. *In pignore*, locum habet quando pignus in securitatem sortis traditur, ea conditione ut fiat creditoris, si debitor ex sua culpa determinato tempore non solvat. De eo dicemus ubi *de Mutuo pignoratitio* (n° 1223). Hæc in præsenti indicasse sufficiat ob materiarum connexionem, quia nempe tale pactum fit per modum pœnæ conventionalis.

§. 4. *De variis contractibus in quibus percipitur auctuarium supra sortem.*

1206. Etsi reprobetur quælibet usura, non ideo « negatur, inquit Benedictus XIV, *Encycl.*, §. 3, n° III, « posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios « diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte « collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam honestaque indidem lucra percipienda. » Porro plurimi interest variorum illorum contractuum naturam accurate exponere : nam ex una parte, nonnulli auctores exinde infirmare conantur doctrinam a nobis hactenus stabilitam; ex altera parte, satis notum est sæpe in praxi usuram palliari sub specie variorum contractuum, qui specie tenus a mutuo differre videntur, et in rei veritate sunt unum et idem, saltem in eo sensu quod non magis legitimum præbeant auctuarii percipiendi titulum. Igitur de præcipuis contractibus hujusmodi seorsim dicemus : 1°. de contractu *mohatra;* 2°. de contractu trino; 3°. de censu utrinque redimibili, 4°. de mutuo pignoratitio; 5°. de Montibus pietatis; 6°. de cessione creditorum; 7°. de mutuo quod dicunt negotiationis.

PUNCTUM 1. *De contractu* MOHATRA.

1207. Contractus quem eo nomine designant Hispani, et alii vocant *Barata*, vel *Stoco*, is est : aliquis pecunia indigens merces emit credito, et statim eas vendit eidem mercatori viliori pretio, sed numerata pecunia[1]. Facile intelligitur hic occurrere mutuum vix palliatum, cum auctuario, quod situm est in discrimine quod intercedit inter pretium emptionis et venditionis. Hinc INNOCENTIUS XI damnavit hanc propositionem XL : « Contractus « mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et « cum contractu retrovenditionis prævie inito cum inten- « tione lucri. »

Plures theologi contractum illum excusabant, quia duæ conventiones e quibus coalescit, nempe emptio supremo pretio et venditio pretio infimo, sunt in se justi. Sed ut evertatur hoc argumentum, simulque in casibus peculiaribus accuratum judicium feratur, valde attendendum est ad intentionem contrahentium. 1°. Si adsit pactum explicitum vel implicitum retrovendendi, est merum mutuum: illud enim intendunt contrahentes, licet aliud fingant, cum emens nolit merces, sed pecuniam, et vendens velit summam datam cum auctuario. Unde mirum non est ex duobus contractibus licitis exsurgere unum illicitum, quemadmodum, inquit PIETTE, t. IV, c. VII, q. 4, §. 1, p. 432, ex terra pura et ex aqua munda fit lutum immundum. Hinc contractum illum jam reprobatum videmus ab antiquo auctore inter opera S. Athanasii, t. II, col. 361, 362, n° 3, prout refert BALLERINI, t. II, opusc. I, c. IV, §. III, n° 49, p. 121, ubi merito observat idem dicendum esse de illo qui ab eo qui pecunia indiget merces emeret pretio

[1] Ait CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 506, olim sæpe debuisse a tribunalibus reprimi venditiones immobilium, in quibus adhibebatur tale pactum ad constituendum censum supra taxationem legalem.

infimo cum pacto ut iste pretio summo eas redimeret, et ita pecuniam ipsi cum lucro restituendam crederet. 2°. Si non adesset illud pactum, et primus emptor posset revendere cuicumque vellet, et libere offerret venditori, iste injustitiam non committeret emendo viliori pretio, modo semper staret intra limites justi pretii : non enim est pejoris conditionis quam alii; neque tunc duæ venditiones in unum coalescerent. Ita BILLUART, D. III, art. X, p. 193, 194; nec abnuit COLLET, asserens ita communiter doceri, c. I, n° 272, p. 191, ubi citat HABERT, c. XII, §. I, q. 6°, p. 284.

PUNCTUM 2. *De contractu* TRINO.

1208. Eo nomine designatur contractus societatis cui adjicitur duplex contractus assecurationis, vel, ut alii dicunt, contractus assecurationis et venditionis majoris lucri incerti pro minori certo, isto modo : trado pecuniam mercatori, et cum eo societatem ineo, vi cujus particeps ero lucrorum, quæ spes est fore 15 p. 100; sed metuens ne capitale pereat, mercatori promitto 5 p. 100 ut illud assecuret, sicque jam non spero nisi lucrum 10 p. 100, et quidem adhuc incertum; tandem mercatori vendo lucrum illud incertum pro lucro minori certo, seu illi promitto alia 5 pro 100 ut mihi assecuret 5 quæ supersunt : his ergo contractibus obstringitur mercator ad mihi reddendam integram sortem cum auctuario 5 p. 100.

Vulgo perhibetur NAVARRUS fuisse hujus contractus, seu potius contractuum conjunctionis inventor, et multi dicunt eum sibi ipsi gratulari de excogitato hoc medio favendi desideriis regis Lusitaniæ. De his contractibus loquitur in *Manual. Confessariorum*, c. XVII, n° 254 et seq., brevius in *Consilior.*, lib. V, *de Usuris*, c. XXIV et XXV, et præsertim in *Commentar. in* CAP. *Si fœneraveris*,

n° 32 et seq. (Oper., t. I, p. 233, vel ad calcem *Manualis*), ubi ait quidem se hunc modum Ulyssiponæ Regiæ Majestati obtulisse, sed addit se illum collegisse a quibusdam theologis antiquioribus quos citat. Revera, non expendendo an vere dixerit THOMASSIN, *Tr. de l'Usure*, part. II, c. XVI, p. 386 et seq., et post eum JUENIN, *Cas de Consc.*, t. III, tr. XVI, c. IV, §. V, p. 36 et seq., et plures alii, trium horum contractuum mentionem fieri in scriptis ZONARÆ canonistæ Græci sæculi XI, et BALZAMONIS sæc. XII, qui contendunt hos fuisse reprobatos in concilio Nicæno sub his verbis : *Si quis inventus fuerit ex adinventione aliqua usuras sumere*, etc., illud, inquam, non expendendo, satis aliunde certum videtur quosdam theologos ante Navarrum de iis contractibus locutos esse, quamvis forsan non ita aperte. Vid. ZECH, Diss. III, §. 158 : quosdam etiam citat LA LUZERNE, t. III, p. 142 et seq. Sed constat eos contractus fuisse magis distincte propositos a Navarro, qui ea de re adversarium habuit DOM. SOTO, l. VI, q. VI, art. II. Hinc majorem famam adepta est illa controversia, quæ locum dedit SIXTO V edendi an. 1586 constitutionem *Detestabilis*, in qua[1], inquit BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. X,

[1] Hæc sunt verba SIXTI V : « Detestabilis avaritiæ ingluvies.... usque « adeo excæcat mortalium mentes, ut multi avide lucro inhiantes in « laqueos et insidias diaboli misere incidant. Irrepit enim versute et « callide antiquus humani generis hostis per varios dolos et fallacias, « et incautos homines quæstus dulcedine captos ac delinitos opprimit, « atque eo perducit ut seipsos in usurarum voraginem, Deo hominibus- « que odiosam, sacris canonibus damnatam, et christianæ charitati « contrariam immergant.... Sicuti nuper cum magno dolore audivimus « hoc malum in quasdam provincias pervasisse. Nam multi speciosum « et honestum societatis nomen suis fœneratitiis contractibus præ- « texendo, hoc quasi colore et fuco, mercatoribus, opificibus, nego- « tiatoribus, et aliis personis, super eorum mercibus, officinis, taber- « nis, panariis, aliisque rebus ac bonis, pecunias suas aut alias res, « societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa anima- « lia, agricolis seu terrarum cultoribus, pastoribus aliisque rusticis, « seu quibusvis personis dant in societatem, sive ad soccidam, ut

c. VII, n° III, « Duplicis securitatis pactionem societati « adjectam usurariam pronuntiavit, eamque deinceps fieri

« dicunt, ea conditione ut sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur « capitale, tam pecuniarum quam animalium et rerum, salvum sem- « per et integrum existat pro eo qui, non industriam aut operam, sed « pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert; utque « omne periculum et damnum ab altero socio recipiente sustineatur, « contra æquitatem et societatis justitiam, diversimode paciscuntur; « eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes et « egenos, suoque labore et industria victitantes, ad sortem seu capi- « tale restituendum, quicumque tandem casus et rerum eventus con- « sequatur, pacto et obligatione obstringunt; simulque etiam certam « lucri quantitatem et summam, veluti tot pro quolibet centenario in « singulos annos aut menses, per alterum socium durante societate « solvendam præfiniunt ac præscribunt; eamque summam et quanti- « tatem, non subductis rationibus accepti et expensi, quod in codices « seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo vel computo « pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem et curam « computandi et calculandi se invicem remittere et renuntiare asse- « rentes, quovis tempore certam constituunt. — §. 1. Proinde Nos.... « hujusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium « perniciem latius serpat, quantum Deo favente possumus, tollere « cupientes, de attributæ nobis apostolicæ potestatis plenitudine, hac « nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus « omnes et quoscumque contractus, conventiones, et pactiones posthac « ineundos, seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecu- « nias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, « ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissio- « nem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, et « integrum a socio recipiente restituatur; sive ut de certa quantitate « vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respon- « deatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones et pac- « tiones, usurarios et illicitos posthac censeri debere; atque in pos- « terum non licere iis qui pecunias, vel animalia aut alias res in « societatem tradunt, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter « se pacisci et concordare; neque etiam, sive ad certum, sive ad incer- « tum lucrum convenerint, socios qui ea recipient ad sortem seu capi- « tale salvum et integrum, ubi illud casu fortuito perierit vel amissum « erit, reddendum, quovis pacto aut promissione sibi obligare; ac ne « de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis et conventioni- « bus quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus et « prohibemus. » *Bullarium Roman.*, t. IV. part. IV, const. LXVIII, p. 263.

« prohibuit. Et nihilominus, pergit idem Benedictus XIV, « nondum causa finita est. » Ut eam accurate exponamus, et quantum fieri poterit elucidemus, agemus separatim de variis modis quibus iniri possunt illi tres contractus. Quoniam scilicet eorum patroni ex eo quod iniri possint cum diversis personis concludunt iniri quoque posse cum eadem, hunc duplicem respectum seorsim expendemus.

1209. I°. *De tribus contractibus initis* CUM DIVERSIS PERSONIS. Quibusdam videtur eum qui in societatem confert solam pecuniam non posse jus habere ad lucrum, nisi periculum illius incurrat : cum autem societati adjectis duobus aliis contractibus, jam non supersit periculum, inde concludunt eum jus non habere ad lucrum, sed totum jus suum debere transmittere iis qui periculum subeunt. In eam opinionem satis inclinare videtur BALLERINI, t. II, opusc. II, c. III, §. V, n° 33-36, p. 188 : juxta eum, vel totum lucrum tribuendum est assecuratoribus, vel quod superest dandum est ei qui industriam ponit, quia ex parte capitalistæ nullus superest titulus ad lucrum; quemadmodum ubi taxatur pretium industriæ, uti fit cum non adhibentur nisi ministri pretio conducti, quidquid lucri superest tribuendum est iis qui capitalis pericula subeunt. Idem expresse docent GENETTUS auctor *Theolog. Gratianopolitan.*, t. I, tr. IV, c. XIV, q. 13, et PONTAS, v° *Société*, cas V, etiamsi societati addatur unus tantum contractus.

Attamen alii pene omnes, teste COLLET, c. IV, n° 73, p. 399, admittunt tres illos contractus cum diversis personis iniri posse. Etenim duo posteriores contractus sunt aliquid mere extrinsecum societati, proindeque non possunt eam subvertere : ergo qui pecuniam contulit retinet dominium partiale fundi socialis, nec reipsa alius assignari potest ad quem transeat illud dominium; ergo servat etiam jus ad quoddam lucrum, juxta notiones antea expositas (n^is^ 857, 858). Jam vero nihil vetat quin jus illud ad alios

transferat ad sibi assecurandum sive sortem, sive lucrum : neque ideo tenetur ipse toti lucro in eorum favorem renuntiare; quod duplici modo explicari potest. 1°. Licet ille qui confert pecuniam in societatem debeat illius periculum directe subire, non existimandum est jus illius ad lucrum ita ex periculo oriri ut ipsi soli necessario proportionatum esse debeat : etenim alter socius majus certe lucrum ipsi tribuet quam tribueret ei qui assecuraret parem summam ab ipso expositam negotiationi; nisi illud admittatur, dicendum erit nullam spem lucri fundatam habere socium, sed mera alea ludere, quod nemo sentiet. Ratio ulterior est, quod jus sociorum oriatur ex eo quod res domino fructificet, ut diximus. 2°. Dici potest cum BALLERINI, *ibid.*, n° 37, p. 191, nihil obstare quominus rem aliquis emat ab uno viliori pretio, et postea alteri carius vendat, modo intra latitudinem justi pretii, ex communi æstimatione determinati : porro hic nihil aliud peragitur : capitalista periculum subiens erga socium acquirit jus ad tale lucrum, et postea minori pretio periculum illud a se avertit. Ergo nihil occurrit injusti.

Nota. Parvi interest ad præfatam quæstionem utrum, inita societate cum uno, duo alii contractus cum eodem tertio ineantur, utrum vero cum duobus diversis : eadem semper militat ratio.

1210. II°. *De tribus contractibus* CUM EADEM PERSONA. Possunt fieri vel simul, vel successive : dicuntur fieri simul, quando primus non initur nisi eo pacto et conditione ut ad alios duos deveniatur.

I. *Si* SIMUL *ineantur.* Magna adest controversia, quam in Germania exortam circa initium sæculi XVI, fuisse ad Facultatem theologicam Parisiensem ab Eckio delatam testis est ZECH, D. III, §. 158.

I^a *opinio* tenet esse licitos. Ita respondit Eckio Johan. MAJOR, doctor Parisiensis, cum ipsa Facultas congregari

non potuisset, et postea docuit in *Comment. ad* IV *sent.*; testatur alius doctor hanc opinionem ibi fuisse eo tempore communem, quamvis juristis contrariam, apud LA LUZERNE, t. III, p. 154 : ita plures alii gravissimi doctores, quorum longa series exhibetur *ibid.*, p. 142-209, e quibus indicare sufficiat TOLETUM, MOLINAM, LESSIUM, DE LUGO, DE VALENTIA, GIBALINUM, SALMANTICENSES, etc. : ita plures academiæ et universitates variarum regionum, quæ *ibidem* citantur : demum S. LIGUORI, n° 908, asserit hanc opinionem esse communiorem.

Prob. Ut valeat triplex contractus, sufficit ut nec usurarius, nec injustus necessario habendus sit : atqui revera, etc. 1°. Non est necessario usurarius. Nam 1. non necessario recidit in mutuum. Pecuniæ enim dominium non transfertur in alterum socium, qui nequit de illa pro nutu disponere, sed tenetur eam in negotiationem adhibere : ex eo autem quod ipsi pereat, non magis sequitur eum esse dominum, quam in locatione, vel commodato in quibus locatarius aut commodatarius rem assecurant; non magis quam tertiam personam quacum initi essent duo posteriores contractus. 2. Nil obstat quin perseveret vera societas : tum quia difficile probaretur ad eam essentialiter requiri communionem damni; tum quia verissime dici potest eum qui confert pecuniam esse damni participem : ille enim damno participat qui ad illud a se avertendum aliquid dare cogitur, scilicet renuntiando majori lucro quod sperabat; illudque etiam satis ostendit eum remanere dominum, alioquin non teneretur sic aliquid solvere ut sibi non pereat. Ergo triplex contractus non est usurarius. 2°. Nec injustus. Esto enim quod aliquando reperiatur injustitia, quando scilicet non potest sperari ex negotiatione lucrum sufficiens ut, eo imminuto pro duplici assecuratione, aliquid adhuc supersit : verum sæpe non ita est; quod facile deduci potest, tum ex communi æstima-

tione, cujus est pretium in hujusmodi rebus determinare, tum ex praxi mercatorum, quibus ille contractus adhuc lucrum satis copiosum producit, alioquin ab eo talibus conditionibus ineundo profecto abstinerent. Ergo, etc. Et vero, inquiunt, quilibet ex iis contractibus est in se justus, adeo ut tres iniri possint cum tribus personis, juxta fere omnes theologos, imo successive cum eadem juxta multos etiam ex adversariis, ut mox videbimus : porro hoc posito non concipitur cur injusti evaderent cum eodem simul initi; siquidem justitia non attendit ad personas, sed tantum respicit æqualitatem rei ad rem. Ergo, etc.

1211. II^a *opinio* tres illos contractus reprobat. Ita S. ANTONINUS, SOTO, *loc. cit.*, SYLVIUS, et alii plures quos citat et sequitur BILLUART, D. V, art. III, §. III, p. 325; PIETTE, t. IV, c. VII, q. IV, §. 2, p. 434; COLLET, c. IV, n° 32, p. 385, ubi asserit ita communiter teneri, quod verum est saltem pro Gallia; GAITTE speciali opusculo, *de Usuraria trium contractuum pravitate,* et inter auctores ab initio citatos, imprimis BALLERINI, t. II, opusc. II; LECOQ, p. 205 et seq. : ita expresse declararunt plures synodi sive provinciales sive diœcesanæ in Belgio et in Galliis habitæ, quas indicat Ballerini, p. 198: ita plures episcopi tum Hispaniæ, tum Italiæ *ibid.* citati, et præsertim Galliæ, qui damnando librum cui titulus : *Apologie des Casuistes,* expresse proscripserunt contractum trinum; quibus præiverat ALAIN DE SOLMINIHAC *Epist. cit.* : ita pluries Facultas theologica Parisiensis, nempe ann. 1641, 1658 et 1664, ut refert *Collat. Paris.*, t. II, l. I, conf. II, §. 2, p. 51 : ita *Collatores Parisiensis,* ibid., *Ambianensis,* t. IV, p. 122 et seq., *Andegavensis,* conf. VIII, q. II, p. 605, *Lucionensis,* et alii plures : ita demum POTHIER, *Contr. de Société,* n° 22, D. RICHARD, LABRUNIE, et alii.

Prob. 1°. *Ex principiis circa mutuum.* Ostensum est

nihil percipi posse supra sortem vi mutui : atqui hic lucrum perciperetur vi mutui. Nullus enim adest titulus extrinsecus; et ille triplex contractus in rei veritate nihil aliud est quam merum mutuum, tum ex natura sua, tum ex intentione contrahentium : ex natura sua, quia si comparetur cum mutuo, manifestum erit non differre nisi verbis, et eadem esse obligationes et jura; ex intentione contrahentium, quia qui contractum societatis init cum pacto ad alios deveniendi revera nihil aliud intendit quam merum mutuum, nec sincere intendit societatem : illudque adeo verum est, ut si ille qui pecuniam recepit bonis suis cedat, alter coram tribunalibus habeatur ut merus creditor, cui simul cum aliis satisfiet, dum contra si esset socius ad nihil jus haberet nisi postquam satisfactum fuisset creditoribus[1]; ergo, etc.

Hinc jam intelligitur quædam disparitas inter casum præsentem, et eum quo tres contractus cum diversis personis ineuntur : in isto enim non reperitur mutuum, ut facile intelligitur. Quemadmodum ergo non licet contractus *mohatra* cum eodem initus, quamvis valeat initus cum duobus, ita mirum videri non debet in præsenti casu, etc.

2°. *Ex principiis circa societatem.* 1. Ex eo quod per duos contractus posteriores plane *evertatur societas.* Cum tota spes lucri ex parte illius qui pecuniam confert nitatur societati, si societas evertatur, erit spes prorsus illusoria, ac proinde non poterit talem spem alteri transferre tanquam pretium assecurationis : aliunde si duo posteriores contractus evertant societatem, cum primus contractus non ineatur nisi cum pacto deveniendi ad alios, dicendum est contrahentes non velle sincere societatem, cum eam non velint nisi sub conditione ipsi repugnante. Atqui

[1] Testatur Ballerini, n° 27, p. 184, se istud argumentum ex ipsa praxi deductum proposuisse nonnullis contractus triplicis defensoribus magni ingenii, qui solvere non potuerunt.

revera duo contractus posteriores evertunt societatem. Ibi enim tollitur societas, ubi nihil jam commune remanet : atqui in præsenti casu nihil commune remanet; sive enim negotiator lucrum obtineat, sive majus sive minus, sive damnum patiatur, alter nullatenus particeps erit, sed in omni eventu idem obtinebit; ergo verbo tantum, non reipsa socius est : quemadmodum si ille qui industriam ponit, certum sibi assignet pretium, non socius, sed merus minister habebitur, et aderit locatio operarum; sed hoc discrimine quod locatio in personam optime cadens omni jure probetur, ut antea diximus (n° 880), dum in præsenti casu efficitur merum mutuum, vi cujus nihil percipi potest ex antea dictis. Ergo, etc. 2. Ex eo quod per duos posteriores conventiones *auferatur titulus lucri* percipiendi ex parte illius qui pecuniam contulit; quo posito, non potest lucrum illud alteri transferre in pretium assecurationis. Sub duplici respectu illud considerare possumus; ratione periculi, et ratione dominii. Ratione *periculi,* si quæstionem expendamus ex theologorum, canonistarum et jurisperitorum sensu, agnoscemus lucrum illi esse adjudicandum, cujus periculo capitale negotiationi per societatem exponitur; sic si procurator rerum alienarum depositarius, imo et fur, alienam pecuniam in societatem conferunt, non domino, sed illis fructificabit, quia est illorum periculo : ergo qui non confert nisi pecuniam, jus non habet ad lucrum nisi periculum subeat : porro periculum in nostro casu non subit; ergo jus non habet ad lucrum; ergo non potest illud alteri transferre. Ratione *dominii,* cum hic agatur de rebus primo usu consumptibilibus, usus non potest a dominio separari; ergo negotiator vere acquirit integrum et exclusivum illius pecuniæ dominium; ergo prætensus socius nullum jus habet ad lucrum.

Hinc iterum intelligitur ratio disparitatis inter triplicem contractum initum cum tribus, et initum cum uno :

in priori casu, perseverat vera societas, ut jam advertimus, non in posteriori; in priori, superest justum pretium assecurationis, non in altero : igitur quamvis spes, v. g., decem pro centum sit in se justum pretium assecurationis, inde concludi nequit justitia contractus trini, nisi simul ostendatur spem illam juste permanere in eo qui init triplicem contractum; quod non ostendunt prioris sententiæ patroni.

1212. Hæc sunt præcipua utriusque opinionis argumenta ex ratione desumpta. Nunc quædam observanda supersunt.

1°. Probabiliorem existimamus posteriorem opinionem. Non negamus tamen argumenta valde subtilia in gratiam prioris afferri posse : quod ei mirum non videbitur qui attenderit 1°., non ita facile esse in contractibus præsertim qui e plurimis elementis, ut itam dicam, efformantur, assignare quænam sit specifica ratio cur sint legitimi et lucrum producant; 2°. præsentem quæstionem recidere in alteram de usura ex jure naturali injusta, quam multis obnoxiam difficultatibus, si ex solo rationis lumine investigetur, libenter cum plerisque theologis confitemur : ex quo magis ac magis dignoscitur quam prudenter agat, et conscientiæ suæ bene consulat qui ad auctoritatem in præsenti materia confugit.

1213. — 2°. Si præsentem quæstionem ex auctoritate[1] expendamus, jam indicavimus plura gravia documenta contra triplicem contractum. Ulterius progrediuntur varii auctores, qui asseverant hunc fuisse absolute damnatum

[1] Quidam theologi afferunt contra triplicem contractum CAP. *Naviganti*, seu decisionem Gregorii IX de pecunia data mercatori naviganti: alii afferunt in ejus gratiam textum Innocentii III, CAP. *Per vestras*, de dote mercatori committenda. Verum de priori textu jam diximus ubi *de Periculo sortis* (n° 1183); de posteriore autem loquemur ubi *de Mutuo pignoratitio* (n° 1230).

a Sixto V : cum enim de hoc præcise contractu controversia moveretur inter Navarrum et Soto, eam dirimere voluit Summus ille Pontifex, et reipsa diremit per constitutionem latam *de plenitudine apostolicæ potestatis*, ad mores informandos, et in qua *duplicis assecurationis pactionem societati adjectam usurariam pronuntiavit*, prout loquitur Benedictus XIV, *loc. cit.;* unde causam finitam esse ipsi pronuntiant : quod enim opponunt prioris sententiæ patroni, scilicet, teste Comitolo, *Resp. Moral.*, l. III, q. XII, n° 3, cardinales quibus a Sixto mandatum fuerat munus componendæ bullæ declarasse, *Noluisse Sixtum sua lege prohiberi nisi injustos societatis contractus; quare qui ante legem latam justi erant, post latam quoque licere*, id nihil aliud probat nisi quod Sixtus noluerit novam legem condere, sed contractum proscribere quem deprehenderat jam in se turpem et usuræ labe fœdatum; quod etiam intelligitur ex facto quod narrat Benedictus XIV, nempe cum ageretur sub Clemente VIII de compilando libro VII Decretalium, deliberatum fuisse die 12 nov. 1593 non esse inserendam Constitutionem Sixtinam, eo quod nihil novi in ea decernatur, sed contractus reprobetur in se fœneratitius, jam a jure communi proscriptus.

Sed ex gravissima theologorum dissensione, etiam post illam constitutionem, concludi potest quæstionem haberi non posse ut omnino definitam. Et revera 1. non constat voluisse Sixtum V triplicem contractum usurarium in omni casu declarare : verba ab eo adhibita in proœmio restringi possunt ad casus in quibus justitia violatur; idemque satis probabiliter concludi potest ex eo quod nonnisi in posterum prohibeantur illi contractus. Vid. La Luzerne, t. III, p. 645 et seq. 2. Illa constitutio rigorose intellecta damnaret etiam duplicem contractum, quem tamen licitum propugnant plerique auctores, ut mox dicemus. Ita Billuart, p. 326, cui id satis apertum videtur ex attenta

constitutionis inspectione. 3. Ex declaratione mox allata, et ex interpretatione doctorum qui post Bullam sive Romæ sive alibi scripserunt, manifestum videtur, vel Sixtum V non absoluta damnatione triplicem contractum reprobasse, vel ejus constitutionem, datam ad dirimendam controversiam inter duos privatos doctores exortam, haberi non debere tanquam judicium Sedis Apostolicæ quod vim habeat in locis in quibus non est promulgatum. 4. Demum hæc habet post expositam controversiam Benedictus XIV, *loc. cit.*, n° VI, cui omnino standum putamus : « Neque « Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere « videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenus censuram « inussit, a qua proinde eidem infligenda debet episcopus « abstinere : ad usum vero quod attinet, tuto poterit con- « tractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculo- « sum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo « suos subditos dehortari; quod a plerisque episcopis in « suis diœcesanis synodis sapientissime factum referunt « Genettus, *tom.* I, tr. IV, c. XIV, Natalis Alexander, « *Epist.* 94, *in Append. ad tom.* II *Theol. Moral.* » Nec ab his recedit S. Liguori, qui post expositas duas opiniones, ait, n° 908 : « Secundam sententiam (contractui « faventem) tot auctoritatibus et rationibus roboratam.... « et ego satis probabilem reputo. Cæterum, quia non po- « test negari hujusmodi contractum periculo non carere « animi usurarii, hinc censeo expedire ut prima sen- « tentia universe omnibus suadeatur. »

1214. — 3°. In præsenti quæstione non negligendas putamus legum civilium dispositiones, cum earum sit contractus dirigere et ordinare. Porro huc spectat art. 1855 cod. Civilis, de quo jam diximus (n° 880 et seq.). Ex iis quæ ibi attulimus concludi potest, probabilius quidem esse non absolute prohiberi per legem civilem triplicem contractum, sed habendum ut merum mutuum, cui proinde applica-

tur lex de taxatione auctuarii in mutuo percipiendi[1] : quod omnino confirmat sententiam nostram de triplici contractu.

1215. — 4°. Hactenus locuti sumus tantum de tribus contractibus simul initis. Sed operæ pretium est expendere, quid dicendum si ineantur duo tantum contractus?

Quidam nihilominus eos reprobant, præsertim quando societati additur assecuratio sortis : quia, inquiunt, in eo casu sors transit in dominium negotiatoris, ac proinde evertitur societas; cum vero alter periculum non subeat, jus nullum habet ad lucrum : si autem societati addatur tantum venditio lucri majoris incerti pro minori certo, læditur etiam æqualitas, quia in societate omnia ab eventu pariter pendere debent. Ita *Collat. Paris.*, t. II, l. I, conf. II, §. 5, p. 66, et quidam alii : et deduci posset ex constitutione Sixti V, qui reprobat conventionem de assecuranda sorte, *sive* de assecurando certo aut incerto lucro; quæ particula disjunctiva indicare videtur damnari etiam duplicem contractum, ut observat Billuart, p. 326.

Sed auctores longe communius admittunt licitos esse duos contractus simul initos. 1. Si societati adjungatur venditio lucri incerti pro certo, illud satis apertum videtur, quia subsistit societas et nulla videtur committi injustitia. Ita inter alios de Gasquet, *l'Usure démasq.*, *Droit natur.*, p. 440 et seq., licet aliunde satis rigidus. Nec obstat dispositio juris civilis, ut antea diximus (n° 881). 2. Si adjungatur assecuratio sortis, major adest difficultas. Concipitur quidem aliquomodo adhuc subsistere societatem, tum quia adest communitas lucri, tum

[1] Protulimus testimonia variorum jurisperitorum; inter quos Troplong in recentiori opere, *du Prêt*, sic loquitur, n° 365 : « Je ne « reviendrai pas sur les trois contrats dont j'ai traité dans mon Com« mentaire de la *Société*, autre supercherie (antea locutus est de pacto « *Mohatra*) pour voiler l'usure sous l'apparence de trois contrats licites « combinés. »

quia ratione illius communitatis interest illius qui contulit pecuniam ut ad negotiationem adhibeatur, et sic dici potest alterum non acquirere pecuniæ dominium. Attamen quædam ex argumentis allatis contra triplicem contractum videntur etiam præsentem attingere : præter argumenta ex ratione desumpta, plura e conciliis quæ allegantur contra triplicem contractum expresse reprobant pactum quo sors assecuratur. Aliunde plures ex iis qui illud pactum admittunt, expresse supponunt in pretium assecurationis dari, non meram spem lucri ex societate proventuri, sed aliquid certi et determinati, quod in omni eventu solvatur; et sic adesse periculum damni incurrendi, si nempe nullum lucrum ex societate percipiatur : ita COLLET, n° 79, p. 402; BILLUART, p. 329, 330; *Collat. Andegav.*, conf. XI, q. II, art. I, p. 794, 795, 796; CARPUAC, *l'Usure expliquée*, etc., p. 418 et 423; LECOQ, *Dissert. théolog. sur l'Usure du Prêt de commerce*, p. 249, qui observat, posito hoc pretio jam non incurri reprobationem a variis conciliis latam. Unde satis dubium videtur an ille contractus absque illa restrictione admitti possit.

Quid vero sentiendum de dispositione art. 1855 cod. Civilis, quo plures judicant contractum hunc prohiberi, jam expendimus (n^is^ 881, 882). Ex iis quæ attulimus satis probabile est, sub jure hodierno non reprobari hunc contractum, quia æquiparatur pacto de quo loquitur art. 851, quo nempe in societatem confertur sola fruitio pecuniæ. Sed etiam eo admisso, verum remanet ibi agnosci coram lege quamdam veluti pecuniæ locationem, seu potius mutuum cum auctuario : ac proinde in foro conscientiæ ibi includi meram quæstionem de lucro percepto vi mutui.

1216. II. *Si tres contractus* SUCCESSIVE *ineantur* cum eadem persona, non desunt auctores qui eos pariter reprobent : ita COLLET, n° 75, p. 400; BILLUART, p. 325, 333, et alii. Ratio ipsorum est, quod duo posteriores con-

tractus, etiamsi societati non interveniant, sed tantum superveniant, ut loquuntur auctores, non minus eam destruunt, et efficiunt ut in mutuum recidat.

Alii tamen licitos propugnant eos contractus : testatur GAITTE, opusc. *de Usurar. trium contract. pravitate,* p. 746, id a plerisque admitti. Illud etiam admittimus, quamvis existimemus sæpe non afferri veram hujus decisionis rationem. Rem sic explicandam putamus cum *Collat. Ambian.*, t. IV, p. 151, 153. Per contractum societatis, qui supponitur bona fide initus, jus acquisitum est ad lucrum quod ex illa sperari potest. Quando superveniunt alii duo contractus, societas quidem evertitur; sed si illud fiat in gratiam illius qui pecuniam recepit, renuntiatio illa confert titulum sufficientem ad lucrum percipiendum : quia, ut supra diximus (n° 1209), tota spes lucri non est necessario transferenda ei qui periculum in se suscipit. Hinc patet discrimen inter casum præsentem, et præcedentem in quo numquam extitit vera societas, ut jam exposuimus. Hinc etiam plures theologi inter eos qui admittunt contractum trinum, non ita a nobis dissentiunt ac primo intuitu videretur : quia nempe exigunt ut quando initur primus contractus, mercatori relinquatur libertas ad alios deveniendi, vel non; quod non multum differt a præsenti decisione : hanc esse communiorem sententiam inter eos qui trinum contractum tuentur asserit BALLERINI, t. II, opusc. II, n° 30, p. 185, 186. Certe ipse NAVARRUS, *Commentar. de Usuris,* rem ita intelligit, cum dicat, n° 32, ad 3 : « Concedimus quod non licet contrahere societatem eo « pacto ut alter teneatur assecurare aliquod lucrum et « capitale; sed negamus quod contracta prius tempore vel « natura societate, non possint de utriusque libera volun- « tate assecurationes illæ fieri : » idemque magis adhuc evolvit *Consil.* l. V, *de Usuris,* c. XVI.

1217. Hæc sufficiant de contractu trino : cujus cæte-

roquin investigatio minoris in se interest hodie, si contractus ille in se solo spectetur; ex iis enim qui tradunt pecuniam suam negotiatoribus vix ullus est qui de eo cogitet, et qui pure et simpliciter non intendat mutuum. Eatenus ergo potissimum utilis est præsens investigatio, quatenus refertur ad ipsum *mutuum* quod vocant *negotiationis;* non pauci enim recentiores ex doctrina theologorum circa contractum trinum arguunt ut licitum probent mutuum negotiationis. Quapropter de eo redibit sermo ubi de isto mutuo sigillatim loquemur (n° 1267 et seq.)

Punctum 3. *De censu* utrinque redimibili.

1218. Ubi de censu consignativo actum est, vidimus hunc esse redimibilem ex parte venditoris seu censuarii (n° 1060); item esse ex parte emptoris seu censualistæ redimibilem, accuratius diceretur resolubilem, in quibusdam casibus lege determinatis, in quibus nempe debitor non implet conditiones contractus (n° 1066). Sed quæstio est, quam huc remisimus (n° 1068), utrum generatim constitui possit census redimibilis ad nutum emptoris seu censualistæ, vel, juxta receptum loquendi modum, an licitus sit census ex utraque parte redimibilis. Agitur præcipue de censu personali aut mixto.

Magna exorta est ea de re controversia in Belgio, ut antea retulimus (n° 1115, p. 270). Omissis auctoribus qui ea occasione ex professo scripserunt, quosque ibi indicavimus, theologi in duas partes scinduntur.

I^a *opinio* tenet censum utrinque redimibilem esse in se licitum. Ita post quosdam antiquos Lessius, l. 2, c. 22, n^is 56, 60; Greg. de Valentia, in 2-2, D. v, q. xxii, p. vi, ubi testatur, Romæ, an. 1581, in consultatione multorum et doctissimorum theologorum, cui ipse aderat, judicatam esse hanc sententiam probabilem; Layman, l. iii, tr. iv, c. xviii, n^is 5, 8, 10; Reiffenstuel, *Jus*

Canonic., l. v, tit. XIX, n° 140, et alii plures canonistæ ad eumdem titulum; ZECH, D. III, §. 228; S. LIGUORI, n° 843; et alii quidam, quos citat LA LUZERNE, t. III, p. 150, 181 et seq.

Prob. Non eadem omnes proferunt argumenta, quia non omnes idem omnino sentiunt : omnia tamen ad duo capita revocari possunt. 1°. Ille contractus *non est injustus.* Id ostenditur, tum ex reciprocitate quæ viget in contractibus onerosis, quæ postulat ut quod licet in gratiam venditoris, licitum agnosci debeat in gratiam emptoris, cum id quod uni justum est, alteri quoque justum esse debeat: tum ex paritate cum contractu venditionis, in quo satis communiter agnoscunt theologi posse stipulari facultatem redimendi sive in gratiam venditoris, sive in gratiam emptoris : tum denique ex eo quod, fatentibus omnibus, censualista jus habeat exigendi restitutionem pretii, si censuarius desit suis obligationibus; illud enim jus, licet conditionatum tantum, omnino æquivalet juri absoluto, cum e duabus obligationibus alternativis una debeat esse æqualis alteri (vid. n° 1153). Ratio a priori est, quod sicut onus quod imponitur emptori per facultatem redimendi concessam venditori compensatur minuendo pretium, ita et onus impositum venditori per facultatem concessam emptori potest compensari augendo pretium; et sic aderit æqualitas requisita et sufficiens ad justitiam contractus. 2°. Ille contractus *non est usurarius,* seu, quod idem est, census utrinque redimibilis non recidit in mutuum. Duplici modo potest dari pecunia : vel immediate pro simili pecunia, cum obligatione ut post aliquod tempus reddatur, et tunc est mutuum; vel immediate pro re vendibili, cum obligatione ut venditor eam rem post aliquod tempus redimat, et pro ea pretium restituat, et tunc est vera emptio. Porro in conventione de qua agimus emptor census non dat pecuniam immediate pro pecunia

refundenda in redemptione, sed pro censu; neque obligat alterum ut reddat pecuniam pro pecunia accepta, sed ut recipiat rem seu jus quod vendidit, et reddat pro ea justum pretium. Ergo fit vera venditio, non vero mutuum. Ita Lessius; item Valentia, qui addit ita verum esse quod non reddatur pecunia in compensationem summæ receptæ, sed *emendo* censum iterum, ut, si interim census periret, jam non posset censualista recuperare pretium, quia non haberet quod censuario revenderet. Paulo aliter ratiocinantur alii. Supponunt censum constitui super re aliqua frugifera, si sit realis, vel saltem super personæ industria lucrandique facultate, si sit personalis; et quidem ita ut si res pereat, vel si persona sine sua culpa amittat lucrandi facultatem, census amittatur : quo posito, dicunt censum istum multum differre a mutuo, non solum quia in censu pensio percipitur ex re fructifera, dum in mutuo percipitur ex re sterili, seu pecunia, sed etiam quia censualista obnoxius remanet ex natura census periculo rei, non vero mutuatarius. Postea addunt tanquam probabile, posse adjici pactum assecurationis in perpetuum, adeo ut etiam pereunte re censuarius semper obligetur ad solvendam pensionem : si enim tale pactum addi possit in aliis contractibus, ut commodato, deposito, non videtur cur non posset apponi in censu, modo instituatur justa compensatio per augmentum pretii; dici potest insuper contractum sic initum esse reipsa et secundum effectum æquivalentem contractui societatis cui accessit duplex assecurationis pactum, et qui a multis theologis admittitur. Ergo nil obstat quin instituatur census utrinque redimibilis. Sed agnoscunt adesse usuram, si census realis vel personalis, adjuncto pacto assecurationis, constituatur cum persona non habente reditus annuos, sive ex fundo, sive ex propria industria; quia tunc reipsa aliud non fit quam mutuum cum auctuario, licet sub nomine

emptionis aut census, tanquam pallio, occultetur. Ita LAYMAN, dicens *ita omnes* docere, n° 14; PIRHING, *Jus Canonic.*, l. V, tit. XIX, n° LXXIII; SCHMALZGRUEBER, *ibid.*, n° 196. Unde concludendum est, juxta illos censum de quo agitur non posse constitui super quacumque persona, sicque differre a mutuo quod cuicumque dari potest, ut observat Layman.

Confirm. 1°. ex praxi recepta pluribus in locis, in quibus passim a viris etiam probis et doctis instituitur census iste utrinque redimibilis, cum pacto assecurationis. Ita de Germania testatur LAYMAN, n° 10, et alii. 2°. Ex decisione data a card. CAPRARA, dum Parisiis fungeretur munere Legati a latere, 8 maii 1807, quam refert PAGÈS, t. I, p. 301, in qua hæc leguntur : « Si quis mercatori, vel « industriam non mere personalem exercenti, vel aliquod « stabile fundum acquirenti, pecunias committat ea con- « ventione expresse invicem inita, ut pecuniarum solutor « emat, et negotiator, vel vir industrius, vel stabilis fundi « acquisitor respective vendat jus ad æquam pensionem « ex negotiationis, vel industriæ, vel stabilis boni fundo « desumendam, atque capitale ex eodem fundo restituen- « dum statuatur, contractus iste pertinet ad censum, et « consequenter in Galliis, Belgio, et provinciis Germa- « nicis, in quibus Piana Constitutio non viget, illicitus « non est. »

1219. II[a] *opinio* tenet non posse permitti censum utrinque redimibilem. Agnoscit Layman, n° 8, hanc esse communem : eam tenent SOTO, l. VI, q. V, art III; SYLVIUS, q. LXXVIII, art. IV, q. II; SALMANTICENSES, c. IV, n° 41; *Collat. Ambianens.*, t. IV, p. 98; DAELMAN, asserens hanc esse doctrinam scholæ Lovaniensis, q. III, obs. XXI, p. 318; et alii plurimi.

Prob. 1°. *Ex auctoritate.* Clerus Gallicanus satis aperte hunc contractum reprobavit an. 1700, damnando prop.

LVIII : « Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione perpetua. » Respondet quidem LA LUZERNE, t. III, p. 562, 563, hanc propositionem damnatam esse tantum ob nimiam generalitatem. Verum satis constat ex jam dictis, et ex aliis propositionibus simul a clero Gallicano damnatis, non fuisse in illius mente damnare tantum usuram immoderatam.

2°. *Ex ratione.* Illud pactum rejiciendum est, quod recidit in mutuum usurarium, et quo semel admisso corrueret lex divina prohibens usuram. Atqui census utrinque redimibilis 1. recidit in mutuum usurarium, tum ex natura rerum, tum ex intentione contrahentium. Si attendamus ad naturam rerum, cum tradens pecuniam sibi reservet facultatem eam repetendi, jam tollitur discrimen essentiale inter censum et mutuum[1], ex dictis (n° 1041). Et revera quodnam discrimen jam assignaretur? Num ex eo quod restituendi tempus non sit præfixum? Sed de essentia mutui non est ut tempus fuerit præcise determinatum. Num ex eo quod periculum subeat censualista, quod non subit mutuans? Sed supponunt auctores prioris opinionis periculum removeri a censualista per pactum assecurationis : et in censibus quales constituuntur hodie nullum aliud remanet periculum quam insolvabilitatis ex parte debitoris sicut in mutuo. Num ex eo quod in mutuo pecunia reddenda sit immediate pro pecunia recepta, dum in censu reddetur tanquam pretium census qui redimetur? Sed quis non videat hoc discrimen non esse nisi in verbis, posito semel quod in quacumque hypothesi pecunia red-

[1] « Le point cardinal dans la rente constituée, inquit TROPLONG, « *Prêt*, n° 429, c'est l'aliénation perpétuelle du sort principal, et par « suite l'inexigibilité du capital ; sans cela, elle ne seroit pas une rente, « mais bien un prêt. » Jam dixerat, n° 421, ita sentire omnes jurisperitos, prout jam retulimus.

denda sit, ut supponitur, seu posito assecurationis pacto? Ergo revera nullum superest discrimen. Si rationem habeamus intentionis contrahentium, cur pecuniam tradens sibi reservat facultatem redimendi, nisi quia intendit restitutionem sortis, et interim auctuarium? Ergo reipsa non vult venditionem, sed merum mutuum; ergo non initur nisi mutuum. Hic igitur sicut in contractu *mohatra*, intentio efficit ut adsit mutuum palliatum. 2. Eo pacto admisso, illusoria fieret lex divina usuram prohibens: nullus enim erit, nisi sit stupido stupidior, inquit Billuart, p. 307, qui, per illud obvium census redimibilis medium, totum id impune non obtineat quod ex mutuo usurario obtinuisset.

Ex his intelligitur 1°. cur apponi possit pactum redimibilitatis in gratiam venditoris, non vero in gratiam emptoris : in priori casu, non recidit in mutuum, nec adest usuræ periculum, ut in posteriori; ergo non mirum quod erga unum liceat, non erga alterum. Aliunde si inspiciantur res prout ordinarie fieri solent, magnum adest inter utrumque discrimen. 1. Emptor, cum nulla emendi necessitate prematur, dum retrovendendi obligationem suscipit, libere suscipit : at cum venditor plerumque ex necessitate impellatur ad vendendum, obligationem redimendi non suscipiet nisi ex metu ne alias pecuniam necessariam non inveniat. 2. Quando venditor se liberat, non grave incommodum subit emptor, qui sortem recuperat, et cessat tantum a pensione annua percipienda : contra venditor pecuniam recepit in usum consumptionis; eaque mox consumpta, semper paratus esse non poterit, ut ad emptoris arbitrium redimat quod vendidit, nisi pecuniam aliunde obtineat, quod sæpe difficile, nonnumquam impossibile vel damnosum fuerit. Hinc ex inæquali utrinque conditione iniquum est venditorem obligare ad quod obligare emptorem non est. Ita Balle-

RINI, t. II, opusc. I, n^is 52, 53, p. 123, 124, quem sequitur D. RICHARD.

Intelligitur 2°. nihil concludi posse ex doctrina theologorum circa venditionem cum facultate redimendi. Hæc enim venditio periculo non caret, etiam juxta theologos qui eam admittunt (vid. n° 735) : sed insuper per se apertum est huic ad summum æquiparari posse censum realem, non vero censum personalem de quo præcipue hic agitur.

Intelligitur 3°. nihil etiam concludi posse ex jure quod censualistæ competit quando censuarius deest suæ obligationi : cum enim jus illud pendeat ex facto censuarii, manifestum est nihilominus adesse omnimodam pretii abdicationem ex parte censualistæ, nec proinde adesse mutuum, quod adesset in casu census utrinque redimibilis. Deinde esto quod e duabus obligationibus alternativis una censeatur æquivalere alteri (quamvis nil probet ita esse necessario, imo contrarium supponant auctores, vid. n° 360) : non inde sequitur obligationem alternativam æquivalere absolutæ ; contra concipitur minus gravari debitorem qui potest variis modis se liberare. Sed quidquid sit, parvi interest, quia non inde deducenda est solutio quæstionis, ut intelligitur ex dictis.

1220. Hæc secunda opinio nobis longe probabilior videtur, præsertim quando agitur de censu personali et mixto. Non putamus quidem exhiberi posse tanquam ab Ecclesia definitam : licet enim census de quibus prodierunt decisiones Martini V et aliorum SS. Pontificum essent irredimibiles ex parte emptoris, cum illi Pontifices simpliciter approbaverint contractus de quibus consulebantur, nec declaraverint eos aliis conditionibus iniri non posse, nihil exinde concludi potest. Ita non solum qui priorem opinionem tuentur, sed plures ex iis qui posteriorem tenent, ut JUENIN, *Cas de Consc.*, t. II, tr. IX, c. II,

p. 152; et nos ipsi jam observavimus (n° 1048). Hinc BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. x, c. v, n^is^ v et vi, ait : « Vehementer suspicamur, in censu mere personali, « præsertim utrinque redimibili, eas desiderari conditiones « quas non solum pontificia constitutio (S. Pii V, supra « n° 1050), verum etiam ipsum jus naturale et divinum « exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, et prop- « terea coram Deo usurarius. Sed quoniam nulla hactenus « hac de re ab Apostolica Sede prolata est sententia, non « decet ut episcopus in sua synodo censum personalem « declaret ex natura sua usurarium. » Attamen hæc posterior opinio videtur tum principiis magis consentanea, tum etiam majori auctoritati innixa. Vid. BALLERINI, *ibid.*, n° 55 et seq., p. 127 et seq., ubi plura in hanc rem allegantur.

1221. Cæterum quædam adhuc observanda putamus. 1°. Si quis priorem opinionem amplecti vellet, attendere deberet, 1. theologos qui eam propugnant vulgo agnoscere hujusmodi contractum esse in praxi periculosum. Ita Valentia cum theologis Romanis de quibus loquitur, Lessius, Layman, S. Liguori, et alii plerique, ne dicamus omnes. 2. Eos agere præcipue de censu reali : pro censu personali agnoscunt adesse majorem difficultatem. Ita inter alios LESSIUS, n° 60; et facile intelligitur ex dictis. Imo, ut vidimus, plures excludunt census mere personales quales plerumque vigent apud nos, ut jam olim observabat COLLET, c. VI, n° 159, p. 480, qui scilicet non pendent a casu rei. 3. Eos exigere varias conditiones, scilicet ut absit intentio usuraria, et ut pensio minuatur pro ratione oneris quod venditori imponitur. Attamen in praxi sæpe non fit illa imminutio; hincque agnoscitur venditores non nisi ex necessitate consentire, et contractum hujusmodi esse de facto sæpe injustum. Imo dici potest inde sequi esse semper injustum : nam facultas

repetendi sortem, quæ est proprie jus ad rem, æquivalet sorti, ut deducitur ex dictis circa usuræ injustitiam; ergo pensio quæ interim percipietur erit aliquid supra sortem; ergo aderit inæqualitas, ac proinde injustitia.

1222. — 2°. Ut census habeatur tanquam irredimibilis et proinde licitus quoad emptorem, sufficit ut emptor jus non habeat exigendi sortem a venditore; hoc enim posito, adest vere alienatio perpetua.

Hinc 1. census erit vere irredimibilis, licet emptor pactus fuerit cum tertio, ut is a se censum emere teneatur, quando sibi visum fuerit. Tunc nullum adest mutuum, cum nihilominus pretium irrevocabiliter acceperit venditor, cui extraneum est pactum cum tertio initum : nec timendum est ne ille tertius tali pacto consentiat tantum ex necessitate, ut diximus sæpe evenire pro venditore. Unde mirum non est quod non possit imponi venditori onus, quod potest imponi tertio qui libere vult illud vel gratis vel accepto pretio suscipere. Ita COLLET, n° 157, p. 479, et D. RICHARD.

Hinc 2. licitus est census, etiamsi aliunde certum sit debitorem post certum tempus sese liberaturum. Sic olim clerus Gallicanus identidem, ut ærario publico subveniret, vel ob alias necessitates, census constituebat; et ut facilius emptores inveniret, aliquando providebat ut, si qui creditores eos census vendere vellent, præsto essent alii emptores qui in eorum locum subrogarentur. Ita speciatim in comitiis an. 1693 (*Collect. des Procès-Verbaux*, t. VI, col. 43) : ex quo nihil concludi posse in gratiam census utrinque redimibilis merito observarunt BALLERINI, t. II, opusc. I, n° 65, p. 137, et PAGÈS, t. I, p. 349. Aliquando etiam successive in comitiis summam quamdam conferebat ut census extingueret : sed cum nullam sibi obligationem imponeret, et in suum commodum tantum ita ageret, sive vellent sive nollent censualistæ, non ideo

minus sors erat in perpetuum alienata. Equidem clerus Gallicanus eos præferebat qui census redemptionem postulabant, illudque æquitati consonum erat; sed omnino libere ita agebat. Igitur nihil illicitum hic occurrebat, nihilque exinde concludi potest contra sententiam a nobis assertam.

Hinc 3. licitus est pariter census, licet aliunde censuarius obligetur ad redimendum, modo jus redemptionem exigendi non competat censualistæ : militat eadem ratio mox allata. Sic 1°. Clemens X cuidam Monti pietatis permisit ad censum recurrere, ita tamen ut post annos viginti teneretur censum redimere : nec ideo minus census erat ex parte emptorum perpetuus, ut in ipsa Bulla ferebatur. Ita BALLERINI, *ibid.*, n° 64, p. 135, quem sequitur D. RICHARD. Sic 2°., juxta POTHIER, *Prêt de consomption*, n° 94, et D. RICHARD, licebat auctarium percipere ex chirographis quæ dicebantur *Billets sur la Compagnie des Indes*. Illa societas ex edicto Regis poterat quamdam summam (10 milliones) sibi comparare, ea conditione ut quotannis quamdam partem restitueret, interimque pensiones solvebat. Judicabant auctores citati hic adfuisse censum legitimum, quia societas obligabatur, non erga creditores, sed tantum erga Regem, ad quem solum spectabat eam ad id cogere, vel omnino eximere. Sic demum 3°. quando quis, fidejussorem census se constituens, potest censuarium obligare ut ipsum liberet a fidejussione censum redimendo, juxta juris dispositionem sancitam art. 2032 cod. Civ., licitus est nihilominus census, quia semper verum est nullum jus competere censualistæ. Ita POTHIER, *Obligations*, n° 444, *Prêt de consompt.*, n° 93, et *Rente*, n° 50, ubi ait neminem de hoc dubitare; et D. RICHARD : ita etiam pro locis in quibus viget constitutio S. Pii V docent plures quos citat et sequitur DE LUGO, D. XXVII, n° 133, ubi asserit id esse consenta-

neum agendi rationi congregationis Romanæ. Confirmari potest etiam ex eo quod, si fidejussor renuntiet suo juri, etiam absque consensu censualistæ, vel si fiat hæres censuarii, census fiet omnino irredimibilis, ut docet POTHIER, *Obligations*, n° 445. Observant tamen illi auctores requiri ut non adsit collusio inter censualistam et fidejussorem; alioquin esset fraus contra legem, cum censualista jus acquireret : sed sentit D. Richard decisionem fore admittendam, licet censualista non recurreret ad talem censuarium, nisi quia certus est de redemptione facienda, quia illud non impedit quin vere ex sua parte renuntiet juri exigendi redemptionem. Contradicit LA PORTE, *Principes théologiq.*, t. II, p. 369-373, juxta quem, si spes certa redemptionis sit motivum determinans, adest usura mentalis in variis casibus mox allatis, quia nempe non adest vera intentio alienationis perpetuæ. Sed quamvis agnoscendum sit hæc non carere periculo, non sufficiunt ut dici possit vere adesse usuram mentalem, ut colligi potest ex notionibus supra allatis (n° 1159).

PUNCTUM 4. *De mutuo pignoratitio*, Gallice PRÊT SUR GAGE.

1223. Per pignus generatim intelligitur res aliqua a debitore tradita suo creditori in securitatem debiti. Hinc intelligitur pignus posse accedere variis contractibus : sub eo respectu de illo dicemus in capite sequenti. Nunc illud spectandum habemus tantum in ordine ad auctarium quod illius occasione in mutuo aliquando percipitur. Id autem fit duplici præsertim via : vel per pactum quod dicitur *Legis commissoriæ*, quo nempe statuitur ut pignus fiat creditoris, si debitor ex sua culpa determinato tempore non reddat rem mutuatam; vel per pactum *Antichresis*, si nempe pignus sit res frugifera, per perceptio-

nem fructuum concessam creditori. De utroque sigillatim dicemus.

I°. *De pacto* LEGIS COMMISSORIÆ *in pignore.* Pactum hujusmodi aliquando superadditur venditioni, prout jam exposuimus (n° 741) : ibique nihil habet illiciti. Idem dicendum videri potest in mutuo pignoratitio; præsertim post ea quæ diximus *de Pœna conventionali* (n^is 1203, 1205). Attamen quædam dubia exorta sunt inter auctores : quæ ut solvantur, multiplici distinctione opus est, ut adnotat *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 440 et seq. 1°. Si pignus non superet valorem rei aut summæ mutuatæ, vel si juxta pactum creditor debeat restituere excessum pretii, tunc attentis tantum principiis generalibus nulla adest usura nec injustitia, quidquid in contrarium dicant JUENIN, t. III, tr. XVI, c. V, §. V, p. 116, et GERDIL, t. XVIII, p. 105. Ratio est, quia tunc creditor nihil lucrari intendit; providet tantum ut suum sibi solvatur debitum. Imponitur quidem debitori, ut aiunt auctores citati, onus pretio æstimabile; sed imponitur, non ob mutuum, sed ob dilationem solutionis; nihil aliud est quam pœna conventionalis. Aliunde id constat ex praxi Montium pietatis, ut mox dicemus. 2°. Si pignus superet valorem debiti, et conventio fiat ut creditor possit illud totum retinere, videndum est an excessus talis sit ut possit statui per modum pœnæ conventionalis, necne : in priori casu, modo adsint conditiones supra assignatæ, nulla aderit usura; evidens est esse eumdem omnino casum : in posteriori, aderit injustitia et usura, ut facile intelligitur ex dictis.

Diximus *Attentis principiis generalibus*, quia aliud forte dicendum erit, si ratio habeatur juris positivi. Scilicet illud pactum reprobabat jus *Romanum*, l. 3, Cod., VIII, XXXV, *de Pactis pignorum*, ubi sic statuit CONSTANTINUS, an. 326 : « Quoniam inter alias captiones præcipue

« commissoriæ (pignorum) legis crescit asperitas, placet « infirmari eam, et in posterum omnem ejus memoriam « aboleri. » Ad hanc improbationem alludit in jure *Canonico* INNOCENTIUS III, CAP. *Significante*, VII, *de Pignoribus*, III, XXI, ubi pactum hujusmodi irritum quoque declarat. Vid. JUENIN, *loc. cit.*, p. 114 et seq., ubi quædam profert conciliorum particularium decreta in eodem sensu. Tandem sub jure *Civili hodierno*, irrita declaratur conventio qua creditori tribueretur jus sibi vindicandi rem oppigneratam, vel de ea disponendi; art. 2078 et 2088 cod. Civ. Ratio ita statuendi fuit, juxta omnes, periculum ne creditor abuteretur indigentia debitoris ad rem obtinendam viliori pretio, vel ne sic palliaretur usura. Ita LEOTARDUS, q. LXIX, n^is 32, 33; *Collat. Ambian.*, t. III, p. 444, 445, et D. RICHARD : ita etiam jurisperiti nostri. Sed quæstio est utrum, si nullum ex his incommodis locum habeat, pro licito habendum sit hujusmodi pactum. Id certum non est, ait BILLUART, D. IV, art. V, §. VII, p. 275, quia non constat an jura illud prohibeant præcise quia est usurarium, an quia natum est in eo committi usuram. Sed existimamus 1°. ex jure ecclesiastico absolute prohibitum censeri non debere illud pactum. Nihil indicat voluisse Innocentium III legem positivam ea de re condere : voluit solummodo casum sibi propositum solvere ex principiis generalibus, et ad summum ex dispositione juris Romani ad quam alludit. Porro in eo casu supponitur per debitorem non stetisse quin suæ obligationi satisfaceret, cum pecuniam mutuatam remisisset creditori per nuntium quem fidelem existimabat, sed qui infideliter non persolvit. Potest ergo decisio non extendi ad omnes casus. Concilia autem quæ citantur, loquuntur etiam de re data pignori *modico* vel *viliori pretio;* ac proinde non respiciunt pariter omnes casus. Ita docent auctores quos citat et sequitur *Collat. Ambianens.*,

t. III, p. 445; DE LUGO, D. XXV, n° 176; S. LIGUORI, l. 3, n° 775, et alii. 2°. Ex jure Civili, nil ad nos hodie spectat dispositio juris Romani. Sed sequenda est dispositio codicis Civilis. Mens legislatoris non fuit quidem impedire ne creditor perciperet auctarium juxta taxationem legalem; sed declarando conventionem irritam voluit præcavere fraudes quæ facile irrepere possent : unde cum illa dispositio lata fuerit intuitu boni publici, et fundetur præsumptione periculi, valet in conscientia, ac proinde creditor tenebitur semper stare formis per legem præscriptis, de quibus dicemus ubi *de Pignore* (cap. XIV).

1224. II°. *De pacto* ANTICHRESIS, seu de *perceptione fructuum* rei oppigneratæ *concessa creditori*. Si mutuatarius rem frugiferam in securitatem debiti tradat mutuanti, et iste fructus percipiat, satis apertum est eum percipere aliquid ultra sortem; ac proinde, si titulum extrinsecum et legitimum non habeat, committere usuram. Ita docet S. THOMAS, 2. 2, q. LXXVIII, art. II, ad VI; et est certum cum communi, ait S. LIGUORI, n° 776. Ita expresse declaratur in jure canonico : INNOCENTIUS III, CAP. *Cum contra*, VI, *de Pignoribus*, III, XXI, declarat secundum canonicas sanctiones fructus debere restitui et in sortem computari, ideoque quando fructus adæquarunt sortem pignus debere restitui; idem expresse respondet ALEXANDER III, CAP. *Plures clericorum*, I, *Quoniam*, II, *Conquestus est*, VIII, *de Usuris*, V, XIX. Et in ipso codice Civili, art. 2085, aperte agnoscitur fructus haberi tanquam auctarium, si debeatur, et deinde in sortem imputari : quod optime probat assertionem nostram. De hoc etiam redibit sermo.

1225. Afferuntur tamen quædam species pignoris, in quibus aliud statuendum esse docuerunt iidem SS. Pontifices quos modo allegavimus. Eorum responsa debemus eo majori cura explicare, quod quidam auctores recentiores

iis innitantur, tum ut infirment argumentum quod eduximus ex auctoritate SS. Pontificum (n° 1141), tum ut exinde adstruant mutationem quam sæculo XII aut XIII subiisse Ecclesiæ doctrinam affirmare non verentur, et cujus signum esse aiunt quod eo tempore non satis sibi constans fuerit nova doctrina. Ita speciatim LA LUZERNE, t. III, p. 582, 597 et 679. Dum incumbemus huic difficultati solvendæ, simul quædam explicabimus quæ ad praxim inservire possunt.

I. *De pignore* FEUDALI. Declararunt ALEXANDER III, CAP. *Conquestus est*, VIII, *de Usuris*, V, XIX, et INNOCENTIUS III, CAP. *Insinuatione*, I, *de Feudis*, III, XX, quando feudatarius tradit feudum (*un fief*) domino directo, posse istum fructus in sortem non computare. Hæc non posse conciliari cum principiis nostris pluries asserit LA LUZERNE, speciatim t. III, p. 589.

Verum si theologorum et canonistarum doctrinam melius perspectam habuisset, non ita facile asseruisset illos Pontifices sibimetipsis contradixisse. 1°. Sunt qui dicant fructus percipi a domino in compensationem servitii a feudatario præstari soliti, a quo eo tempore debet esse immunis, juxta expressam declarationem Innocentii III, « Ita videlicet ut, quamdiu fructus illos ceperis in sortem « minime computandos, idem M. a servitio, in quo tibi et « Ecclesiæ tuæ pro ipso feudo tenetur, interim sit im« munis : » unde concludunt, si fructus superent servitia, non posse dominum illos percipere. Ita post INNOCENTIUM IV, *Comment. in libr. Decretal., Collat. Paris.*, t. I, l. VI, conf. I, §. 8, p. 293, 294; COLLET, c. III, n° 249, p. 318 et quidam alii; nec abnuit C. GERDIL, t. XVIII, p. 67.— Fatemur tamen illam rationem difficultatem pati, tum quia, ut observat *Collat. Ambian.*, t. III, p. 456, non videntur SS. Pontifices sic suam decisionem restringere ad casum mutuæ compensationis, de qua nullo modo

loquitur Alexander III; tum quia, si ita intelligeretur decisio, jam nihil speciale concederetur domino directo feudi, quod videtur contra mentem illorum Pontificum. Ita DE LUGO, D. XXV, n° 147, qui ideo asserit hanc explicationem communiter rejici. 2°. Videtur dicendum hanc esse conditionem feudi ex sua prima institutione, ideoque fructus percipi, non ratione mutui, sed ratione primævæ conventionis. Porro talis conditio imponi potuit, si feudum titulo gratuito concessum fuerit, ut patet; imo etsi titulo oneroso, quia ob illam conditionem imminui debuit pretium. Conveniens autem fuit ut ita statueretur, quia indecens videbatur ut, re in feudum tradita redeunte ad dominum directum et principalem, ipse eam administraret ut alienam, cum obligatione reddendæ rationis suo feudatario et vassallo. Ita satis communiter theologi : MOLINA, D. CCCXXIII, n° 4; DE LUGO, n^is 146, 147; THOMASSIN, *Usure*, c. XIV, n° II, p. 357 : ita etiam LEOTARDUS, q. XIV, n° 14, et alii quos citat et sequitur ZECH, diss. II, §. 99. Hoc autem posito, nihil adversatur nostris principiis, ut patet.

1226. II. *De pignore* BENEFICIALI. Prohibens ALEXANDER III, CAP. *Plures*, I, *ibid.*, ne fructus pignoris percipiantur, addit, *Nisi forte beneficium Ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur*. Hinc concludit LA LUZERNE, p. 476, usuram habitam non fuisse ut justitiæ contrariam; alioquin licita fieri non potuisset in favorem Ecclesiæ.

Duplex explicatio subministratur a *Glossa*. 1°. Dici potest ibi agi de bono clerici injuste occupato a laico, quod si in pignus tradatur clerico, poterit iste fructus sibi vindicare, quia sic quod suum est quo meliori potest modo recuperat : quo admisso, evanescit difficultas. Ita ZECH, §. 101; GERDIL, t. XVIII, p. 67. Dici potest 2°. per *beneficium* idem intelligi ac per *feudum*, quod tunc

moris erat; quo posito, casus ille recidit in priorem. Ita *Collat. Ambian.*, t. III, p. 451, 452, ubi ait ita intelligere plerosque doctores.

1227. III. *De pignore* DOTALI. Hæc habet INNOCENTIUS III, CAP. *Salubriter*, XVI, *de Usuris*, V, XIX : « Sane « generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero « sunt pro numerata dote pignori obligatæ, compensan- « dos in sortem non credimus compellendum ; cum fre- « quenter dotis fructus non sufficiant ad onera matri- « monii supportanda. » Inde concludunt communiter theologi cum DE LUGO, D. XXV, n° 166, etiam extra casum pignoris posse generum auctarium percipere pro dote non soluta, quia eadem est ratio ac pro fructibus pignoris. Ita statuebatur in jure Romano; item in jure Gallico veteri, licet cujuslibet usuræ prohibitivo. Ita hodie expresse codex Civilis, art. 1440, 1548, ubi sancitur auctarium deberi pleno jure a die matrimonii. Hic iterum permitti lucrum ex mutuo, sicque decisionem juris canonici non posse conciliari cum doctrina recentiorum theologorum, contendunt MIGNOT, *Prêts de Commerce*, t. III, p. 53, LA LUZERNE, t. III, p. 606, et alii.

Ut judicium accuratum ferri possit de hac assertione, quædam notabimus.

1°. Quidam auctores intelligunt illam juris decisionem de casu quo gener damnum patitur ob privationem pecuniæ dotalis : quo admisso, nulla est difficultas. Ita *Collat. Ambian.*, p. 457, et alii non pauci veteres. Sed auctores præsertim recentiores satis communiter hanc interpretationem rejiciunt : tum quia eam rationem non allegat Innocentius III, tum quia juxta eam nihil speciale concederetur genero. Ita MOLINA, D. CCCXXI, n° 4; DE LUGO, n° 154; GIBALINUS, *de Usuris*, l. IV, c. V, art. XIV, n° 2, et art. XV, n° 11; SALMANTICENSES, c. III, n° 50, et alii.

2°. Alia igitur afferenda est ratio. Hæc videtur magis recepta. Cum dos genero detur ad ferenda onera matrimonii, potest ipse non suscipere hanc obligationem, nisi dotem acceperit; in hoc sane nihil est quod æquitati omnino non conveniat. Porro ita, saltem implicite, pacisci censetur, cum ita generaliter statuant leges, et *Ea veniant in contractibus quæ sunt juris et consuetudinis*. Si igitur antea ferat hæc onera, jus habet ad compensationem. Et quidem si dos constituatur in re frugifera, facile intelligitur fructus illius aut eorum æquivalens deberi marito: si vero in re non frugifera, quamvis major videri possit difficultas, idem tamen dicendum, quia ille qui constituit dotem censetur promisisse vel solutionem dotis quacum possit maritus rem fructiferam emere, vel interim auctarium, quod ideo habetur ut pars dotis. Igitur non ratione mutui impliciti, nec præcise ob dilatam solutionem percipiuntur fructus, sed vi contractus dotalis : ideoque nihil exinde concludi potest contra absolutam prohibitionem usuræ.

1228. Cæterum ut illud melius intelligatur, simulque elucidentur ea quæ spectant ad hanc materiam, quædam addere juvat.

1. Loquendo de pignore, observant DE LUGO, n° 157, et GIBALINUS, art. XV, n° 12, duplici modo potuisse pignus dari : vel antecedenter ad matrimonium et in ipso contractu dotali, quo socer se obligat ad talem dotem et ad pignus interim tradendum, vel consequenter tantum. In priori casu, nulla est difficultas : tunc non dantur fructus pignoris vi mutui vel ob dilatam solutionem, sed immediate ex contractu dotali, ita ut sint veluti pars dotis, licet gener non teneatur ad eos postea restituendos, quemadmodum debebit restituere dotem. De illo casu præcipue agit Innocentius III. In posteriori casu, rursus distinguendum est cum iisdem : vel a principio præfixus fuerat solutioni terminus, vel non. Si primum,

id est, si ab initio conventum fuit de dote non statim solvenda, et postea ante elapsum terminum solutionis detur pignus, tunc fructus erunt computandi in sortem: in eo casu nullus est auctarii titulus, cum fructus nec faciant partem dotis, ut patet, nec dentur ad sustinenda onera matrimonii, cum maritus ad ea ferenda se obligaverit usque ad tempus solutioni dotis præfixum. Ita ex jure communi DE LUGO, n° 159, MOLINA, n° 14, GIBALINUS, n° 12, SALMANTICENSES, n° 51, et alii quos sequitur D. Richard. Dico *Ex jure communi*, quia ex art. 1440 et 1548 cod. Civ. debetur auctarium etiamsi præfixus fuerit terminus, nisi contraria conventio inita fuerit. Porro posita hac dispositione juris, dicendum est eum qui constituit dotem se obligare ad solvendum auctarium, nisi contrarium exprimat: ergo revera solvere tenebitur. Si secundum, id est, si nullus præfixus fuerit terminus, sed promissa fuerit dos statim solvenda, et postea socer petat dilationem et offerat pignus fructiferum, tunc etiam non posse percipi fructus vel auctarium propugnat DE LUGO, n° 162, cum pluribus aliis, quia hæc dilatio solutionis est merum mutuum, nec ullus occurrit lucri titulus. Attamen agnoscit ipse, n° 161, contrariam sententiam non carere fundamento et a pluribus supponi: eam expresse docet GIBALINUS, n° 13-15, et pariter tuetur D. RICHARD. Non usura adest, nec injustitia: siquidem fructus vel auctarium non percipiuntur vi mutui aut propter dilatam solutionem, sed alio titulo; gener non se adstrinxit ad onera matrimonii ferenda, nisi posita dotis solutione, et socer se obligavit vel ad statim solvendum, vel ad compensationem dandam, cum ita statuant leges, et hic omnino applicetur earum motivum, quale mox exposuimus. Uno verbo, jus hodiernum tribuit genero auctarium pro dote non soluta, quotiescumque facta non fuit stipulatio contraria. Hæc dispositio est generatim æquitati consen-

tanea, ut probant MOLINA, n° 18, et GIBALINUS, art. XV, n° 8, cum maritus non debeat ferre onera matrimonii, antequam dotem receperit : etiam in casu quo præfixus fuit solutioni terminus, quamvis contrarium decerni potuisset, quia, ex axiomate, *Qui a terme ne doit rien*, nil tamen iniqui habet, ut observat TOULLIER, t. XIV, n° 96, quia contrahentes norunt hanc juris dispositionem, et possunt huic derogare, si velint. Ergo huic in foro conscientiæ secure stare potest maritus.

1229. — 2. Ex illa expositione varia educi possunt consectaria, seu solvi variæ quæstiones quæ ea de re proponi solent.

Hinc 1°. possunt percipi fructus, licet dos soluta relinquenda fuisset otiosa a genero, quia semper subsistit eadem ratio. Item licet fructus superent onera matrimonii, vel eos qui fuissent percipiendi ex dote; quia semper vim habet promissio soceri, qui sicut potuit promittere dotem superantem onera matrimonii, ita potuit fructus illos concedere; verus autem titulus in illa promissione reponendus est, non præcise et immediate in ipsis oneribus. Ita DE LUGO, nis 169, 170, SALMANTICENSES, n° 51, quos sequitur D. RICHARD; ZECH, diss. II, §. 90.

Hinc 2°. potest gener fructus illos exigere ab eo qui dotem constituit, quicumque sit, vel ab iis qui successerunt ejus obligationibus : parvi refert an is sit socer, an alius; eadem enim est ratio; ita MOLINA, D. CCCXXI, n° 10; DE LUGO, n° 153, et D. RICHARD. Sed si constituens dotem in solutionem ejus deleget proprium suum debitorem, is, nisi alio titulo teneretur ad auctarium solvendum, non tenebitur ratione dotis, quia per hanc creditoris mutationem non mutatur natura debiti, nec pejor effici potest conditio debitoris. Ita GIBALINUS, art. XV, n° 22; D. RICHARD; et DELVINCOURT, t. III, *Notes*,

p. 103. Sed quæri potest an tunc ipse constituens dotem teneatur auctarium solvere? Juxta DELVINCOURT, *ibid.*, non tenetur, nisi aliter expresse conventum fuerit. Contra, juxta TOULLIER, t. XIV, n° 97, non potest ab ea obligatione eximi sine conventione expressa, quia omnino generalis est dispositio juris. Putamus quæstionem solvendam esse ex modo quo inita fuit conventio dotalis.

Hinc 3°. si constituens dotem ferat ipse onera matrimonii, adeo ut gener non inde gravetur, docent auctores generum non posse percipere auctarium. Ita MOLINA, n° 13; SALMANTICENSES, n° 52; DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 103, innixus dispositioni juris Romani. Revera tunc non subsistit eadem ratio. Illud tamen est aliquatenus restringendum; quia fieri potest ut socer promiserit simul et alere filiam et dare statim dotem vel interim fructus pignoris, nempe intuitu onerum quæ sustinebit gener tempore subsequenti. Unde hic etiam attendendum ad modum conventionis initæ. Ita DE LUGO, n^is 167, 168; GIBALINUS, art. XV, n° 18, quos sequitur D. RICHARD.

Hinc 4°. si gener pignus acceptum ipse oppigneret alteri pro pecunia mutuo accepta, iste alius non poterit fructus percipere, quia non habet titulum qui competit genero, ut patet. Ita DE LUGO, n° 165; GIBALINUS, art. XV, n° 18. Pariter si gener dotem sibi solutam ipse mutuo tradat, non ideo poterit lucrum percipere, quia iste mutuatarius non tenetur de oneribus matrimonii, ac proinde non adest titulus allatus : est merum mutuum ordinarium. Ita GIBALINUS, art. XV, n° 6 : ita etiam expresse statuebatur in mandato duorum episcoporum Tullensium quod jam memoravimus (n° 1114, p. 270), et cujus verba citat et sequitur BALLERINI, t. I, p. 98.

Hinc 5°. si ante dotem solutam maritus moriatur, poterit uxor fructus pignoris vel auctarium percipere. Ita multi quos citat et sequitur DE LUGO, n° 174, et D. RI-

CHARD. Ratio est, quia sicut dos non solum fuit promissa viro, sed etiam imo magis uxori, eidem pariter promissa videntur alia omnia quæ ad dotem pertinent. Docent etiam illi auctores, *ibid.*, n° 175, idem jus competere hæredibus uxoris, quibus totum jus suum transmisit, nisi socer obligationem suam aliquomodo limitaverit ad uxoris vitam aut ad ejus personam.

Hinc 6°. si agatur de pignore dato viduæ post matrimonii dissolutionem ob dotem ab hæredibus mariti non restitutam, contra multos cum communi docet DE LUGO, n° 172, non posse viduam fructus percipere, quia non adest alius titulus nisi mutuum virtuale. Attamen agnoscit ipse, n° 173, lege justa aliter statui posse. Porro ita olim statuebat jus Gallicum, et ita hodie statuit codex Civilis cum quibusdam modificationibus, art. 1473, 1570. Existimamus cum D. RICHARD huic dispositioni standum in conscientia, quia juxta eam censetur contractus fuisse initus; igitur auctarium percipitur non vi mutui, sed vi contractus dotalis. Quemadmodum lex potuisset statuere ut uxor esset hæres necessaria partis cujusdam bonorum sui mariti, ita potuit jus illi tribuere ad fructus illos percipiendos. Nulla proinde adest usura, non magis quam si conjuges sibi aliquid invicem dedissent conditionate : idem est ac quando quis legato dat summam pecuniæ cum auctario solvendo usque ad legati executionem; porro fatentur omnes tunc non adesse usuram, quia lucrum non percipitur vi mutui, sed vi legati. Ergo, etc. Illud admittit *Collat. Paris.*, t. I, l. VI, conf. I, §. 8, p. 295, quamvis rationem decisionis non omnino accurate exponat.

1230. — 3. Ob materiæ connexionem hic loquemur de DOTE MERCATORI COMMISSA, de qua extat alia decisio INNOCENTII III, CAP. *Per vestras*, VII, *de Donat. inter virum et uxorem*, IV, XX. Cum debitor dotem tradere recusaret, sive ob mariti inopiam, sive quia uxorem a se

repulerat, sic statuit S. Pontifex : « Cum satis possit ei « modicum tradi dotis, cui creditum est corpus uxoris, « mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem, sub « ea quam potest cautione præstare; vel saltem alicui « mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir « onera possit matrimonii sustentare : ne, occasione dotis « detentæ, uxor a viro dimissa, seu vir qui dimisit uxorem « adulterii reatum incurrat. » Hic expresse approbari mutuum commercii contendit La Luzerne, t. III, p. 606; idque antea fusius probare aggressus fuerat Mignot, t. III, p. 64 et seq.; item Laforêt, p. 80. Ut illud ostendant, contendunt ibi agi de dote mercatori committenda per contractum quo totum ejus periculum in mercatorem rejiciatur, quia alioquin non cautum fuisset securitati dotis, si nempe ageretur de societate simplici : unde alii ibi deprehendunt triplicem contractum de quo antea diximus (vid. n° 1213).

Verum hæc omnia corruunt, si ibi agatur de simplici societate ineunda cum mercatore, sine assecuratione sortis aut lucri. Porro ita optime intelligi potest textus allatus. Nam 1°. nihil ostendit voluisse Innocentium ut obtineretur plena omnino securitas : contra, ex una parte dicit tradi posse dotem ei cui committitur corpus uxoris; ex altera, per rationem quam affert in ultimis verbis satis ostendit se magis prospicere velle animæ saluti, quam dotis securitati. 2°. Si attente inspiciatur tota series textus, agnoscetur id unum voluisse S. Pontificem ut dos magis tuta esset apud mercatorem quam apud maritum, qui, ita inopia pressus ut cautionem invenire non posset, dotem verisimiliter brevi consumpturus fuisset. Porro ad hoc necessarium non erat ut societati adjungeretur assecuratio. Imo verbum illud, *Saltem*, indicat minorem esse securitatem ex parte mercatoris, quam si maritus potuisset præstare cautionem; jam vero si mercator assecurasset dotem,

eadem fuisset in utroque casu securitas. Ergo intelligendus est Innocentius de mera societate, prout intelligunt communiter interpretes. Ita THOMASSIN, *Usure*, c. XVII, n° III, p. 397, et c. XVIII, n° XIII, p. 423, ubi citat Panormitanum et Barbosam; BALLERINI, t. I, p. 97, et præsertim t. II, opusc. II, n° 42, p. 194; CARPUAC, *Examen et Réfutat. de Laforêt*, p. 98 et seq.; GERDIL, t. XVIII, p. 68[1].

PUNCTUM 5. *De Montibus pietatis.*

1231. Cum mutuo pignoratitio affines sunt Montes pietatis, in quibus fit mutuum mediante pignore. Idcirco de iis in præsenti loco agimus. Porro in Montibus pietatis aliquid exigi ultra sortem mutuatam omnibus notum est. Explicandum est quo titulo id fiat, et an exinde aliquid concludi possit contra principia a nobis exposita, prout concludere voluerunt nonnulli scriptores.

Itaque Mons pietatis est quidam pecuniæ, tritici, farinæ, aliarumve rerum ejusmodi cumulus, ex eleemosynis aut aliunde collectus, ut pauperibus, vel publicis necessitatibus consulatur. Hi montes ab aliquibus *Montes Christi* vel *Deposita apostolorum* olim vocabantur. De eorum natura, materia et fine, item de eorum origine et propagatione per Italiam primum, deinde per Belgium, etc., multa dabit ZECH, D. II, §. 259 et seq. Ex iis quæ refert §. 278 et seq., quibus haud absimilia habet BALLERINI, t. II, opusc. I, c. I, p. 90, edocemur eorum initium

[1] Post exposita SS. Pontificum responsa e quibus conantur quidam auctores infirmare argumentum quod ex eorum auctoritate eduximus (n° 1141), concludere posse nobis videmur, immotum permanere illud magni roboris argumentum. Qui autem evolverit Dissertationem VI D. La Luzerne, quæ circa illud argumentum versatur, eam præ aliis operis partibus debilem et jejunam reperiet : simulque agnoscet pluribus in locis eminentissimum auctorem principia theologiæ moralis et doctrinam theologorum satis parum perspecta habuisse.

referri paulo post medium sæculi XV. Cum scilicet, an. 1311, Concilium Viennense gravissimum decretum tulisset contra usuræ fautores, ut provideretur necessitatibus pauperum qui mutuum sine usura non inveniebant, tolerandum fuit ut Hebræi mutuum cum usuris darent: quas cum immodicas sæpe exigerent, inde sequebatur extrema pernicies multorum civium. Ut huic malo remedium afferretur, curarunt episcopi aliique viri pii, ut cumulus pecuniæ ex eleemosynis, aliisque fontibus congregaretur ex quo indigentibus mutuum sub pignore concedi posset. Primum hujusmodi institutum admissum fuisse dicunt vel Urbe-Veteri (Orvieto) an. 1463, vel Perusii an. 1464, et paulo post in multis aliis Italiæ civitatibus, cum approbatione SS. Pontificum. Ex eorum autem montium statutis, mutuatarii ultra summam mutuatam aliquid solvere debebant, ut inde congruo salario compensaretur opera ministrorum qui pecunias et pignora custodiunt, rationesque dati et accepti scribunt ac reddunt; item ut expensæ inde fierent pro locatione domus, emptione librorum et aliis. Hinc orta controversia, nonnullis hoc auctarium improbantibus et usuræ incusantibus, inter quos eminebat CAJETANUS, Opusc. *de Monte Pietatis*, quod absolvit an. 1498; aliis vero defendentibus : et quidem acrius disceptabatur, etiam comminando censuras, quas alii declinabant, retorquebant, vel eludebant. Quæstione delata ad Concilium Lateranense V, Leo X in sess. X, an. 1515, post exposita breviter utriusque partis argumenta, solemniter declaravit, assentientibus Patribus, « Montes pietatis, in quibus pro eorum impensis et « indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum « impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem « pertinentium, pro earum indemnitate duntaxat, ultra « sortem absque lucro eorumdem Montium accipitur, ne- « que speciem mali præferre, nec peccandi incentivum

« præstare : neque ullo pacto improbari, quin imo meri-
« torium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum,
« et minime usurarium putari. » Cajetanus qui in Concilio aderat, non legitur huic sessioni interfuisse : quid vero postea tenuerit, non constat. Certe non obstitit hæc definitio quin Cajetani rationes præponderarent apud Dom. Soto, *de Justitia*, l. VI, q. I, art. VI : quem ideo multi a temeritate non excusant, quem saltem omnes deseruerunt.

Sed exorta est subinde nova difficultas. Cum enim pecuniæ Montium sæpe non sufficerent ad mutuandum indigentibus, recurrendum fuit ad media novas obtinendi summas : ideo visum est vel sumendas esse pecunias sub censu, vel excitandam esse divitum liberalitatem, sin ad donandum, quod plerumque non sperabatur obtinendum, saltem ad mutuandum sub modico auctario. Hinc multiplicis generis Montes distinguuntur. Quidam sunt ex solis eleemosynis et piis legatis collecti, et dicuntur *Italici*, quia, ut diximus, in Italia originem habuerunt. Alii, defectu eleemosynarum, collecti sunt ex pecuniis ad censum acceptis, et hi dicuntur *Belgici*, quia eo modo sunt erecti in Belgio. Alii dicuntur *Mixti*, quia partim ex eleemosynis sunt collecti, partim alio modo. Tales sunt plerique ex iis qui hodie existunt. In quibusdam mutuum dari non potest nisi solis pauperibus, in aliis datur omnibus mutuo indigentibus. Tandem aliquando mercatores opulenti auctoritate principum mensam publicam aperiunt ex propriis pecuniis, et sese obligant ad mutuandum omnibus petentibus, sub conditionibus quæ servantur in Montibus pietatis. Vocantur *Lombardi*, a Lombardis, quorum plurimi, cum essent usurarii publici, et post erectionem Montium pietatis lucrum eis cessaret, petierunt reconciliari Ecclesiæ, et posse auctoritate principum exercere mutuum prout exercetur in Montibus pietatis.

1232. His præmissis, agemus 1°. de auctario quod percipiunt Montes pietatis; 2°. de auctario quod percipiunt qui pecuniam committunt iisdem Montibus; 3°. de Lombardis; 4°. de Montibus pietatis quales apud nos existunt.

I°. *De auctario quod percipiunt Montes pietatis.* In eo nihil occurrere illicitum jam apud omnes constat : 1°. ex approbatione Concilii Lateranensis V, cujus verba protulimus, quæ nulla explicatione seu exceptione probabili elidi possunt. 2°. Ex Concilio Tridentino, quod sess. XXII, cap. IX, *de Reform.*, Montes pietatis recenset inter loca pia. 3°. Ex auctoritate multorum SS. Pontificum, qui Montes erectos in variis Italiæ urbibus sua auctoritate comprobarunt : nonnullos mox indicabimus. 4°. Ex ratione. Nil percipitur vi mutui, sed titulo damni quod alioquin emergeret Monti qui in utilitatem mutuantium est erectus : quia nempe plures expensas necessario faciendas habet. Reponit quidem Soto has expensas, quæ respiciunt præcipue curam et custodiam pignorum, fieri, non in gratiam mutuatariorum, sed in gratiam et securitatem ipsius Montis, nec proinde recidere debere in mutuatarios : quemadmodum si mutuans ordinarius postulet a mutuatario pignus, non potest dicere id interesse mutuatarii, cum contra iste mallet pignus retinere, nec illud tradat nisi quia aliter mutuum non obtineret. Sed præterquam quod sunt aliæ expensæ quam in custodiendo pignore, semper verum remanet universas expensas fieri ut Mons integer servetur, sicque possit finem suum attingere, id est, mutuum præbere indigentibus, quos proinde omnino æquum est has perferre.

1233. Hinc 1. mirum non est auctarium exigi ab iis qui tradunt pignora quæ nullam expensam requirunt, v. g., vasa argentea, gemmas, etc., non minus quam ab iis qui tradunt vestes aut alia hujusmodi. Etenim super-

sunt semper expensæ communes : et insuper moraliter impossibile est in casibus particularibus expendere quid addendum, quid demendum sit, quin detur locus multis litibus quæ majores expensas requirent. Vid. DE LUGO, D. XXV, n° 190, quem sequitur COLLET, n° 455, p. 375; GIBALINUS, l. IV, c. VII, art. II, n° 5.

Hinc 2. mirum non est etiam majus auctarium exigi, quando mutuum fit ad longius tempus. Etenim majus illud auctarium non exigitur præcise ob temporis dilationem, sed quia pro longiori tempore majores sunt expensæ, cum interim pretium custodiæ, salaria, etc., solvenda sint. Insuper si mutuum citius redderetur, aliis posset dari qui auctarium solverent. Ita DE LUGO, COLLET, et GIBALINUS, *ibid.*

Hinc 3. non videtur posse exigi majus lucrum, ut augeatur Mons pietatis in gratiam pauperum. Ita communiter theologi, teste DE LUGO, n° 192, quem citat et sequitur COLLET, n° 459, p. 376; GIBALINUS, *loc. cit.* Nam 1°. id supponit LEO X, cum dicat: *Absque lucro eorumdem Montium.* 2°. Id esset usura, quam licitam reddere nequit bonus finis intentus. Attamen ex BENEDICTO XIV, *de Synod.*, l. X, c. V, n° 2, si Mons pietatis ad subveniendum pauperibus ære alieno fuisset gravatus, permitti posset ut auctarium exigeret sufficiens tum ad ferenda onera consueta, tum ad extinguenda debita. Et reipsa, ait D. RICHARD, si Mons mutuare desineret, posset sua debita extinguere; ac proinde nova mutua in causa sunt cur non extinguat.

Hinc 4. determinari potest quid agendum, si ad finem anni lucrum aliquod supersit, post solutas impensas?

Juxta DE LUGO, n° 194, quem sequitur COLLET, n° 461, p. 376, 1°. curandum est ut nihil supersit. 2°. Si restitutio sit facienda, iis restituendum est e quibus lucrum fuit acceptum, qui poterunt cognosci ex rationum libris. 3°. Si inveniri nequeant, lucrum applicari potest Monti,

ita tamen ut vertat in majus bonum pauperum, v. g., minuendo auctarium pro anno sequenti.

Cæterum observat DE LUGO, n° 195, quem sequitur GIBALINUS, *loc. cit.*, posse ita fieri taxationem, ut si quid supersit non sit restituendum. Idem est ac quando inter privatos convenitur de compensando damno per tale auctarium ad omnem eventum, id est, sive de facto majus sit, sive minus; est tunc veluti contractus aleatorius, ut jam diximus (n° 1171). Porro ille modus plerumque magis expedit. Quid autem in praxi reipsa fiat, ait, n° 196, sibi non constare; quædam tamen indicia affert judicandi eo modo aleatorio fieri conventionem : 1°. quia si non sufficienter compensentur expensæ, non poterit quidquam aliud repeti; 2°. sæpe impossibile esset alio modo pacisci, cum multi mutuum reddant antequam constet de expensis; 3°. impossibile sæpe esset iis reddere qui solverunt; 4°. si hoc anno adsit lucrum, forsan anno sequenti aderit damnum : unde judicat valde verisimile in eo sensu fieri conventionem, nec proinde locum esse restitutioni.

1234. II°. *De auctario quod percipiunt ii qui pecuniam apud Montes Pietatis deponunt.* Quæstio expendi potest tum quoad eos qui pecuniam deponunt, tum quoad ipsosmet Montes.

I. Quoad eos *qui pecunias deponunt,* non pauci dixerunt licite eos percipere lucrum, etiamsi nullum aliunde habeant titulum. Affertur Breve PAULI III, 10 julii 1549, qui id permisisse videtur. Illud citat ZECH, D. II, §. 345. Deinde asserit hunc esse usum in Italia communiter receptum, *ibid.*, et §. 352 : unde redarguit, §. 350, doctores rigidos qui dissimulant hanc difficultatem, quam dicit esse hodie fere unicam circa hanc materiam. Tandem ita respondisse ferunt theologos Legationis Apostolicæ Parisios missæ an. 1801.

Verum non ita sentiendum videtur, sed dicendum non

posse percipi auctarium nisi ab iis qui habent justum titulum sensu jam exposito. Deducitur 1°. ex decisionibus SS. Pontificum. Statuit S. Carolus Borromæus, et sacra Congregatio episcoporum et regularium, non posse percipi auctarium ex pecunia commissa Montibus pietatis, ut refert idem Zech, §. 340 : et quamvis sumi hæc possent pro mera lege, exstant decisiones SS. Pontificum, quas affert Ballerini, t. II, p. 239 et seq., et de quibus diximus ubi de *Destinatione lucrativa* (n° 1180), quæ ad permittendum auctarium exigunt ut pecunia deponatur ex zelo charitatis, non ex lucri aviditate. Breve autem Pauli III esse apocryphum multis demonstrat Ballerini, t. II, opusc. I, c. III, §. III, p. 103 et seq., cui in hoc adhæret S. Liguori, n° 765, nec refragatur Zech, §. 352. — 2°. Illud consentaneum est principiis. Nam usura erga omnes est illicita et injusta, ut jam vidimus : ea autem quæ allegantur a variis auctoribus apud Zech, §. 347-350, ad excusandum in præsenti casu, videntur carere omni robore. 3°. Praxis quæ allegatur, quamvis difficile explicari posse videatur eidem Zech, §. 352, non potest prævalere : tum quia non satis constat an vere vigeat; tum quia nullatenus probatur eam admitti ab Ecclesia et pastoribus tanquam legitimam. Certe multi theologi, etiam inter eos qui in Italia scripserunt, eam non approbant. Ita de Lugo, D. XXV, n° 198; Ballerini, t. II; passim, præsertim opusc. III, c. III, p. 96; S. Liguori, n° 765 : et apud nos *Collat. Parisiens.*, t. I, l. VI, conf. I, §. 8, p. 301; Durand de Maillane, *Dictionn. Canoniq.*, v° *Mont de piété*, t. IV, p. 656, in-8°; Vernier, *Theolog. Practica*, n° 466 in fine, t. II, p. 75. Quoad praxim vero hodiernam, responderunt plures insignes theologi Romani interrogati an. 1819 a D. de Simony, nunc episcopo Suessionensi, non magis licere usuram erga Montes pietatis, quam erga privatos.

1235. II. Quoad ipsosmet *Montes* qui auctarium solvunt, idem dicendum ac de privato qui mutuum recipit sub usuris, scilicet videndum an adsit ratio sufficiens sensu a nobis jam exposito (n° 1157) : si adsit ratio, excusabuntur, et auctarium quod ipsi solvunt poterunt repetere a pauperibus, quorum rem adhuc utiliter gerunt; sed si possint alia via sibi consulere, debent ad illam recurrere, v. g., ad censum, etc. De illis variis modis consulendi necessitatibus Montium pietatis satis fuse agit Ballerini, *opusc. cit.*, c. iv, p. 107 et seq.

Hæc sufficiant de Montibus pietatis : ex quibus innotescit quam immerito exinde aliquid in gratiam suæ sententiæ deducere voluerint usuræ patroni.

1236. III°. *De Lombardis.* Quid eo nomine designetur supra diximus. De his magnæ viguerunt apud Belgas controversiæ : sed jam sopitas fuisse, nec ullum doctum et timoratum habuisse ea de re scrupulum testatur Billuart, D. iv, art. viii, p. 294. Adest idem titulus, ac in Montibus pietatis, et præterea lucrum cessans. Videtur tamen ex dictis requiri ut qui tales domos instituunt agant ex charitate in pauperes; alioquin titulo lucri cessantis nihil possent exigere. Addit Billuart, *ibid.*, quem citat nec improbat Collet, n° 451, p. 374 : si, his non obstantibus, quid forte videatur minus rectum, suppletur auctoritate principum, qui jure supremo quod habent in bona subditorum sic disposuerunt propter bonum commune. Ita etiam quidam alii. De hac observatione judicandum ex his quæ dicentur *de Auctoritate Legis circa auctarium.*

Sed possetne privatus propria auctoritate hujusmodi montem erigere? — Ait de Lugo, n° 190, nihil fore injustum, si vere pecuniam suam deputet ad mutuandum, et sumptus faciat in gratiam mutuatariorum : potest tunc compensationem exigere. Idem ait D. Richard. Admittit etiam Billuart, p. 294, forte non peccare contra justi-

tiam, sed præbere scandalum ob præsumptionem usuræ : eodem sensu loquitur COLLET, n° 453, p. 374.

Cæterum observant illi auctores, pluribus in locis prohibitum esse hujusmodi Montes erigere absque auctoritate publica : ita sancitum esse apud nos mox videbimus. Alicubi contra quasi onus imponitur tales domos erigendi aut saltem erectas servandi. Afferre juvat ea quæ leguntur in Responsione S. Congreg. de Prop. Fide, 12 sept. 1645, quam citavimus ubi *de Periculo* (n° 1185), et quæ occurrit in *Bullar. S. Congregat. de P. F.*, t. I, p. 124, 125 : « IV. In « universo Chinarum regno domus publicas usuris depu- « tatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, « facta sub pignorum cautione, pecuniam suam, sumpto « lucro, ad usuram dare solent; ea tamen conditione, ut « pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant; « et si tantis elapsis annis pignorum dominus pro iisdem « recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum « lucro non redierit, actionem et dominium quod habebat « in suis pignoribus illico amittat. Istæ autem domus rei- « publicæ necessariæ sunt, et quamvis usurarii vitam « usurariam dimittere velint, a non desistendo a prædictis « usuris judicis auctoritate compelluntur. Quæritur utrum, « si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint « baptizari manendo in suo statu usurario propter cau- « sam supradictam, vel quidnam in tali casu agendum « sit? — Censuerunt (Patres qualificatores S. Officii, quo- « rum resolutiones post Emin. Cardinales S. C. de Prop. « Fide approbavit INNOCENTIUS X), Chinenses in statu « usurario permanentes baptizari non posse : si vero judicis « auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuan- « das, posse aliquid recipere, etiam recepto pignore, ultra « sortem principalem, tum ratione oneris quod subire « coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri « quoque cessantis et damni emergentis : tempore autem

« præstituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit « sorti principali, et lucro ex causis prædictis juste acqui- « sito, domino pignoris esse restituendum. »

1237. IV°. *De Montibus pietatis quales existunt in Galliis.* Olim vix apud nos noti erant Montes pietatis. Aliqui instituti fuerant tum in provinciis meridionalibus[1], in quas ex Italia, tum in septentrionalibus, in quas e Belgio transierant : sed in aliis provinciis non erant instituti. An. 1626 Ludovicus XIII edictum tulit de erigendo Monte pietatis; sed paulo post fuit revocatum : FAVARD, *Répert. de la nouv. Législat.*, v° *Mont de Piété*, sect. I, §. I, t. III, p. 624. Sub initium regni sui Ludovicus XIV eamdem erectionem edixit : sed illud edictum pariter effectu caruit : *Collat. Parisiens.*, t. I, l. VI, conf. I, §. 8, p. 298; DURAND DE MAILLANE, *Dictionn. Canoniq.*, v° *Mont de Piété*, t. IV, p. 657, ed. in-8°. Tandem 9 decemb. 1777 Ludovicus XVI Montem pietatis erexit Parisiis, et erigere permisit in cæteris regni urbibus : regularum quas ideo sancivit summarium videri potest apud FAVARD, *ibid.* In perturbatione Gallica stare non potuit hoc institutum : sed rebus paululum sedatis, denuo erectum est Parisiis, et alibi erigi permissum per decretum 24 messid. an. 12 (13 jul. 1804). Tandem per decretum 8 thermid. an. 13 (27 jul. 1805) ordinata sunt quæcumque spectant ad regimen eorum Montium. Videri possunt hæc decreta apud MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Mont de Piété*, n^is IV et V, t. XI, p. 246 et seq., vel FAVARD, *loc. cit.*, p. 627 et seq. : hic etiam occurrent, sect. II, p. 637 et seq., quæ spectant ad erectionem eorum Montium in provinciis.

Si e Montibus istis publicis transeamus ad Montes quos nonnulli vocant privatos, quos antea *Lombardos* diximus,

[1] Videmus hujusmodi institutionem sub titulo confraternitatis erectam a D. DE PRADEL, episcopo Monspeliensi, an. 1684. Vid. DE VOURRIC, *de l'Usure*, p. 78 et 409.

apud nos a jurisperitis dicuntur *Maisons de prêt sur nantissement*. Olim cum usura quælibet per legem civilem reprobaretur, non permittebantur hujusmodi domus seu instituta. Sed post legem 2 octobr. 1789 (vid. n° 1283) multæ similes domus erectæ fuerunt : an. 1798 Parisiis numeratæ sunt 65, præter plures alias quæ clam existebant. Hinc damnum inferebatur Monti pietatis : sed præsertim hinc innumeri oriebantur abusus, cum, deficiente auctoritatis publicæ concursu, nulla præberetur securitas. Ideo lex 18 pluv. an. 12 (6 febr. 1804) sic statuit, art. 1 : « Aucune maison de prêt sur nantissement ne pourra être « établie qu'au profit des pauvres, et avec l'autorisation « du Gouvernement. » Hanc legem simul cum motivis ab oratore Gubernii expositis refert MERLIN, *Répert.*, v° *Maison de Prêt*, t. x, p. 371; item PETIT, *Tr. de l'Usure*, p. 466. Eadem prohibitio sancitur in codice Pœnali, art. 411, pœna carceris et mulctæ.

1238. His præmissis, sufficiat ad scopum nostrum quædam observare de mutuo dato a Montibus pietatis, et postea de mutuo quod ipsi recipiunt.

I. *De mutuo dato a Montibus*. Ex decreto citato, 27 julii 1805, art. 42 : « Les opérations du Mont-de-Piété consisteront dans le prêt sur nantissement, avec les fonds « appartenant aux hospices, ou au moyen de l'emprunt « des sommes nécessaires pour y subvenir, en cas d'insuffisance du capital de l'établissement. » Art. 54 : « Les « prêts du Mont-de-Pieté seront accordés pour un an, sauf « à l'emprunteur la faculté de dégager ses effets avant le « terme, ou d'en renouveler l'engagement à l'échéance du « terme. » Art. 63 : « Pour obtenir ce renouvellement, « l'emprunteur sera tenu de payer d'abord les intérêts et « droits dus au Mont-de-Piété, à raison du premier prêt, « de consentir à ce que le nantissement soit soumis à une « nouvelle appréciation... » Art. 46 : « Les prêts qui se

« feront par le Mont-de-Piété seront accordés sur enga-
« gement d'effets mobiliers, déposés dans les magasins de
« l'établissement, et préalablement estimés par les appré-
« ciateurs attachés audit établissement. » Art. 58 : « Le
« montant des sommes à prêter sera réglé, quant aux
« nantissements en vaisselle ou bijoux d'or et d'argent, aux
« quatre cinquièmes de leur valeur au poids ; et quant à tous
« autres effets, aux deux tiers du prix de leur estimation. »

Quod spectat ad auctarium a mutuatariis solvendum, hæc statuuntur in eodem decreto. Art. 55 : « Tous les
« six mois le conseil d'administration réglera le taux des
« droits de prêts à payer par les emprunteurs, sauf la
« confirmation du Ministre.... » Art. 56 : « Ce taux se
« composera, d'une part, de l'intérêt des sommes prêtées;
« d'autre part, des frais d'appréciation et de dépôt des
« nantissements et autres frais généraux de régie. » Illæ expensæ partim indicantur in art. 12, et sunt « les loyers
« et réparations des bâtiments, les contributions dues sur
« ceux des bâtiments dont le Mont-de-Piété est proprié-
« taire, les frais de bureaux, fourniture de bois, lu-
« mière, etc. : » addenda sunt salaria seu honoraria variorum præpositorum, qui indicantur speciatim art. 5, nempe
« 1°. du directeur général; 2°. des agens en chef, sous-
« directeur, garde-magasins, caissier général, contrôleur
« de la caisse, garde du dépôt des ventes, inspecteurs et
« commissaires-priseurs appréciateurs; 3°. des agents
« secondaires, caissiers particuliers, chefs, sous-chefs et
« commis des bureaux, et autres préposés de l'établisse-
« ment; 4°. des employés et agens de service attachés aux
« diverses parties de l'établissement. » Ex his mirum non est sat grande auctarium exigi. Sed non statur intra limites meræ indemnitatis, siquidem asseritur apud FAVARD, *loc. cit.*, §. IV, n° V, p. 634 : « Les bénéfices que
« le Mont-de-Piété procure aux hospices s'élèvent annuel-

« lement de trois à quatre cent mille francs. » Hinc fit ut a pauperibus communiter exigatur 1 pro 100 per quemlibet mensem, seu 12 per annum. Juxta PETIT, *Tr. de l'Usure* (prodiit an. 1840), p. 504, his ultimis annis imminutum fuit auctarium; exiguntur tantum 9 pro 100. In Montibus erectis in variis civitatibus diversum est auctarium pro variis circumstantiis : sic alicubi (à Dieppe) exsurgit ad 18 pro 100; alibi (Carpentras, Brignolles) ad 5 tantum; alibi (Saint-Omer) ad 12; alibi demum (Angers) nullum exigitur auctarium, sed modicum aliquid retinetur, ut aiunt, *Pour frais de bureau. Ibid.*, p. 505, 506. Denique statuitur art. 57 : « Dans les décomptes qui se feront pour « chaque emprunteur, les droits de prêt se calculeront « par demi-mois; la quinzaine commencée sera due en « entier. »

1239. II. *De mutuo quod Montes recipiunt.* Antequam erigatur Mons pietatis, debet adesse pecuniæ cumulus sufficiens ut scopum suum incipiat attingere. Nec potest erigi per viam, ut aiunt, actionum, seu per modum societatis. Ita declaravit Concilium status, 6 jun. 1807, cujus decisionem approbavit Imperator 12 jul. seq. : quia nempe, cum ex legibus indicatis Mons pietatis erigi nequeat nisi in gratiam pauperum, ita institui debet ut nullo in casu liceat ad hunc modum recurrere, « sans qu'on puisse en « aucun cas recourir à la voie des actions, qui appelleroit « des étrangers au partage des bénéfices, et feroit ainsi « tourner en spéculations privées des établissements qui « ne doivent se proposer que la bienfaisance publique. » MERLIN, *loc. cit.*, t. XI, p. 253; PETIT, p. 510.

Attamen ex art. 102 : « Le Mont-de-Piété continuera « à recevoir et employer, comme il se pratique aujour- « d'hui, les fonds qui lui seront offerts en placements par « les particuliers. » Ex art. 45, omnia bona Montis subjiciuntur hypothecæ generali in assecurationem eorum qui

mutuum tradunt. Quoad auctarium sic decernit art. 103 : « Le taux d'intérêt auquel ces placements seront reçus « sera fixé tous les ans par une délibération spéciale du « conseil d'administration, sauf la confirmation du Mi- « nistre. » Satis communiter dantur 4 pro 100 : « La « bonne administration du Mont-de-Piété de Paris a fait « prospérer cet établissement. Il a su inspirer tant de « confiance, que depuis longtemps il trouve à emprunter « à quatre pour cent, au lieu de quinze et plus qu'il payoit « à la fin du siècle, sous le régime des actionnaires. Sou- « vent même il ne peut prendre tout l'argent qu'on lui « apporte : » FAVARD, *ibid.*, p. 634. « La moyenne des « engagements est aujourd'hui (1840) de plus de vingt mil- « lions. Les frais d'administration s'élèvent à six cent mille « francs : » PETIT, p. 503. Liberum est mutuanti pecuniam suam repetere quando voluerit, ut dicitur, *avec escompte*.

Nota. In locis ubi non existunt Montes pietatis, optaret D. DEVIE, episcopus Bellicensis, ut instituerentur quas vocat *Caisses de secours*, in quibus mutuum daretur indigentibus cum modico auctario : sic eximerentur ab immodicis usuris quibus opprimuntur. *Manuel des Connoiss. utiles aux Ecclésiastiq.*, c. 1, sect. III, §. VI, p. 53 et seq.

PUNCTUM 6. *De cessione creditorum.*

1240. Sub eo titulo generali plura includimus : loquemur 1°. de cessione creditorum quibus annexum est auctarium; 2°. de commercio chirographorum, Gallice *Escompte des billets* : 3°. de negotiatione censuum publicorum, seu, ut aiunt, *des Opérations sur les fonds publics* : hæc enim omnia facile intelligi possunt nomine generali creditorum (*créances*); et de iis occurrunt plures quæstiones apud theologos parum obviæ, et tamen magni momenti præsertim in urbibus frequentioris commercii, vulgo *Places de commerce*.

Quæstio 1. *De cessione creditorum quibus annexum est auctarium.*

1241. Cum, ut vidimus in paragr. præcedenti, varii sint tituli ex quibus potest percipi lucrum supra sortem, quæstio est, an jus illud possit ab altero acquiri, et quatenus; seu aliis verbis, quatenus admittenda sit subrogatio in jus creditoris qui auctarium percipit? Nullum dubium est quin ea credita, quemadmodum varia jura incorporea, possint ab uno ad alterum transire, prout diximus antea (n° 744 et seq.); sed difficultas est, an tunc nihilominus deberi pergat auctarium, et cuinam; et quodnam pretium solvendum sit ratione illius auctarii? Quæ omnia ut elucidentur, distinguendæ sunt variæ hypotheses.

I°. Si acquirens *contrahat cum debitore,* nisi ipse habeat titulum personalem, jus nullum habet ad auctarium. Etenim hæc conventio nihil aliud est quam mutuum traditum debitori : exinde debitor lucrum percipit, cum solvat suum debitum, et sic non amplius debeat auctarium; sed lucrum mutuatarii non confert mutuanti jus aliquid percipiendi supra sortem. Ita D. Richard.

Equidem ex dispositione juris civilis, art. 1250-2°. cod. Civ., potest mutuans, ut vidimus (n° 411), quibusdam servatis, a debitore subrogari juribus creditoris; ex quo primo intuitu concludi posset, ipsi transmitti jus percipiendi auctarium. Verum illa legum dispositio non est in eo sensu intelligenda. Subrogatio valet quoad assecurationem sortis, et privilegium concessum novo creditori præ cæteris creditoribus posterioribus ei cui subrogatur; sed nullum jus ipsi confert ad auctarium : nam jus illud non accipit a priori creditore, quocum non contraxit; illud autem quod habere contenderet a debitore esset usurarium, utpote vi solius mutui obtentum : illudque consentaneum est doctrinæ jurisperitorum, juxta quos,

etiamsi prior creditor jus haberet coram lege, v. g., ad auctarium decem pro centum, quia mutuum initum fuerat ante legem 3 sept. 1807, non ideo poterit subrogatus idem exigere, ut retulimus *ibid.*, p. 539.

1242. II°. Si acquirens seu cessionarius *contrahat cum creditore*, major adest difficultas : nec concordant inter se auctores numero pauci, apud quos invenimus quæstionem expendi, scilicet LEOTARDUS, q. XXIX, n° 16 et seq.; DE OLEA, *de Cessione creditorum et actionum*, 2 vol. in-fol., 1740, tit. VI, q. II, n° 27 et seq.; LAFORET, p. 246; auctor opusculi cui titulus, *Observations sur les intérêts des dots, des légitimes et des autres créances exigibles*, 54 pp. in-12, quem suspicamur esse P. CARPUAC, et D. RICHARD. Scilicet plura in quæstionem veniunt. Primum, quo pretio possit illud creditum acquiri. Juxta D. Richard et P. Carpuac, et in principiis Leotardi, non potest acquiri pro summa capitali tantum : nam creditum in se, independenter ab auctario, modo sit certum et facilis solutionis, huic summæ æquivalet ex antea dictis; ergo acquirens nihil solveret pro auctario : atqui tamen illud auctarium alicujus est valoris, majoris vel minoris prout magis vel minus probabile est quod debitor non statim debitum extinguet, sed auctarium solvet; quod adeo verum est, ut creditor posset separatim auctarium illud vendere, ut docent LEOTARDUS, n° 19, et DE OLEA, n° 28. Contra, juxta Laforêt, idemque teneri vidimus a viris doctissimis et usuræ valde infensis, potest acquiri creditum pro summa capitali : tale est, inquiunt, illius pretium; non enim pluris valet, cum ex omnium confesso possit debitor, quando ipsi libuerit, illud totaliter extinguere solvendo illam summam. Aliunde qui emit eo pretio, injuriam non facit creditori, qui statim ac pretium sibi debitum recepit, nihil amplius exigere potest; nec etiam debitori, qui tenetur auctarium solvere, donec debitum extinxerit, et cujus parvi interest an

creditori solvat, an alteri : ergo assignari nequit cuinam restitutio deberetur. Et hoc secundum est quod in quæstionem venit, cuinam restitutio debeatur. Pro creditore stat D. Richard, quando non agitur de auctario debito ob damnum personale; quia licet creditum alteri transtulerit, jus servavit ad auctarium recipiendum, donec solutionem a debitore accepisset : idem tenet LEOTARDUS, n^is^ 25 et 26. Contra, pro debitore stat P. CARPUAC, p. 45; quia cum cessaverit titulus ex quo debebat auctarium, scilicet damnum ex defectu solutionis obveniens creditori, indebitum solvit cessionario, ac proinde potest illud repetere. Et hoc est tertium, a quo alia pendent, utrum nempe quando creditor jus suum alteri transfert, extinguatur obligatio auctarium solvendi, necne.

1243. Ut ex illis ambagibus emergamus, nobis videtur alio ordine procedendum, varias illas quæstiones conjungendo, et distinguendo pro ratione titulorum ex quibus deberi potest auctarium.

I. Si auctarium debeatur ob *periculum sortis*, cum inde minuatur valor crediti, ut alibi diximus (n° 748), auctarium solvendum est a debitore, in cujuscumque manus creditum transeat. Igitur si cessionarius creditum non emat nisi minori pretio ob periculum, auctarium debebitur primo creditori, qui alioquin ad æqualitatem non compensaretur : si vero emat toto suo valore, ipse jus habebit ad auctarium. Quid vero dicendum si ipse cessionarius propter circumstantiam sibi peculiarem non incurrat idem periculum, expendimus *ibidem*.

1244. II. Si auctarium debeatur vel ob *dotem non solutam*, vel ob *rem frugiferam* nondum soluto pretio traditam, qui casus præcipue in præsenti quæstione attenditur, hæc statui possunt. 1°. Creditor, licet alteri transferat suum creditum, non amittit jus auctarium percipiendi. Nam jus illius fundatur, ubi agitur de dote,

oneribus matrimonii quæ suffert; ubi vero de re frugifera, in eo quod non teneretur eam emptori tradere ante solutum pretium : porro illi tituli subsistunt, quamdiu suæ obligationi non satisfecit debitor, qui non debet fructum percipere ex conventione quam creditor iniit cum cessionario, cum neuter ipsi favere intenderit, et illa conventio respectu ipsius sit res inter alios acta, quæ proinde ipsum liberare nequit. Ergo creditor servat jus auctarium exigendi. Equidem ex crediti cessione melior fit ipsius conditio, cum simul pretium et fructus rei seu auctarium habeat; sed cum illud obtineat absque damno cujusquam, nihil aliud est quam lucrum obtentum ope mutui sibi traditi, vel alterius contractus ab eo initi, in quo nihil est injustum. Ita, ut nobis videtur, merito D. Richard. 2°. Cessionarius non potest acquirere creditum et jus ad auctarium solvendo tantum summam capitalem. Nam valor crediti certi est summa in eo contenta : valor auctarii est summa ipsi proportionata secundum probabilitatem solutionis. Hoc posito, vel illa cessio habetur ut venditio, vel ut mutuum. Si sit venditio, violatur æqualitas, cum cessionarius acquirat creditum et jus ad auctarium, et non solvat nisi valorem crediti : licet enim debitor possit utrumque extinguere solvendo summam capitalem, evidens videtur creditum illud majoris esse valoris quam si huic non annecteretur auctarium; illud auctarium est æstimabile prout probabile est summam capitalem non fore statim solvendam a debitore. Si sit mutuum, aderit usura in auctario percepto : et ille est modus magis obvius quo intuenda est illa conventio, in qua vulgo cessor habetur ut indigens mutuo quod non invenit gratuito, cessionarius vero ut mutuo tradens pecuniam et exinde lucrum intendens. 3°. Hinc si cessionarius non solverit nisi summam capitalem, et percipiat auctarium, restituere tenebitur cessori seu creditori. 4°. Si cessionarius

solvat cessori pretium proportionatum, poterit auctarium percipere : licet enim ex seipso titulum non habeat, juste acquisivit jus quod cessori suo competebat.

1245. III. Si auctarium debeatur titulo *damni emergentis* aut *lucri cessantis,* distinguendum videtur. Vel, non obstante cessione, damnum emergit aut lucrum cessat, v. g., quia nonnisi consequenter ad illa fit cessio, vel per cessionem impeditur damnum aut cessatio lucri. In priori casu, nullum dubium quin cessor servet jus ad auctarium : potest etiam illud transferre cessionario, et ejus habita proportione augendum est pretium crediti, ut facile ex dictis intelligitur. In posteriori casu, rursus distinguendum videtur. Si conventum fuerat de auctario hypothetice tantum, id est, posito quod damnum eveniret, cum de facto damnum non eveniat, auctarium non debetur. Si vero conventum fuerat absolute et ad omnem eventum, putaremus nihilominus deberi, quamvis contrarium asserat D. Richard. Nam in eo casu, ut alibi diximus (n° 1171), stipulatum est de auctario, non tam pro damno reali, quam pro periculo illius : porro licet de facto damnum non oriatur, quia creditor per cessionem illud præcavit, nihilominus verum est quod periculum illius subierit; potuisset enim cessionarium non invenire, neque ex eo quod invenerit potest se excusare debitor ab auctario solvendo. Quamvis autem reipsa a periculo liberetur per cessionarium, cum cessionarius illud in se non suscipiat, nihil aliud hic occurrit nisi commodum quod ex mutuo obtinet cessor; igitur non cessionario, sed cessori debetur auctarium, ac proinde, si illud relinquat cessionario, illius ratio habenda est in determinando crediti pretio, juxta id quod jam diximus.

1246. IV. Si auctarium debeatur ex *pœna conventionali,* vel ex *sententia judicis* in opinione eorum qui hunc titulum admittunt, distinguendum est. Si, quando fit cessio,

debitor sit jam in mora, jus est acquisitum creditori, ac proinde potest illud alteri transferre, ipsique debetur pretium pro illo auctario independenter a summa capitali. Si vero debitor nondum sit in mora, cum cessor non amplius remaneat creditor, non videtur jus servare ad auctarium, quod ipsi debebatur ratione injuriæ ipsi inferendæ, quæque ipsi non inferetur : sed cum in ejus locum subrogetur cessionarius, qui moram debitoris, si adsit, patietur, putamus ipsum posse auctarium, casu occurrente, exigere, nec ullum ideo pretium debere suo cessori præter summam capitalem, cum penes ipsum solum reperiatur titulus.

Quæstio 2. *De commercio chirographorum*, Gallice escompte des billets.

1247. Si negotium perficiatur inter debitorem seu subscriptorem chirographi et creditorem, facile intelligitur nil aliud esse quam solutionem anticipatam debiti; ac proinde applicari debent quæ ea de re diximus (n° 1200).

Sed sæpe chirographa venduntur extraneis ab iis in quorum gratiam sunt subscripta; et quidem minori pretio ratione temporis quod adhuc superest usque ad terminum solutionis : illudque proprie vocatur *Escompte des billets*. Duplici modo id fit. Plerumque ex summa totali chirographi deducitur auctarium, et reliquum solvitur : v. g., e chirographo 100 fr. deducuntur 5 fr., vel 6 in materia commercii, et sic lator chirographi recipiet 95 vel 94 fr. Ille modus vocatur *Escompte en dedans* : et facile intelligitur ibi solvi usuram usuræ, seu ultra taxationem legalem; qui enim non recipit nisi 94 aut 95 idem auctarium solvit ac si reciperet 100. Ut vitetur illud incommodum, aliquando fit quod vocant *Escompte en dehors* : res ita componuntur ut de facto auctarium non solvatur nisi pro summa recepta; v. g., pro eodem chirographo 100 fr. lator recipiet 95 fr., et addentur 25 cent., quibus com-

pensetur auctarium 5 fr. quos non recipit : et si omnimoda præcisio exquiratur, ex illis 25 c. detrahetur quod correspondet auctario pro his percipiendo.

Jam vero pro certo statuit POTHIER, *Usure*, n° 130, hic nil aliud adesse in rei veritate quam mutuum implicitum ; ac proinde lucrum ab emptore perceptum non minus injustum esse et usurarium quam lucrum directe perceptum vi mutui; imo adesse usuram supra taxationem legalem, quando nempe fit quod vocant *Escompte en dedans*. Agnoscit tamen excusari emptorem, non solum quando ex carentia pecuniæ lucrum ipsi cessat aut damnum emergit, sed etiam quando ipse adhibiturus est chirographum ad solvendum proprio creditori, qui illud non recipiet nisi facta deductione ratione termini; alioquin damnum pateretur : idemque admittit *Collat. Parisiens.*, t. II, l. III, §. 9, p. 218, 219 : et observant ea ratione posse non raro excusari mercatores.

Sub jure hodierno, quidam jurisperiti existimant cum Pothier eam chirographorum emptionem nil aliud esse quam mutuum implicitum; unde concludunt, non quidem reprobandum esse quodlibet auctarium, cum etiam in mutuo auctarium admittatur coram lege, sed applicari debere legem 3 sept. 1807 quæ taxat illud auctarium, ac proinde emptorem non posse retinere ultra 5, aut 6 in materia commercii. Ita CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 489, p. 195 et seq.; DUVERGIER, *Prêt*, n° 293 et seq. Verum jurisprudentia satis constans, ipsius etiam Curiæ supremæ, non subjicit hujusmodi negotiationes legi 3 sept. 1807, nisi ex circumstantiis appareat sub harum specie obtegi mutua usuraria. Vid. PETIT, *Tr. de l'Usure*, p. 31 et seq. Inde concludit FRÉMERY, *Étud. de Droit commerc.*, c. XIII, p. 79 et seq., legem sub eo respectu abrogatam fuisse per consuetudinem, quia judicat nullum verum discrimen admitti posse inter mutuum et negotiationem

de qua loquimur : venditor chirographi vere recipit summam post terminum emptori reddendam a subscriptore chirographi, vel eo deficiente ab ipso venditore; unde emptor seu mutuans, loco unius, duos habet erga se obligatos. Non ita rem intelligit TROPLONG, *Prêt*, n° 370 et seq. Juxta ipsum, negotiatio de qua agimus non est mutuum, sed vera venditio et emptio juris incorporei, seu chirographi, quod loco mercis habetur et ut tale acquiritur : ac proinde hic applicanda non est lex 3 sept. 1807. Asserit jurisprudentiam omnino stare pro hac sententia; eamque fulcire conatur multis argumentis, quæ spectant ad eos qui ex officio tale commercium ineunt, nempe campsores seu bancarios. Ita etiam CHABROL, *Diction. de Législat. usuelle*, v° *Escompte*.

Inter hæc, et ad forum conscientiæ respiciendo, remittimus ad ea quæ supra dicta sunt circa *Venditionem chirographorum* (n^is^ 748, 749), quibus nonnulla addemus ad præsentem locum magis directe spectantia. Itaque 1°. ratio habenda est qualitatis chirographorum, an sint incerta et litigiosa, necne. Si talia sint, applicanda sunt quæ diximus. 2° Si dirigantur ad urbem extraneam, recurrendum ad ea quæ diximus *de Cambio* (n° 1094 et seq.). 3°. Si non dirigantur ad urbem extraneam, et emantur a privatis seu ab aliis quam bancariis, standum pariter iis quæ diximus (n° 749). 4°. Si emantur a bancariis, seu ab iis qui tale commercium exercent, agnoscendum est adesse peculiares rationes : nam, ut evolvit TROPLONG, speciatim n° 375 et seq., bancarius multas expensas faciendas habet ut præsto sint summæ his qui chirographa vendere volunt persolvendæ, præsertim cum sæpius ipse cogatur has summas mutuo accipere, et pro his auctarium solvere; insuper in commercio illo pecuniario cui vacat varia pericula incurrit, ne scilicet quando chirographi solutionem obtinebit minus utiliter possit summam hanc adhibere, et

plura alia hujusmodi, quorum ratio habetur ad determinandum pretium, ut dicitur, *de l'Escompte*. Uno verbo, iidem fere tituli occurrunt quos vidimus pro campsoribus. Unde, concludit idem auctor, n° 376, adsunt hic elementa alterius generis ac in mutuo. Id satis probabile nobis videtur; et aliquatenus elucidari potest ex iis quæ diximus *de Lombardis* (n° 1236). An autem et quatenus possit ideo exigi auctarium supra taxationem legis, opportunius expendemus ubi de ea taxatione (n° 1294).

Quæstio 3. *De negotiatione censuum publicorum*, Gallice *des* opérations sur les fonds *ou* effets publics.

1248. Eo nomine (*Fonds publics, Effets publics*) designantur non solum census publici (*Rentes sur l'État*), sed et credita super institutis publicis, vel societatibus a Gubernio approbatis (*Actions de la Banque, Obligations de la Ville de Paris, Actions des Compagnies d'assurance*, etc.), vel etiam super regnis extraneis (*Emprunt Romain, Rentes de Naples*, etc.). Hæc venalia exponuntur in foro Argentario (*à la Bourse*[1]), et de his multæ ineuntur conventiones, plus minusve implicatæ, quæ dicuntur *Opérations de Bourse*, de quarum legitimitate judicare aliquando satis difficile est. Aliunde apud multos invaluit hæc opinio, quod theologi, ab earum omnium operationum praxi alieni, de iis pronuntiare non debeant, nec eorum sententia magni momenti esse debeat. Non omnino abnuimus:

[1] « C'est à Bruges, en Flandre, que l'on s'est servi pour la première « fois du mot *Bourse*, pour désigner le lieu où les marchands tenoient « leurs assemblées, et la dénomination est venue de ce qu'ils se réu- « nissoient près d'une maison appartenant à la famille *Vander- « Bourse*.... C'est à Toulouse (en 1549) et à Rouen (en 1556) que « furent établies les premières Bourses françaises. Celle de Paris ne « fut organisée qu'en 1724. On en institua plus tard dans beaucoup « d'autres villes de commerce. » Mollot, *Bourses de commerce*, Introd., p. 2, 3, et l. 1, n° 3, p. 16.

sed tamen ab omnibus agnoscendum est, ut evolvit LA PORTE, *Princip. Théologiq.*, t. I, p. 371 et seq., in his, sicut in aliis omnibus quæ intersunt ad salutem, dirigendos esse fideles ab iis qui constituti sunt divinæ legis interpretes, quemadmodum de his in eo quod spectat ad dispositiones legum civilium judicium ferunt jurisperiti, qui tamen ipsi plerumque hujusmodi operationibus non vacant : alioquin judicium committendum esset solis rei pecuniariæ tractatoribus, quos tamen ordinarie esse circa principia morum satis imperitos constat, et de quibus insuper valde timendum est ne, judices in propria causa et cupiditate obcæcati, sibi ipsis illudant. Ergo id unum concludi potest, optandum esse ut theologi, antequam de iis quæstionibus pronuntient, sedulo incumbant investigandæ variarum operationum naturæ, de qua profecto utile iis erit interrogare viros in his rebus peritos et exercitatos. Ut eos in hac investigatione adjuvemus, opportunum duximus hic paucis exponere præcipuarum hujusmodi operationum naturam, inhærendo variis auctoribus[1]

[1] Hi sunt præcipui : JACQ. BRESSON, *des Fonds publics français et étrangers, et des Opérations de la Bourse de Paris*, edit. V, 1825, 1 vol. in-12 : ibi indicatur præsertim quod vocaremus *le Matériel de ces effets* (les fonds qui les composent, l'évaluation des revenus qu'ils produisent, etc.), necnon et varia decreta aut edicta huc spectantia. LAMST, *Manuel de la Bourse*, edit. II, 1829, 1 vol. in-18 : ejusdem generis, sed magis compendiose. BIZET, *Précis des diverses manières de spéculer sur les fonds publics*, edit. IV, 1821, 1 vol. in-8° : ibi melius exponitur natura, ut ita dicam, intima et formalis variarum operationum. FRÉMERY, *Étud. de Droit commercial*, c. XLV, p. 423-522, accurate exponit et scrutatur naturam, simulque discutit vim legalem variarum operationum : pars illa seorsim edita est sub hoc titulo : *des Opérations de Bourse*, 1833, 1 vol. in-8°. MOLLOT, *Bourses de commerce, Agents de change et Courtiers*, 2e édit, 1831, 1 vol. in-8° : ea exponit potius quæ respiciunt officia, seu jura et obligationes eorum qui concurrunt ad varias operationes, quam ipsam naturam operationum, de quibus tamen plura utilia habet. Quosdam alios jurisperitos in decursu citabimus.

qui de his ex professo scripserunt, et indicare principia juridica et theologica quæ his applicari debent. Agemus seorsim de censibus publicis, et de actionibus variarum societatum.

1249. I°. *De negotiatione censuum publicorum proprie dictorum* (RENTES SUR L'ÉTAT). Si agatur tantummodo de emptione horum censuum, prout fit ab eo qui intendit pensiones annuas successive percipere, nulla est peculiaris difficultas : applicari possunt quæ diximus de censibus generatim spectatis (n° 1057 et seq.). Licet emere pretio currenti[1], etiamsi tale sit ut censualista percepturus sit e pecunia sua auctarium supra taxationem legalem (n° 1058). Illa emptio, ex art. 76 cod. Comm., fit per ministerium proxenetarum qui dicuntur *Agents de change*, quibus ideo debetur modicum salarium[2] : emptori traditur titulus, qui nihil aliud est quam inscriptio census (*Inscription de rente*[3]), cujus ope percipiet ex ærario publico pensionem quolibet semestri per dimidiam partem solvendam (22 mart. et 22 sept. pro censu 5 aut 4 pro 100, 22 jun. et 22 dec. pro censu 3 pro 100). Hujusmodi emptiones vocantur ab auctoribus *Opérations de placement*.

[1] Pretium illud quotidie indicatur in diariis publicis, pro variis censuum speciebus : quando agitur, v. g., de censu 5 p. 100, et dicitur pretium esse 119, sensus est ad acquirendum jus ad censum annuum 5 fr. solvendos esse 119 fr.; si agatur de censu 3 p. 100, et pretium sit 80, solvendi erunt 80 fr. ad acquirendum jus ad censum annuum 3 fr., et sic de aliis.

[2] Salarium illud vocatur *Droit de courtage* : « Il est de $\frac{1}{8}$ p. 100 « prélevé sur le capital, ou 12 centimes $\frac{1}{2}$ par 100 francs. » LAMST, p. 119. Ita Parisiis : in quibusdam aliis urbibus est majus vel minus. Vid. MOLLOT, n^is^ 409, 410, et Append., n° XVI, p. 544.

[3] « Le titre d'une inscription de rente est l'extrait d'un article inscrit « sur le grand livre de la dette publique, fondé par la loi du 24 août « 1793, ou sur un des livres auxiliaires créés pour les départements par « la loi du 14 avril 1819 : le titre d'inscription exprime que N. est inscrit « sur le grand livre pour *une rente* de.... » FRÉMERY, p. 445, *Note*.

Sed majores exsurgunt difficultates, si agatur de iis quæ vocantur *Opérations de spéculation*, quibus nempe aliquis successive emit et vendit ad obtinendum lucrum. Ad duo genera reducuntur : *opérations à la hausse*, quando quis emit minori pretio, ut postea vendat majori; *opérations à la baisse*, quando vendit majori pretio, ut postea emat minori. Sed utrumque fieri potest variis modis : scilicet aliquando conventio fit statim exsecutioni mandanda, aliquando ad terminum, etc. Nonnulla dicemus de tribus præcipuis modis, qui ex usu recepto vocantur *Opérations au comptant, Marchés à terme, Reports*.

1250. I. *De negotiatione censuum*, ut dicitur, Au comptant. Quando agitur de mercibus ordinariis, eo nomine intelligitur venditio quæ fit numerata pecunia, id est, in qua pretium statim solvitur : sed quoad census publicos intelligitur venditio in qua census statim tradendus est, per oppositionem ad venditionem ad terminum, in qua census non traditur nisi elapso termino; cæterum usu receptum est ut semper pretium solvatur statim ac census seu inscriptio traditur, nec conceditur dilatio. Frémery, p. 434, *Note*.

Pretium censuum multis exponitur variationibus, quæ ortum ducunt sive a vulgari opinione circa statum plus minusve securum et prosperum rei publicæ, sive ex majori minorive numero venditorum vel emptorum, sive ex multis aliis circumstantiis, quæ aliquando ne ipsis quidem peritioribus sunt clare perspectæ. Hinc in ista, sicut in aliis mercibus, non pauci lucrum percipere conantur emendo minori pretio, et vendendo majori. Qui securius agere volunt, conventiones ineunt et statim exsequuntur; sic modico exponuntur periculo : ut enim observat Bizet, p. 69, si, quando sperabant augendum pretium, contra minuatur, habent præ manibus censum ipsum, et interim, donec occurrat occasio sperata, percipient pensionem

annuam; si contra, quando sperabant minuendum pretium, augeatur, servant suam pecuniam. Attamen hodie qui ita negotiantur sunt numero paucissimi præ iis qui ad terminum, ut mox dicemus.

Facile intelligitur talem negotiationem nihil injusti præ se ferre, modo emptio et venditio fiant pretio currenti. Sed si quis falsos rumores spargat, vel alias vias fraudulentas adhibeat, ut pretii cursum pro suo lucro determinet, agnoscunt omnes eum esse reum injustitiæ; imo gravibus pœnis plecti potest ex codice Pœnali, art. 419. Sola difficultas esse potest, an ii qui non influxerunt in eam injustam pretii determinationem, possint huic stare, seu juxta illam emere aut vendere? Hæc quæstio affinis est ei quam antea expendimus (n° 705) de pretio per monopolium injustum inducto. Sed hic dici potest esse de natura harum mercium ut talibus eventibus exponantur; et adeo incerta ac fortuita esse pleraque ex iis quæ influunt in earum pretium, ut obligari nequeant ementes et vendentes ad expendendum an veritati, an falsitati innitantur.

1251. II. *De negotiatione censuum ad terminum* (MARCHÉS A TERME). Eo nomine designatur conventio quæ exsecutioni mandari non debet, seu in qua traditio census et solutio pretii fieri non debent nisi post quoddam tempus determinatum, id est, in fine mensis currentis, vel mensis proximi: nam ordinarie hæ negotiationes referuntur ad finem mensis, et ex usu priscis legibus innixo non extenduntur ultra duos menses. Terminus, sicut in conventionibus ordinariis (art. 1187 cod. Civ.), censetur appositus in gratiam emptoris, qui potest antea, si velit, exigere traditionem census[1], modo quinque in antecessum diebus

[1] Quando emptor utitur hac facultate, id vocatur *Escompte*. « Lors« que la rente a subi une hausse rapide, et que l'on entrevoit que cette « hausse aura de la continuité, certains acheteurs fin du mois, dans « les prix bas, peuvent craindre qu'en attendant jusqu'à la liquidation,

præmonuerit : unde in schedula conventionis dicitur, v. g., *Livrable fin mars ou plus tôt, à volonté.* Si illæ conventiones ita ineantur ut non sit penes alterutrum e contrahentibus eas resolvere quando elapsus est terminus, vocantur *Marchés fermes.* Sed aliquando potest quilibet e contrahentibus conventionem dissolvere, relinquendo alteri modicam pecuniæ summam de qua conventum fuit, quæ dicitur *Prime;* tales conventiones dicuntur *Marchés libres,* vel *Marchés à prime :* plerumque illa summa solvitur ab emptore; sed aliquando solvitur ab ipso venditore, et tunc vocatur *Prime pour recevoir*[1].

« leurs vendeurs ne livrent point les effets convenus; dans ce cas, on « escompte pour s'assurer la livraison des effets dont on est acheteur.... « Les escomptes sont souvent employés avec succès par les spécula- « teurs, et quelquefois par le Gouvernement pour faire monter les « effets publics; car toutes les fois que l'on escompte à un vendeur à « découvert (on nomme ainsi celui qui vend une quantité d'effets pu- « blics qu'il ne possède point), ce dernier ne pouvant livrer est forcé « de racheter à quelque prix que ce soit; et si un grand nombre de « spéculateurs se trouvent dans le même cas, naturellement cela doit « produire une hausse. » Bresson, p. 225, 226; Bizet, p. 93.

[1] « Les marchés libres se font à terme. Ce terme est à peu près le « même que celui des marchés fermes.... Le prix de la prime varie en « raison du temps que le marché a à parcourir, et en raison des risques « financiers ou politiques que peuvent courir les effets publics.... Dans « les temps ordinaires, le prix de la prime est de 1 fr. pour un mois; « il diminue si le terme du marché est moins long.... » Pretium illud sic exprimitur : « 104 *dont un* : on entend par *dont un* le franc de « prime, qui doit se payer d'avance, et qui, dans cette locution, se « trouve sous entendu. Ainsi l'on pourroit dire : J'achète des rentes à « 104 fr., dont 1 franc que je paye d'avance, moyennant lequel franc « il m'est loisible de consolider le marché ou de l'annuler en en faisant « l'abandon. Il faut remarquer que ce franc, dans le cas où le marché « à prime se consolide, devient un à-compte sur le prix principal, et « qu'ainsi des rentes achetées à 104 fr. *dont un*, ne doivent plus au « vendeur que 103 fr.... On peut considérer les marchés à prime comme « une espèce de contrat d'assurance, parce que l'acquéreur donne une « prime pour s'assurer des rentes à un prix déterminé; le vendeur qui « la reçoit doit avoir cet avantage pour l'indemniser des risques de la « variation journalière des effets publics. » Bizet, p. 98-100.

Jam vero hujusmodi negotiationes ad terminum multo frequentiores sunt quam eæ quæ dicuntur *au comptant*[1],

[1] « Dans les spéculations sur les fonds publics, les affaires à terme « surpassent au moins de cinquante fois les affaires au comptant.... « Les opérations à terme surpassent, dans le cours d'une année, peut- « être de quatre fois la valeur de la dette inscrite. » BIZET, p. 93, 136.

Quomodo fiant hujusmodi negotiationes intelligetur ex istis exemplis. « *Spéculations à la hausse.* Croyant à la hausse des fonds, je fais « acheter par un agent de change 5000 fr. de rentes, fin du mois, à « 100 fr. Ce cours se bonifie et s'élève jusqu'à 101 fr. 50 c.; je fais « revendre à ce cours mes 5000 fr.: il en résulte une différence à mon « avantage de 1 fr. 50 c.; ce qui me donne un bénéfice de 1500 fr. « sur mon marché. Mais si les rentes baissent jusqu'à 98 fr., au lieu de « monter, et que je sois forcé de vendre à ce cours les rentes que j'ai « achetées à 100 fr., il en résultera une différence contre moi de « 2 fr.; ce qui portera ma perte à 2000 fr.... C'est (donc) au moyen du « terme que l'individu qui croit à la hausse fait son opération : il n'a « pas besoin du capital de la rente qu'il achète; il suffit qu'il ait une « somme nécessaire pour payer la différence qui pourra se trouver « entre le cours auquel il aura acheté et celui auquel il vendra, en cas « de baisse. » *Ibid.*, p. 73, 74.

« *Spéculations à la baisse.* Croyant à la baisse des fonds, je fais « vendre ferme à découvert, fin du mois, 5000 fr. de rente à 100 fr. « Le cours baisse à 97 fr. 50 c.; je rachète à ce dernier cours, ferme et « au même terme, pour faire ma livraison à celui auquel j'ai vendu. « J'ai donc une différence à mon avantage de 2 fr. 50 c., qui me « donne 2500 fr. de bénéfice. Mais si la rente, au lieu de baisser, « vient à monter jusqu'à 102 fr., et que je sois forcé d'acheter à ce « cours, j'aurai une différence contre moi de 2 fr., qui portera ma « perte à 2000 fr. » *Ibid.*, p. 85.

Ex his intelligitur augmentum pretii census prodesse emptori, imminutionem vero prodesse venditori : unde, ut aiunt jurisperiti, *l'Acheteur spécule à la hausse, le Vendeur spécule à la baisse.* FRÉMERY, p. 426, 427, et 494, 495; TROPLONG, *Contr. aléat*, n° 101.

Quando agitur de conventionibus liberis (*à prime*), sic ineuntur conventiones. « *Achats à prime.* Les achats à prime se font pour « spéculer à la hausse ou à la baisse des fonds publics, et quelquefois « pour suivre ces deux chances simultanément.... Dans le commence- « ment d'un mois le prix de la rente à prime est ordinairement de 1 « à 2 fr. plus cher que celui de la rente ferme : la prime doit être de « 1 fr.... La rente ferme vaut, fin du mois, 102 fr.... Acquéreur de « 5000 fr. de rente à 104 *dont un* (cet *un* forme une somme de 1000 fr. « que je compte de suite), si je veux spéculer *à la hausse*, je dois

quia fieri possunt quin hic et nunc præ manibus habeatur tanta pecuniæ copia; imo sæpe fiunt quin habeantur census

« rester tranquille sur mon marché. Il faut une grande hausse pour « que je me trouve en bénéfice; car la rente étant à 102 fr. fin du « mois ou au comptant, il faut que la hausse soit de plus de 2 fr. pour « que j'obtienne un gain quelconque; mais aussi la plus grande baisse « ne peut m'atteindre que pour le prix de la prime, parce qu'alors « j'annule le marché en en faisant l'abandon. » Bizet, p. 99-101.

« Si je veux spéculer *à la baisse* et me parer d'une trop grande « perte, j'achète à prime *ut supra*.... Puis je vends 5000 fr. de rentes « fermes au cours de 102 fr. Étant, à ma volonté, possesseur ou non « des rentes que j'ai acquises à prime; si les fonds montent, je les « livrerai, et ma perte ne peut être plus grande que la différence qui « se trouve exister entre le prix de mon acquisition à prime et celui de « ma vente ferme, c. à d., 2 fr. ou 2000 fr. Mais si les fonds tombent « jusqu'à 98 fr., je rachèterai ferme alors, à ce prix, les rentes que j'ai « vendues également fermes à 102; cette opération me donnera con- « séquemment 4 fr. de différence ou 4000 fr. Mais comme je dois aban- « donner la prime, attendu que le cours est beaucoup au-dessous de « celui auquel j'ai acheté, il faut réduire mon bénéfice de 1000 fr.; il « me restera donc définitivement 3000 fr. » *Ibid.*, p. 101, 102.

« Lorsque l'on veut spéculer *à la hausse et à la baisse en même « temps*, on fait acheter une somme quelconque de rentes à prime, on « en revend moitié ferme et l'on reste sur l'autre moitié; de telle « sorte que, si les fonds baissent, la moitié vendue doit apporter un « bénéfice, de même que, s'ils haussent, la moitié sur laquelle on est « resté doit également en apporter. » *Ibid.*, p. 104.

« *Ventes à prime.* Je suis porteur d'une inscription qui m'a coûté « 100 fr.; je vends à 102 *dont un* : si la rente est levée, elle m'est « payée plus cher que je ne l'avois achetée; si elle me reste, la prime « m'est acquise et forme un bénéfice pour moi. Mais cette spéculation ne « peut se faire par vente *à découvert* (c. à d., en vendant des rentes « qu'on ne possède pas), sans beaucoup d'inconvénients, parce qu'on ne « peut savoir qu'au dernier moment si l'acquéreur lèvera ou non, ni « connoitre quand il faut acheter ou non. « Ce sont les ventes à prime à « découvert qui occasionnent les grandes variations.... Avec ces mar- « chés, jamais une hausse comme une baisse ne peuvent être raison- « nées, elles dépassent toujours l'idée qu'on veut s'en former. » *Ibid.*, p. 109, 110.

« *Primes pour recevoir.* Lorsqu'un spéculateur croit *à la hausse*, « et qu'il veut diminuer le prix de son acquisition en cas de baisse, il « prend une prime pour recevoir des rentes à un prix déterminé. Par « ex.: le cours des rentes est à 104; je demande alors 1 franc de prime,

qui venduntur, et tunc vocantur *Ventes à découvert*, quæ multum influunt in pretium censuum[1]. Sive ineantur conventiones firmæ, sive solubiles[2], recurrendum est ad ministerium proxenetarum (*agents de change*), qui emunt aut vendunt pretio currenti, quod quidem ordinarie majus est ad terminum quam de præsenti, et majus in conven-

« pour recevoir des rentes, fin du mois, à ce cours..., de sorte que mes « rentes ne me reviennent qu'à 103 fr. Mais, par ce marché, je suis « à la disposition de celui qui m'a donné la prime.... Ainsi, si les « rentes viennent à 106 fr. au jour du terme, le donneur fera l'aban- « don de sa prime ; car autrement il perdroit 2 p. 100 : mais si le cours « tombe à 100 fr., il me forcera à recevoir les rentes qu'il m'a ven- « dues à 104 fr. Lorsqu'on croit *à la baisse*, le marché est l'inverse du « précédent. Par ex : la rente est à 100 fr.; j'ai l'opinion qu'à la fin « du mois elle sera à un cours moins élevé, je donne alors une prime « pour forcer à en recevoir au cours de 100 fr. à la fin du mois : si à « cette époque la rente est tombée à 95, je force mon preneur à rece- « voir à 100, j'ai pour moi un bénéfice de 5 p. 100, par la raison que « j'achète à 95 pour livrer à 100 ; en cas de hausse, je fais l'abandon « de la prime, et par ce moyen j'annule le marché. » *Ibid.*, p. 112-114.

[1] « Les ventes à découvert sont un des grands leviers des opérations « sur les fonds publics ; elles occasionnent les baisses..., lorsqu'elles « sont faites en grand nombre ; elles déterminent la hausse, lorsque « les acquéreurs de ces rentes vendues à découvert forcent les vendeurs « à livrer, et qu'ils ne peuvent se procurer de rentes qu'en les cher- « chant, qu'en les demandant à tout prix. » Bizet, p. 86.

[2] Istud adest discrimen inter utramque speciem : « Dans les marchés « fermes, les bénéfices sont en général limités, tandis que souvent les « pertes ne le sont pas. En effet, après s'être rendu acheteur, on se « hâte presque toujours de revendre, dès qu'un léger mouvement de « hausse s'est fait sentir, afin de n'être pas exposé à perdre un béné- « fice assuré : mais si le cours fléchit avant que l'on ait revendu, on « attend, on espère qu'il pourra se relever, on ne veut point revendre « à perte ; et si la baisse se prolonge jusqu'au terme du marché, on se « trouve quelquefois forcé de payer à la fin du mois de fortes diffé- « rences.... Dans les marchés libres, au contraire, la perte est bornée « et les bénéfices ne le sont pas ; car si vous achetez à prime de 1 fr., « quelque forte que soit la baisse vous ne pouvez perdre que la prime « que vous avez payée, et que vous abandonnez pour que le marché « soit annulé, tandis que vous pouvez profiter de toute la hausse qui « survient. » Lamst, p. 128, 129.

tione solubili quam in firma (rationes discriminis mox investigabimus) : iis debetur pariter salarium, quod minus est quam in conventionibus quæ dicuntur *au comptant*[1]. Attamen de facto conventiones hujusmodi sæpe ineuntur vel per personas quibus tale officium legaliter non competit, sed qui illud indebite usurpant (vulgo vocantur *Marrons*), vel immediate ab iis quorum interest (ii dicuntur *Coulissiers*[2]); MOLLOT, p. 73, 229, *Notes*. Quando sic ineuntur conventiones extralegaliter, nulla suppetit via juridica qua unus e contrahentibus alterum compellat vel ad tradendum censum, vel ad solvendum pretium : unde inter eos inest conventio tacita, ut elapso termino conventio dissolvatur per conventionem contrariam, adeo ut nihil aliud fiat quam compensatio diversitatis pretii quod census habuit utroque tempore, solvendo id quod vocant *la Différence*[3] ; solvit venditor, si pretium auctum fuerit; emptor vero, si imminutum. Unde intelligitur tales conventiones non vere et serio iniri; non enim adest vera venditio, quando venditor simul stipulatur emptorem sibi

[1] « Les droits de courtage dus à l'agent de change dans les marchés « à terme ne sont que de $\frac{1}{10}$ p. 100, ou 6 cent. $\frac{1}{2}$ par 100 fr., prélevés « sur le capital. » LAMST, p. 121.

[2] « Dans un local précédemment consacré à la tenue de la Bourse de « Paris, il se trouvoit un couloir séparé, par une cloison à hauteur « d'appui, du lieu où les commerçants étoient assemblés ; ce couloir se « prolongeoit jusqu'auprès du parquet des agents de change. C'est là « que se réunissoient les personnes qui font, entre elles et sans le mi- « nistère des agents de change, des marchés sur les effets publics. On « a appelé ce lieu *la Coulisse*, et de là cette espèce de spéculateurs « a conservé le nom de *Coulissiers*. » FRÉMERY, c. XLV, art. 7, p. 494.

[3] « Ainsi Pierre a vendu 5000 fr. de rente, fin novembre, à Paul, « au prix de 100 fr. Si le 1er décembre le cours de la rente est à 102, « Pierre devra à Paul une différence de 2000 fr., parce que leur mar- « ché se compense au cours de 102 ; ce qui signifie que Paul est censé « vendre, à ce cours et au comptant, 5000 fr. de rente à Pierre : en « sorte que Pierre doit 102 000 fr., et est créancier de 100 000 ; ce « qui, compensation faite, le rend débiteur pour solde d'une différence « de 2000 fr. » FRÉMERY, *ibid.*, p. 494, 495.

venditurum esse eamdem quantitatem, ita ut neuter teneatur censum tradere aut solvere : adsunt tantum, ut dicunt jurisperiti, *des Marchés fictifs*, seu, ut vulgo dicitur, *des Jeux de Bourse*. FRÉMERY, p. 494, 495.

Tandem advertendum est eos qui lucrum quærunt per conventiones modo descriptas, sæpe inire varias conventiones accessorias, sive reales, sive simulatas, quæ ideo tantum fiunt ut influant in pretium censuum, et inducant augmentum vel imminutionem mere fictitia, prout ipsorum interest. Illud est quod in præsenti materia vocant *l'Agiotage*, quod sic explicat FRÉMERY, p. 429 : « L'agioteur « est celui qui, pour s'assurer du bénéfice dans une spé- « culation, combine accessoirement des opérations dont « l'unique but est de maîtriser les cours, et de les pousser « à la hausse ou à la baisse. » Porro, ut observat idem auctor : « Ces opérations, qui peuvent servir l'intérêt « particulier du spéculateur, nuisent à l'intérêt général; « car elles troublent le cours naturel des prix de l'objet « dont la spéculation s'est emparée, et elles déconcertent « les entreprises prudentes et mesurées de ceux qui font « sur ce même objet des opérations purement commer- « ciales.... S'il arrive que la spéculation et l'agiotage « s'attachent à des effets dont le cours soit un indice du « crédit du Gouvernement, il ne faut pas s'étonner si ceux « qui en tiennent les rênes s'arment de toute leur puis- « sance contre des opérations qui les atteignent et les « blessent. » Addi potest maxima etiam exinde mala imminere ipsis privatis, ut nimis frequens a multis annis comprobavit experientia : sequuntur enim generatim infausta consectaria quæ inducere solet ludi libido, ut supra exposuimus (n° 924); sed hic speciatim facilius dilabuntur fortunæ tum ludentium, tum eorum a quibus sæpe summas huic ludo exponendas acceperunt, tum multorum ab his ludis omnino alienorum, sed quorum tamen fortuna

plus minusve proxime connectitur cum pretio currenti censuum publicorum.

1252. Exponendum nunc habemus quid sentiendum sit de variis illis conventionibus, sive ex principiis generalibus juris, sive ex dispositionibus legum.

I. Ex *principiis generalibus juris.* Ante omnia expendendum est, an adsit injustitia ratione discriminis quod intercedit inter pretium census præsentis, et census ad terminum. Ordinarie, ut diximus, majus est pretium census ad terminum : unde videri posset augeri pretium ratione dilatæ solutionis, ac proinde adesse quamdam speciem usuræ ex antea dictis (n° 1199).

Verum non ita se res habet. Eodem tempore, ut diximus, fiet traditio rei venditæ seu inscriptionis, et solutio pretii : non fit proinde venditio quæ vocatur *à crédit.* Augmentum pretii oritur primum naturaliter ex eo quod quolibet mense propior fiat terminus solutionis ab ærario publico peragendæ, ut diximus, quolibet semestri; deinde ex aliis causis quæ influunt in pretium censuum publicorum, et speciatim ex eo quod multi sint qui, ut dicitur, *spéculent à la hausse :* unde aliquando, sed raro, evenit ut inferius sit pretium census ad terminum[1]. Igitur ex

[1] « La rente portant avec elle un intérêt de 41 centimes $\frac{1}{2}$ par mois, « cet intérêt doit être ajouté au prix de la rente lorsqu'elle est vendue « dans un mois pour la fin du suivant (Bizet, p. 122). Les autres « causes accidentelles sont : l'abondance ou la rareté des capitaux qui « viennent chercher de l'emploi à la Bourse ; le plus ou le moins de cré- « dit dont jouissent les rentes ; la manière dont la spéculation sur ces « sortes d'effets se trouve engagée (Mollot, n° 338, p. 267). Lorsque « les spéculations à la hausse à terme sont nombreuses, le cours de la « rente fin de mois sera naturellement plus élevé que celui de la rente « au comptant; de même que s'il y a beaucoup de spéculations à la « baisse, le cours des rentes fin de mois sera au-dessous de celui des « rentes au comptant.... Ce cas est rare et n'arrive guère que dans les « bouleversements politiques.... En temps de paix, les capitaux s'aug- « mentant, viennent se placer, en partie, sur les fonds publics, et en « élèvent nécessairement le prix. » Bizet, p. 122, 123, 125.

parte pretii nulla apparet injustitia, et securus esse potest qui vendit aut emit pretio currenti, et exinde lucrum percipit, quemadmodum fit in commercio ordinario.

Si agatur de conventione libera (*marché à prime*) : « Le « prix des rentes à prime, inquit Bizet, p. 99, est tou- « jours plus élevé que celui des rentes fermes, par la rai- « son que le marché à prime pouvant être annulé par la « volonté du preneur, le donneur doit conserver pour lui « une chance assez favorable pour l'indemniser de ses « risques. » Ibi nihil etiam occurrit injustum : conventio ista differt ab altera in eo quod, ut diximus, addatur quædam assecuratio, seu contractus aleatorius; statim igitur ac alea compensatur per pretium justum seu commune, adest æqualitas in conventione, quæ ideo justa est.

1253. Sed investigandum superest, an immisceatur injustitia aut aliud vitium in variis modis quibus iniri diximus has conventiones. Triplex quasi gradus in iis distingui potest.

1°. Si venditor census vere jam inscriptionem habeat, nec tamen possit statim tradere, v. g., quia ille titulus est in loco remoto, vel sub sigillo (*sous le scellé*), etc., et velit nihilominus statim vendere quia timet imminutionem pretii, nil certe obstat quin vendat ad terminum. Pariter si quis summam pecuniæ post aliquod tempus certo recepturus, velit statim censum emere quia timet augmentum pretii, nil pariter obstat quin emat ad terminum. Conventiones ad terminum, in talibus circumstantiis initæ, sunt omnino consentaneæ principiis juris, æquitati, et utilitati communi, ut observat Troplong, *Contr. Aléat.*, n° 102 : ita etiam Mollot, n° 126; Frémery, p. 504.

2°. Si venditio fiat, ut dicitur, *à découvert*, sed tamen serio ineatur, quia nempe venditor habet facultatem et voluntatem sibi comparandi censum quem possit tradere tempore statuto, nihil pariter occurrit in ea conventione

alienum a principiis generalibus contractuum : ut enim vidimus (n° 669), in materiis commercii vendi potest res nondum ad venditorem pertinens; et illud fit quotidie circa alias merces : nihil autem reperitur in censibus publicis, quod obstet quin idem circa illos fieri possit : FRÉMERY, p. 504, 505; TROPLONG, n° 134. Idem dicendum de emptore qui nondum habet pretium, sed cui suppetit medium illud habendi in tempore opportuno.

3°. Demum si conventio ineatur ab iis qui optime norunt sibi non competere facultatem tradendi censum, nec pretium solvendi, tunc satis apertum est non esse nisi venditionem fictitiam, et pactum reduci ad meram sponsionem; ac proinde applicanda sunt quæ diximus *de Sponsione* (n° 941). Idem dicendum quando reipsa contrahentes nil aliud intendunt quam hanc sponsionem, etsi aliunde ipsis suppeteret medium habendi censum et pretium : actus enim non operantur ultra intentionem agentium. Contra hujusmodi conventiones vehementer loquuntur jurisperiti, et huc referunt dispositiones legum de quibus modo loquemur.

1254. II. Ex *dispositionibus legum*. Fundamentum universæ legislationis Gallicæ circa hanc materiam, inquit FRÉMERY, p. 430, occurrit in edicto 24 septembr. 1724, cujus præcipuas dispositiones refert. Inter alia statuitur art. 29 : « Les négociations.... seront toujours faites par « le ministère de deux agents de change, à l'effet de quoi « les particuliers qui voudront acheter ou vendre.... re- « mettront l'argent ou les effets aux agents de change avant « l'heure de la Bourse. » Art. 26 et 30, præscribitur proxenetis ut habeant regestum in quo designent speciatim et per indicationem numeri objectum quod vendunt. Tandem, art. 36, ipsis præcipitur secretum circa personas pro quibus negotiantur. Sic omnino præcavebantur venditiones ad terminum.

An. 1785-1787, quatuor prodierunt statuta (*arrêts du Conseil*), quibus confirmantur magna ex parte præcedentes dispositiones. Ea in extensum refert MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Marché à terme*, §. II, t. X, p. 517 et seq.; item SIREY, *Recueil des Lois et Arrêts*, t. XXIV, II, p. 325 et seq., ubi adjunguntur decreta recentiora. In primo statuto, 7 aug. 1785, LUDOVICUS XVI, volens impedire, ut ait, « un genre de compromis aussi dangereux pour les ven- « deurs que pour les acheteurs, par lesquels l'un s'engage « à fournir, à des termes éloignés, des effets qu'il n'a pas, « et l'autre se soumet à les payer sans en avoir les fonds, « avec réserve de pouvoir exiger la livraison avant « l'échéance, moyennant l'escompte; engagements dépour- « vus de cause et de réalité, etc. » confirmat, art. 1, priscas leges, speciatim edictum 24 sept. 1724, et statuit art. 7 : « Déclare nuls, Sa Majesté, les marchés et com- « promis d'effets royaux et autres quelconques, qui se « feroient à terme, ou sans le dépôt réel d'iceux constaté, « par acte dûment contrôlé, au moment même de l'enga- « gement;.... défend très-expressément S. M. d'en faire « de semblables à l'avenir, à peine de 24,000 livres « d'amende, au profit du dénonciateur. » In secundo, 2 oct. 1785, statuitur art. 6 : « Il pourra être suppléé « au susdit dépôt par ceux qui, étant constamment pro- « priétaires des effets qu'ils voudroient vendre, et ne les « ayant pas alors entre leurs mains, déposeroient chez un « notaire les pièces probantes de leur libre propriété. » Ibi ergo permittitur quædam species venditionis ad terminum, modo venditor vere jam habeat objecta quæ vendit. In tertio, 22 sept. 1786, confirmatur art. 7 mox citatus, et additur : « Veut S. M. qu'il ne puisse être fait à l'avenir « aucun marché d'effets royaux ou autres effets publics « ayant cours à la Bourse, pour être livrés à un terme plus « éloigné que celui de deux mois, à compter du jour de

« sa date; déclare nuls tous ceux qui seroient à plus long « terme. » Hæc dispositio, ut observat CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 568, p. 337, respicit conventiones permissas in statuto præcedenti. In quarto demum, 14 jul. 1787, confirmantur tria priora, remittuntur hujusmodi causæ ad judices ordinarios, et statuitur « qu'aucun des papiers et « effets des compagnies.... n'y (à la Bourse de Paris) puis- « sent être criés et cotés, ni y jouir d'aucun des avantages « qui n'appartiennent et ne doivent appartenir qu'aux « effets royaux. » Sed nullibi præscribitur, prout præscribebatur in edicto an. 1724, ut nominatim designentur objecta vendita : quæ præscriptio non parum conferebat ad impediendum ne venderentur objecta penes venditorem non exstantia.

Tempore perturbationis Gallicæ, lex 21 april.-8 maii 1791 statuit proxenetas (*les agents de change*) munere suo functuros esse *Conformément aux anciens règlements, jusqu'à la promulgation des nouveaux*. Decretum 13 fructid. an. III (30 aug. 1795) statuit, art. 3 : « Tout homme « qui sera convaincu d'avoir vendu des marchandises et « effets dont, au moment de la vente, il n'étoit pas pro- « priétaire, est déclaré *agioteur*, et doit être puni comme « tel. » Lex 28 vendem. an IV (20 oct. 1795) statuit, c. 2, art. 4 : « Attendu que les marchés à terme ou à « prime ont déjà été interdits par de précédentes lois, tous « ceux contractés antérieurement au présent décret sont « annulés; il est défendu d'y donner aucune suite, sous « les mêmes peines. » In decreto Consulum, 27 prairial an X (16 junii 1802), legitur, art. 13 : « Chaque agent de « change devant avoir reçu de ses clients les effets qu'il « vend, ou les sommes nécessaires pour payer ceux qu'il « achète, est responsable de la livraison et du payement « de ce qu'il aura vendu et acheté. » Art. 19 : « Les agents « de change devront garder le secret le plus inviolable aux

« personnes qui les auront chargés de négociations, à « moins que les parties ne consentent à être nommées, « ou que la nature des opérations ne l'exige. »

Tandem in codice Pœnali, promulgato an. 1810, statuitur, art. 421 : « Les paris qui auront été faits sur la « hausse ou la baisse des effets publics seront punis des « peines portées par l'article 419 (emprisonnement, « amende, etc.). » Art. 422 : « Sera réputée pari de ce « genre toute convention de vendre ou de livrer des effets « publics qui ne seront pas prouvés par le vendeur avoir « existé à sa disposition au temps de la convention, ou « avoir dû s'y trouver au temps de la livraison. » In edicto autem regio 12 nov. 1823, in quo permittebatur ut nonnulli census Guberniorum extraneorum possent, ut dicitur, *être cotés à la Bourse*, addebatur, art. 2 : « L'arrêt « du Conseil du 7 août 1785 est rapporté en ce qu'il ren- « ferme de contraire à la présente ordonnance : » quæ verba satis indicant, ut observarunt varii auctores, prisca illa statuta habita fuisse ut adhuc vigentia.

Huc etiam spectant aliquatenus dispositiones codicis Commercii. Art. 85 : « Un agent de change ou courtier « ne peut, dans aucun cas et sous aucun prétexte...., « s'intéresser directement ni indirectement, sous son nom « ou sous un nom interposé, dans aucune entreprise com- « merciale. Il ne peut recevoir ni payer pour le compte « de ses commettants. » Art. 86 : « Il ne peut se rendre « garant de l'exécution des marchés dans lesquels il s'en- « tremet. » Art. 87 : « Toute contravention aux disposi- « tions énoncées dans les deux articles précédents entraîne « la peine de destitution et une condamnation d'amende..., « sans préjudice de l'action des parties en dommages et « intérêts. » Si illæ dispositiones conjungantur cum obligatione secreti de qua antea, concludi poterit, ex conventione ad terminum nullam actionem seu obligationem

civilem exsurgere posse : non quidem inter venditorem et emptorem, qui sunt sibi invicem ignoti; non inter duos proxenetas, cum neuter possit pro exsecutione conventionis fidejubere; nec demum inter proxenetas et eorum clientes, cum proxenetæ ex una parte non possint seipsos obligare, et ex altera censeantur coram lege accepisse a clientibus vel objectum vendendum, vel pretium solvendum. Ita saltem paucis verbis indicat FRÉMERY (quo fine, mox videbimus), p. 438, 439 et 444; et fusius evolvit BIZET, p. 76-83.

1255. Si a dispositionibus legum transeamus ad jurisprudentiam tribunalium, diversa occurrit pro diversis temporibus. Primum quidem cum tribunal Parisiense hujusmodi conventionem pro valida habuisset, coram Suprema Curia procurator generalis MERLIN nullitatem probavit, et tamen ultimate proposuit ut non infirmaretur judicium, quia conventio aliquatenus saltem exsecutioni mandata fuerat; et ita judicavit Curia Suprema 23 flor. an. IX (13 maii 1801). Vid. *Quest. de Droit*, v° *Effets publics*, §. 1, t. III, p. 569 et seq. In eodem sensu judicavit Curia Parisiensis 19 dec. 1807 : quæ magis expresse declaravit, 13 fructid. an. XIII (31 aug. 1805), 29 mart. et 29 maii 1810, conventiones quales ordinarie fiunt non esse proprie ad terminum, quum penes emptorem sit exsecutionem exigere quando ipsi libuerit; et nullam vigere legem qua reprobentur conventiones ad terminum (SIREY, XI, II, p. 30; XXIV, II, p. 347 et 350) : aiebat, an. 1823, FAVARD DE LANGLADE, *Répert. de la nouv. Législat.*, v° *Marché*, t. III, p. 452, pluries in eodem sensu judicasse Tribunal Commercii Parisiense. Sed an. 1823, quæstione denuo occurrente, in alio sensu judicavit eadem Curia, 18 febr., et speciatim 9 augusti[1]. Hæc duo

[1] In priori judicio, post allatum art. 29 edicti 1724, quem supra citavimus, additur : « Cette disposition fondamentale.... est une dis-

judicia delata fuere ad Curiam Supremam, et quoad secundum præsertim (lis erat inter PERDONNET, agent de change, et comitem DE FORBIN-JANSON), nihil neglectum fuit ut obtineretur infirmatio. Nihilominus utrumque confirmatum fuit 4 et 11 aug. 1824, et declaratum fuit has conventiones esse irritas ex priscis legibus, quas cum ipse legislator exhibeat ut ad ordinem publicum et bonos mores spectantes, actus quos prohibent non possunt per ullam conventionem aut ratihabitionem confirmari[1]. In eodem

« position d'ordre public pour interdire les négociations fictives, qui, « reposant sur des effets et des moyens de payement imaginaires, dégé- « néroient en jeux ou paris, que toute législation réprouve.... « L'agent de change qui, au mépris de sa propre sûreté et des devoirs « de sa profession, n'exige pas la remise ou le dépôt préalable, pour « assurer la réalité du contrat, devient volontairement l'instrument « d'un jeu ou d'un pari qui, ni à raison de la convention principale, « ni à raison des engagements accessoires, ne peut fonder une action « judiciaire. » (CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 571, p. 343.) In posteriori autem dicebatur : « Ces marchés sont entièrement nuls, et la ratifica- « tion qui en auroit été postérieurement faite, ainsi que l'obligation à « laquelle elle auroit donné naissance, n'ayant pour cause que des « opérations illicites, ne peut servir de base à une action judiciaire.... « La stricte exécution des lois et règlements en cette matière peut seule « mettre un frein à cette ardeur immodérée de s'enrichir, qui s'est em- « parée des pères de famille, qui, au lieu de se livrer à des professions « honnêtes et utiles, se précipitent dans des opérations désavouées par « la morale, et toujours suivies d'une ruine complète, ou d'une fortune « scandaleuse. » (SIREY, XXIII, II, p. 264; *Répert. de Jurispr., loc. cit.*, t. X, p. 526.)

[1] Summatim hic exhibemus ipsa verba judicii : « Il résulte des arrêts « du Conseil.... que les marchés à terme d'effets publics sont nuls, lors- « que le dépôt de ces effets, ou les formalités qui peuvent y suppléer, « aux termes desdits règlements, n'ont pas été exécutés .. L'on ne peut « prescrire contre l'exécution des lois que le législateur signale lui- « même en les publiant comme étant indispensables au bien de l'État « et au maintien de la morale publique; leur abrogation ne peut « résulter que d'une autre loi; ainsi, si, comme on le prétend, celle « dont il s'agit ne peut se concilier avec les besoins du commerce, avec « le système actuel des finances et du crédit public, le Gouvernement « seul a le droit de peser ces considérations et de les juger.... L'on « n'est pas fondé à soutenir que cette loi a été abrogée.... par

sensu judicavit Curia Suprema, 2 maii 1827, confirmans judicium latum a Curia Regia Parisiensi 30 julii 1825

« l'art. 422 du code Pénal...; les arrêts du conseil ne prononcent que « dans un intérêt purement civil sur l'acte passé entre les parties, et le « code Pénal, qui n'avoit à s'occuper ni de cet acte, ni de cet intérêt, « ne prononce, dans le cas qu'il prévoit, que sur la personne des « contractants.... Quant aux ratifications..., une loi qui a pour objet « de régler la négociation des effets publics et de réprimer des ma- « nœuvres qu'elle déclare illicites, tient éminemment à l'ordre public, « et les actes qu'elle défend et annule ne peuvent, d'après l'art. 6 du « code Civil, être validés par aucune convention ni ratification. » (Sirey, xxiv, 1, p. 413, 414. *Répert., ibid.*, p. 528.)

Verba illa, *Comme on le prétend*, referuntur verisimiliter ad opinionem plurium negotiatorum Parisiensium, quorum opinio vulgata fuerat ab iis qui infirmationem judiciorum postulabant.

Parère sur les marchés à terme, signé en 1824.

(« Les tribunaux de commerce ont souvent besoin de consulter les « usages dont l'existence doit être constatée par des témoignages qui « offrent des garanties suffisantes : c'est ce qu'on appelle *Parères*. » Pardessus, *Droit commerc.*, t. vi, n° 1377, p. 101. Vox illa, ni fallimur, desumpta est lingua Italica, in qua significat *Opinionem, Avis*. Jam vidimus (n° 1082) idem esse de pluribus vocibus in materia cambii usitatis).

F. 10 000 *de rente* 5 p. 100 à 100 fr. 50 c. 201 000 fr.

Le 31 *oct. prochain, ou plutôt à volonté, je transférerai à M.... la somme de* 10 000 fr. *de rente, cinq pour cent consolidés, contre le payement qu'il me fera de la somme de* 201 000 fr.

Fait double à Paris, ce.... Signé.

« Nous, banquiers, négociants, commerçants et capitalistes soussi- « gnés, certifions 1°. que la formule d'engagement énoncée ci-dessus « est la seule en usage pour les opérations faites à la Bourse sous la « dénomination de marchés *fermes*, ou opérations *à terme*; 2°. que « dans toutes ces opérations, sans en excepter aucune, le vendeur seul « accorde terme à l'acheteur, et que celui-ci peut se faire livrer les « effets par lui achetés à sa première réquisition; 3°. que les marchés « dont il s'agit se liquident par la livraison des effets vendus, soit « qu'ils existent dans les mains du vendeur au moment où la livraison « est exigée par l'acheteur, soit que le vendeur les fasse acheter pour « en opérer la livraison; 4°. que, dans tous les cas, il y a toujours « d'un côté l'achat d'une chose qui doit être payée, et de l'autre la « vente d'une chose qui doit être livrée; ce qui ne permet pas d'envi-

(Sirey, xxvii, 1, p. 450, 451). Tandem jurisprudentia videtur inclinare in partem mitiorem, et non reprobare conventiones ad terminum nisi quando sunt fictitiæ et non serio initæ; in casibus vero bonæ fidei et intentionis sinceræ, non exigere ut sive inscriptio vendenda, sive pecunia pro solvendo pretio, sint penes contrahentes. Sic Curia Parisiensis, 29 mart. 1832, advertit « qu'aucune disposi-« tion de loi ne frappe de nullité les marchés à terme « d'effets publics, par cela seul que le prix d'achat n'a pas « été, à l'époque du contrat, déposé entre les mains de

« sager ces sortes d'opérations comme des paris sur le cours des effets « publics; 5°. que les marchés à terme, appelés *marchés fermes*, « tels qu'ils sont en usage aujourd'hui à la Bourse de Paris, c. à d., « restreints au terme de soixante jours, et soumis à la condition de la « livraison anticipée lorsqu'elle est réclamée par l'acheteur, sont éga-« lement dans l'intérêt du Gouvernement et du commerce : du Gou-« vernement, parce que l'État ne pourroit faire les négociations de « rentes nécessitées par le système de finances adopté maintenant, « sans le secours de ces sortes de marchés, et cependant le système de « finances, basé sur le crédit, est une des conditions principales de la « force et de la puissance des gouvernements modernes; du commerce, « parce que ces marchés donnent aux porteurs de rentes un moyen « certain, expéditif et peu onéreux de se procurer, aussitôt qu'ils le « veulent, les fonds dont ils ont besoin, en donnant pour garantie ces « mêmes rentes; que d'un autre côté les capitalistes y trouvent le « moyen de placer leurs fonds pour aussi peu de temps qu'ils le « veulent, et avec la certitude d'y rentrer à leur volonté. Ainsi, d'un « côté les rentes deviennent un véritable signe représentatif et aug-« mentent la masse des capitaux, et de l'autre tous les capitaux inac-« tifs trouvent un emploi d'autant et d'aussi peu de durée qu'il convient « à leurs possesseurs. Cette augmentation de signes représentatifs et de « capitaux circulants tend nécessairement à en faire baisser le prix, « c. à d., l'intérêt, et par là rend au commerce le plus utile de tous les « services. — Par ces motifs, les soussignés estiment que les marchés « dont il s'agit ici sont indispensables dans la situation présente de la « France, et que la jurisprudence adoptée par la Cour royale (qui s'ap-« puie sur d'anciens arrêts du Conseil, rendus à une époque et dans des « circonstances qui ne peuvent être assimilées en aucune manière à « celle où nous nous trouvons), est en opposition avec les véritables « intérêts politiques et commerciaux de notre pays. » Mollot, Append., n° xiii, p. 540; Frémery, p. 515, 516; Troplong, n° 132, *Note*, p. 315.

« l'agent de change de l'acheteur » (SIREY, XXXII, II, 294). Item 9 junii 1836 eadem Curia sua facit motiva judicii lati a Tribunali Parisiensi 5 dec. 1835, in quo dicitur : « La loi ne prohibe les marchés à terme sur les effets « publics que lorsqu'ils portent uniquement sur la diffé- « rence entre les cours futurs de ces effets ; mais elle pro- « tége ces marchés, lorsqu'ils ont été contractés sérieuse- « ment et de bonne foi. » Deinde observat, art. 422 cod. Pœn. loqui de venditore, non vero de emptore, ac proinde potius implicite permitti ut proxeneta qui cum emptore agit possit illius fidem sequi (*ibid.*, XXXVII, II, p. 86). Tandem cum 25 febr. 1840 Tribunale Parisiense principii loco statuisset : « Attendu, en droit, que les seuls marchés « à terme qui soient illicites sont ceux qui ont pour objet « de spéculer sur des différences résultant de la hausse ou « de la baisse, » et Curia Regia, 10 aug. 1840, addidisset « que les opérations entre.... ne constituoient pas un « jeu de Bourse, mais avoient pour objet un marché à « terme sérieux, et qui n'est pas prohibé par la loi, » Curia Suprema, 30 nov. 1842, sic pronuntiavit : « Con- « sidérant, en droit, que si le marché à terme en matière « de vente et négociation d'effets publics à la Bourse, pris « isolément, constitue un jeu et pari de Bourse prohibés « par les arrêts du Conseil, le code Pénal, les ordonnances « royales et la jurisprudence, il peut néanmoins n'avoir « pas ce caractère, d'après les circonstances et les pièces, « et présenter une opération sérieuse et de bonne foi » (*ibid.*, XLIII, I, p. 898). Ibi observari potest Curiam Supremam non præcise recedere a præcedenti sua jurisprudentia, quam tamen minus rigorose applicari posse innuit.

1256. Tandem si ad doctrinam auctorum deveniamus, in duplicem veluti classem dividi possunt.

Alii stant pro nullitate conventionum de quibus loqui-

mur. Ita MERLIN, qui, cum prius existimasset statuta an. 1785-87 per se vim legis non habuisse antequam sancita fuissent per legem 28 vend. an. IV (*Quest. de Droit*, t. III, p. 569), postea, re melius perspecta, contrarium ostendit, et in eo sensu judicavit Curia Suprema (*Répert., loc. cit.*, t. X, p. 522) : ibi etiam (p. 525) propugnat hæc statuta non fuisse abrogata per codicem Pœnalem quoad nullitatem civilem conventionum, sed tantum quoad pœnas inflictas. Ita etiam strenue CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 567 et seq., p. 335-352, ubi fuse exponit et vindicat seriem legislationis, et jurisprudentiam quæ prævaluerat tempore quo prodiit ejus opus (1828). Citatur in eodem sensu COFFINIÈRES, *de la Bourse et des Spéculations à terme*. Ita etiam PARDESSUS, *Droit commerc.*, t. II, n° 315, p. 122, qui tamen observat, *ibid.*, p. 124, et t. I, n° 129, p. 249, non ita debere urgeri statuta legum ut actio denegetur proxenetæ qui a suo cliente non exigit ab initio traditionem inscriptionum vel pretii; SIREY, XXIV, II, p. 336; CHABROL, *Diction. de Législat. usuelle* (1835), v° *Jeu de Bourse*, t. II, p. 43. Nec abnuit BIZET, p. 90, 91, ubi ait : « On dira peut-être que, d'après ces argu« mentations, les quatre cinquièmes des marchés sur les « fonds publics sont illicites, et, comme tels, frappés de « nullité; que cependant il existe fort peu de procès, ce « qui pourroit faire croire à leur validité. Je répondrai à « cela que c'est la bonne foi que l'on voit régner, en « général, dans les opérations sur les fonds publics, qui « forme la solidité des marchés; que si les dettes de jeu « sont presque toujours sacrées, les dettes de Bourse ne « le sont pas moins. » Neque præcavetur applicatio legis, ut contenderunt quidam auctores, per facultatem relictam emptori exigendi ante terminum exsecutionem conventionis : nam in statuto 7 aug. 1785 expresse attinguntur conventiones talem facultatem includentes.

Alii non admittunt, aut saltem multum restringunt, vim legum quas attulimus. Ita MOLLOT, qui ait nullibi exigi ut emptor deposuerit aut consignaverit pretium (id non esse ex omni parte verum colligi potest ex iis quæ attulimus); et addit, servandas quidem esse, donec abrogentur, leges quæ exigunt ut venditor tradat aut probet se habere census vendendos, sed multa affert ut ostendat temperandum esse illarum rigorem, p. 242-251; ita etiam magis expresse FRÉMERY, et præsertim TROPLONG. Observant 1°. varias legum dispositiones unice dirigi ad impediendam imminutionem pretii censuum, cum prohibeant venditionem ad terminum, sine qua fieri non possunt quæ dicuntur *spéculations à la baisse;* unde concludunt legem fuisse politicam potius quam moralem, et verum motivum non fuisse desumptum ex bono familiarum, ut immerito dicitur in proœmio variorum statutorum. Ita FRÉMERY, p. 434, 436, 440, 444, 496, 502, 503, 513; TROPLONG, n^is^ 104, 106, 123. Observant 2°. scopum variarum legum fuisse impedire conventiones fictitias, quæ in edicto an. 1724, art. 17, dicuntur *ventes simulées;* quæ fiunt *en vendant ce qu'on n'a pas, ce qu'on ne peut pas livrer, ce qui même n'existe pas,* ut dicitur in præambulo statuti 2 oct. 1785, quia nempe existimatum fuerat venditos fuisse plures census quam reipsa existebant: unde deducunt non debere ultra extendi hanc prohibitionem. Ita TROPLONG, n^is^ 103, 107-110, 125; MOLLOT, n° 323. Observant 3°. codicem Pœnalem reprobare tantummodo *toute convention de vendre ou de livrer des effets publics qui ne seront pas prouvés par le vendeur avoir existé à sa disposition au temps de la convention, ou* AVOIR DÛ S'Y TROUVER *au temps de la livraison.* Hæc ultima verba ostendunt non reprobari conventionem illius qui, nunc quidem non habet inscriptiones quas vendit, sed qui certus est se illas habiturum tempore præfixo, quia interim emet: ille tan-

tum incurrit prohibitionem legis, qui init conventionem conscius se eam non posse implere. Jam vero huic codicis Pœnalis dispositioni standum est, potius quam priscis statutis : hæc statuebant, non solum de nullitate civili actuum, sed de pœna pro ipsis infligenda; imo ideo nullitas statuebatur, quia actus habebantur delictorum instar : cum ergo codex Pœnalis alio modo assignaverit naturam delicti, concludi potest alio modo etiam ordinatam fuisse nullitatem civilem. Ita TROPLONG, n^is 122-126, et 135-139; MOLLOT, p. 247. Observant 4°. non obstantibus legum dispositionibus, semper viguisse usum conventionum de quibus agimus; recentioribus præsertim temporibus ita immutatam fuisse fortunæ publicæ conditionem, ut nullatenus applicari possint motiva quibus innitebantur prisca edicta, sed e contrario hujusmodi conventiones tanquam necessariæ habeantur a quibusque harum rerum peritissimis, ut supra retulimus; contra talem usum, licet omnino notorium, nunquam applicatas fuisse ab ullo magistratu pœnas in diversis legibus sancitas : adduntque standum esse consuetudini, quæ potest abrogare legem, quæ in materia præsertim commercii plus virium ordinarie habuit quam voluntas legislatorum, et quæ speciatim in præsenti materia longe melius sibi constat et cohæret quam dispositiones variarum legum[1]. Vid. MOLLOT,

[1] Systema variarum legum quas attulimus clare exponit FRÉMERY, cujus verba adhibebimus, mutato tamen aliquando ordine.

« Le législateur de 1724 s'étoit attaché à trois points : le secret des « opérations, en sorte que les parties pussent traiter sans se connoître ; le « nantissement préalable des agents de change, qui ne devoient vendre « ou acheter qu'ayant les effets ou le prix ; la désignation spéciale et in- « dividuelle des effets vendus. En observant exactement ces trois me- « sures, il ne pouvoit se faire que des marchés au comptant ; toute « spéculation à la baisse se trouvoit empêchée, et la spéculation à la « hausse n'avoit plus aucun moyen d'influer sur les cours dans l'intérêt « de la spéculation (p. 496).... Chacun des deux agents de change « devait être dépositaire ou de la chose ou du prix ; à ce moyen, il n'y

p. 242-250; Frémery, p. 444, 499 et seq.; Troplong, n° 132, et passim. Ex his omnibus concludunt pro irritis habendas quidem esse conventiones ad terminum quæ sunt reipsa fictitiæ, quales ineuntur ab iis qui dicuntur

« avoit aucune incertitude sur la possibilité de livrer ou de payer, et le « vendeur n'avoit pas besoin de savoir qui achetoit, ni celui qui ache- « toit de connoitre le vendeur; l'agent de change dépositaire devoit « remettre le prix en échange des effets, ou les effets en échange du « prix (p. 438).

« Les arrêts de 1785 et 1786 n'insistent pas sur la désignation spéciale « et individuelle des effets vendus. Ils autorisent les marchés à terme, « pourvu que le vendeur possède actuellement l'effet qu'il s'engage à « livrer; mais par cela même ils abandonnent ou le principe du secret, « ou le principe du nantissement préalable : car l'agent de change ne « devant point donner sa garantie, il faut, ou qu'il reçoive actuelle- « ment les deniers destinés au payement, et alors que signifie une « vente à terme? ou qu'il fasse connoitre le nom du client qui est le « débiteur. Les principes de 1724 étoient donc oubliés en 1785 (p. 497).... « L'agent de change de l'acheteur n'est plus obligé d'être nanti du « prix; ce qui produit cette alternative : ou il doit nommer son client, « ou il devient personnellement garant du payement à l'échéance, « quoiqu'il ne l'ait point reçu; or, d'une part le secret inviolable est « imposé aux agents de change, et d'autre part il leur est défendu de « s'obliger en leur nom personnel : l'existence du marché à terme est « inconciliable avec l'observation de ces deux règles (p. 438)....

« On voit combien étoit solidement lié et combiné le système de « l'arrêt de 1724, et combien sont irréfléchis et contradictoires les « arrêts rendus en 1785 et 1786 (p. 440).

« La législation nouvelle reproduit et les principes et les défauts « même de la jurisprudence établie par les arrêts du Conseil : jusqu'en « 1810 elle s'attache fermement à la prohibition positive de tout mar- « ché autre qu'au comptant; c'étoit le but de l'arrêt de 1724 : en 1810, « le code Pénal admet les marchés à terme, mais pourvu au moins que « l'objet vendu *ait* dû *se trouver, etc.*; c'est en apparence un peu plus « que n'accordoient les arrêts du Conseil de 1785, puisqu'ils exigeoient « la propriété actuelle. Mais.... cette permission est, comme celle « de 1785, inconciliable avec le double principe, et du secret gardé par « les agents de change, et de la prohibition qui leur est imposée de « se rendre garants du marché (p. 443, 444).

« Or, ce reste de législation obscur, mal conçu, est méconnu par la « coutume. C'est au principe du secret qu'elle a donné la préférence; « elle abandonne et repousse le principe du nantissement préalable, « et maintient la responsabilité, et conséquemment exige la garantie

les Coulissiers (FRÉMERY, p. 494, 507; TROPLONG, n° 99-102); nullatenus vero eas quæ ineuntur serio et bona fide. Porro asserit FRÉMERY, p. 507[1], tales esse eas quæ ineuntur a proxenetis legalibus (*les agents de change*),

« de l'agent de change, malgré la défense expresse de la loi. Jamais « l'acheteur à terme ne se fait connoître; et son agent de change est « toujours le seul débiteur désigné à l'agent de change vendeur et à « son client (p. 498).... Ainsi la coutume a reconnu qu'il étoit bon « d'interdire tout engagement personnel aux agents intermédiaires, « quand ils ne font que mettre en rapport deux parties qui traitent « ensemble directement : mais quand l'une des parties, ou toutes « deux, restent inconnues, la coutume a établi que l'agent intermé- « diaire représentoit et garantissoit la partie qui ne figuroit point dans « le marché; qu'alors comme tout commissionnaire (art. 91 code de « Comm.), il traitoit en son nom, quoiqu'il ne traitât point pour son « compte (p. 518).... Ainsi en vertu de la coutume, encore plus que de la « loi, les agents de change sont les intermédiaires nécessaires et exclu- « sifs de toute opération sur les effets publics. Suivant la coutume, nul « marché ne peut se faire qu'en leur nom; aucun ne peut être fait « pour leur compte : mais dans tout marché, traitant en leur nom, ils « sont personnellement obligés, sauf le recours contre le client qui « leur a donné mandat pour opérer (p. 519).

« Il semble qu'en discernant ces nuances, la coutume s'est montrée « plus exacte et plus judicieuse que le législateur.... Malgré les en- « traves de la loi et de la jurisprudence, elle s'est développée; elle a « favorisé, avec les éléments qui lui sont propres, un ordre simple, « invariable et sûr.... La compagnie des agents de change est le plus « puissant obstacle aux spéculations excessives; la nécessité de trouver « dans un agent de change un garant, restreint et limite les opérations « du spéculateur. » (p. 517, 519, 520.)

[1] Operæ pretium erit id fusius explicare adhibitis ipsis verbis hujus auctoris. « Il ne se conclut pas à la Bourse, par l'entremise des agents « de change, un seul marché qui ne soit sérieux, et dans lequel le « vendeur ne s'oblige à livrer, et l'acheteur à payer effectivement, « l'un l'inscription de rente, l'autre le prix convenu. L'organisation « coutumière de la Bourse est même telle, à raison de l'entremise des « agents de change, garants personnels de leurs clients, qu'il est à peu « près impossible qu'aucun marché soit fictif (p. 507).... La conven- « tion que le marché ne se réalisera pas, et qu'il se réduira au paye- « ment de la différence entre le prix du marché et le prix du jour de « l'échéance, est sans exemple, et ne peut pas intervenir; car les « parties restent inconnues l'une à l'autre (p. 508).... Il est vrai que le « concours perpétuel de vendeurs et d'acheteurs donne au spéculateur

quorum societas et agendi ratio ita sunt ordinatæ ut vix possibile sit ab iis iniri conventiones fictitias : contrahitur vera obligatio tradendi censum et solvendi pretium, quamvis sæpe ob concursum venditorum et emptorum

« une grande facilité pour acheter ce qu'il a vendu à terme sans le « posséder, ou pour vendre après l'échéance ce qu'il a acheté sans avoir « les moyens de le payer : mais l'un et l'autre marché n'en sont pas « moins réels ; il a acheté d'une personne et il revend à une autre. Il « est vrai encore qu'il pourra se dispenser de prendre livraison, en « mettant à sa place celui à qui il a cédé son marché, et se bornant à « recevoir la différence s'il l'a cédé avec bénéfice : mais l'obligation de « recevoir et de payer n'en est pas moins effective ; car le spéculateur « demeure garant du payement envers la personne de qui il a acheté, « et garant de la livraison envers celle à qui il a vendu. L'inscription « qui devoit lui être livrée sera livrée à la personne à qui il a vendu, « laquelle sera tenue d'effectuer le payement qu'il devoit faire. Cette « livraison directe et abrégée est la liquidation dans son expression la « plus simple. Supposez trois personnes : la première vend à la seconde « 3000 fr. de rente ; la seconde vend à la troisième 3000 fr. de rente, « le tout livrable fin du mois. Qu'y a-t-il en résultat ? un vendeur, un « acheteur, le premier et le troisième ; puis une personne qui, ayant « vendu et acheté une même quantité, n'est ni vendeur, ni acheteur, « qui a compensé son compte. Ce résultat est mis à découvert par une « liquidation : que l'acheteur délivre à celui de qui il a acheté son obli- « gation de payer 3000 fr. de rente ; celui-ci la transmettra à son ven- « deur, la première personne, et ainsi la première personne livrera « son inscription à la troisième ; la seconde n'aura qu'à toucher une « différence si elle a vendu plus cher qu'elle n'avoit acheté, sinon elle « devra la payer au vendeur. Or quelle que soit la multiplicité des « opérations, la nature en est toujours la même : y eût-il dix intermé- « diaires entre la première personne (celle qui a vendu et qui n'a point « acheté), et la dernière (celle qui a acheté et n'a point vendu), tous « les marchés faits par chacune d'elles sont sérieux et réels, quoique « la liquidation les réduise à une seule livraison ; de la même manière « que le jour de l'échéance d'une lettre de change, le payement fait « par l'accepteur au porteur produit et réalise autant de payements « de pareille somme qu'il y a d'endosseurs ; les dettes qui se trouvent « éteintes par ce payement unique ne sont pas plus fictives que les « marchés à terme exécutés, au moment de la liquidation, par une « seule livraison (p. 508-510).... Supposez maintenant que la première « personne qui doit livrer refuse de le faire, la dernière à qui la livrai- « son doit être faite, rachètera au comptant la quantité d'effets qui « devoit lui être livrée : mais s'il est forcé de faire ce rachat à un prix

hæc traditio et solutio non fiant nisi per viam compensationis. Si quandoque serio non fiat conventio, sed ex circumstantiis appareat venditorem aut emptorem non aliud pro scopo habuisse quam recipere, ut aiunt, *la différence*, tribunalium est de his judicium ferre, et dispositiones legum applicare, quia tunc est vere mera sponsio : sed potuit seria esse conventio, licet de facto resolvatur in solutionem hujus *differentiæ*, quia unus e contrahentibus mala fide renuit stare conventioni; illa differentia tunc nihil aliud est quam compensatio damni illati per inexsecutionem contractus : quod quidem locum habere potest etiam quando, post conventionem bona fide initam, unus e contrahentibus fit impotens ad eam implendam. TROPLONG, n^is 145-149, 151.

1257. Ex his omnibus concludendum videtur, etiam sub legibus nostris, quæstionem de conventionibus ad terminum, speciatim quatenus respicit conscientiam, solvendam esse ex principiis generalibus juris quæ ab initio exposuimus (n° 1253). Nullitas per leges sancita satis probabiliter restringi potest ad conventiones vere

« plus élevé que son premier achat, il est clair qu'il a droit à une in-
« demnité, pour laquelle il aura recours contre son cédant, en remon-
« tant jusqu'au premier vendeur. Conséquemment l'agent de change
« de ce premier vendeur, qui représente et garantit son client, sera
« obligé de faire l'avance de la différence entre le prix de la vente et
« le prix du rachat, et en définitive le client devra rembourser. Si, au
« contraire, le dernier acheteur refuse de payer, le vendeur primitif
« revendra immédiatement, etc. Dans l'un et l'autre cas, les deux mar-
« chés ont été réels et sérieux; les effets ont été réellement livrés; le
« prix a été réellement payé : mais comme le prix payé d'une part a
« été et a dû être nécessairement recouvré en partie d'un autre côté,
« il est tout simple que le client ne reste débiteur que d'une *diffé-*
« *rence.* » (P. 511, 512.)

Fuse explicat idem FRÉMERY, quomodo fiat inter proxenetas *liquidatio*, quæ incipit prima die cujuslibet mensis, et perficitur quinta die, in qua per eam exsecutioni mandantur omnes conventiones quarum terminus erat finis mensis præcedentis (p. 480-494).

fictitias : et ad quascumque extendatur, est ejusdem naturæ ac nullitas debitorum ex ludo; in variis discussionibus quas indicavimus, agnoverunt tribunalia quæ severius has conventiones redarguerunt, et auctores illis maxime infensi, nullitatem nil aliud esse quam denegationem actionis civilis, nec per eam tolli obligationem naturalem. Hic applicanda sunt quæ diximus *de Ludo*, n° 937 et seq.

1258. III. *De conventionibus circa census* quæ dicuntur REPORTS. Ex conventione de præsenti et conventione ad terminum, vel ex duabus conventionibus ad terminum diversum simul compositis, orta est hæc nova species, inquit FRÉMERY, p. 446, quæ, juxta illum, est simul *le résultat le plus curieux et le plus utile, et la clef du système des opérations de la Bourse* (p. 473, 479). In eo consistit ut fiant duæ conventiones, emptio nempe et venditio, ad terminum diversum; v. g., de præsenti ad finem mensis currentis aut mensis proximi, vel de fine mensis currentis ad finem mensis proximi. Cum, ut supra vidimus, diversum sit pretium pro diversis illis conventionum speciebus, concipitur quomodo ille qui simul duas init conventiones, lucrum sibi comparare possit. Ordinarie, ut diximus, majus est pretium census ad terminum quam de præsenti : qui ergo pecuniam penes se habet potest emere censum de præsenti, et statim vendere ad terminum, et sic lucrum consequi; lucrum illud, seu diversitas inter utrumque pretium, vocatur *le Prix du report*, vel simpliciter *le Report*. Aliquando, præsertim temporibus commotionum politicarum, minus est pretium ad terminum quam de præsenti : qui penes se habet inscriptionem potest tunc vendere de præsenti, et emere ad terminum, et sic pariter lucrum consequi [1]. Demum in conventione

[1] « Les reports ou différences du comptant à fin de mois, et de fin de « mois à fin du suivant, s'élèvent depuis 5 centimes jusqu'à 30, 40, 80, « et bien au-dessus dans les moments de crise. Ils offrent aux capita-

ad terminum firma majus est pretium quam in solubili; si quis ergo emat per conventionem firmam ad finem mensis currentis, et carius vendat per conventionem solubilem ad finem mensis proximi, lucrum pariter consequitur: illud est quod vocant *Report sur prime*.

Ut judicium ferri possit de his variis conventionibus, et præsertim de lucro quod in iis percipitur, operæ pretium est paulo fusius exponere qua de causa, et quibusnam in circumstantiis iniri soleant; sic enim melius innotescet earum natura. Generatim ineuntur ab iis qui volunt lucrum educere e pecunia quam hic et nunc habent otiosam, sed quæ post breve tempus ipsis erit necessaria; vel ab iis qui, inscriptiones censuum præ manibus habentes, volunt earum ope pecuniam ad breve tempus sibi comparare. Sed plerumque illæ conventiones connectuntur cum aliis conventionibus præcedentibus, et ineuntur ab iis

« listes et aux porteurs d'inscriptions les moyens de faire valoir leurs « fonds et leurs rentes sans qu'ils aient à courir de chances.... Le « cours des rentes au comptant est à 100. et celui fin de mois à 100 fr. « 25 c. Pour faire valoir mes capitaux, j'achète au comptant 5000 fr. « de rente à 100, et les revends fermes aussitôt pour la fin du mois à « 100 fr. 25 c. Il résulte de ce marché une différence de 25 c. ou 250 fr. « C'est un bénéfice que je fais sans avoir couru les chances ni de la « baisse ni de la hausse, puisque mon opération s'est conclue de suite, « en achetant et vendant dans le même moment et par le même mar- « ché.... Le cours des rentes au comptant est à 100 fr., et celui de la « rente fin de mois est à 99 fr. 75 c. Je vends mes rentes au comp- « tant 100 fr., et les rachète, fin de mois, à 99 fr. 75 c. en même « temps : il en résulte une différence, à mon avantage, de 25 c. Mais « j'ai la faculté de forcer mon vendeur à me livrer cinq jours après « l'en avoir prévenu. Après ce délai, je me trouverai à même de « recommencer mon opération, si la situation du report me le permet. « On doit voir que cette opération est susceptible d'être faite quatre à « cinq fois dans le même mois, puisqu'elle peut se renouveler tous les « cinq jours. Le porteur d'inscription, lorsque la rente à terme est au- « dessous de la rente au comptant, a donc plus d'avantage que le « capitaliste, qui ne peut faire qu'une seule opération, parce qu'il se « trouve vendeur à terme. » BIZET, p. 122-124.

qui, ut dicitur, *spéculent sur les fonds publics*[1]. Sæpe agitur de protrahenda conventione jam inita : v. g., emi censum mihi tradendum ad finem mensis maii; termino

[1] « Par le moyen du *report*, inquit Frémery, p. 473, la spéculation « se lie avec les marchés au comptant : le propriétaire d'effets publics « a toujours la certitude d'obtenir immédiatement la valeur actuelle « de son inscription, et même, s'il le préfère, de se procurer cette « valeur pour un temps assez court et à un taux en général très-peu « élevé; et enfin le capitaliste, quand il a dans sa caisse une somme « disponible, mais pour peu de temps seulement, trouve encore à en « faire un placement profitable. » Id elucidat auctor (*il a exposé à merveille toutes les ingénieuses combinaisons des reports*, ait Troplong, n° 150, p. 327) per varia exempla, quæ post eum referemus, paucis immutatis.

« 1er *Exemple*. Chabert, agent de change, a deux clients : Jacques, « qui a une inscription de 5000 fr. de rente dont il veut se procurer la « valeur; et Jean, qui a vendu à découvert pour fin du mois 5000 fr. « de rente, et n'a point actuellement de capitaux disponibles pour se « procurer l'inscription qu'il doit livrer : ainsi Jacques a une inscrip« tion à vendre, Jean a besoin d'acheter pareille inscription, et cepen« dant ils ne peuvent conclure ensemble aucun marché; car Jacques « a besoin d'argent comptant, et Jean n'aura d'argent qu'à la fin du « mois. Dans cette position, Fremyot a pour client Matthieu, qui a des « fonds disponibles, mais ne veut point s'engager dans la rente, ou « peut-être aura besoin de ses capitaux dans un délai peu éloigné. Eh « bien, Fremyot va conclure un *report* avec Chabert, et chacun des « trois clients aura obtenu ce qu'il désiroit. En effet, Chabert agissant « pour Jacques vend à Fremyot agissant pour Matthieu 5000 fr. de « rente à 100, au comptant, et les lui rachète pour Jean par un seul « et même marché à 100 fr. 10 c., livrable à la fin du mois. Par ce « moyen, Jacques aura vendu son inscription et en recevra immédia« tement le prix, c. à d., 100 000 fr.: Jean aura acheté, livrable fin du « mois, une inscription de 5000 fr., dont il payera le prix avec les capi« taux qu'il aura disponibles à cette époque, et notamment avec le « prix même qu'il recevra, pour cette inscription, de l'acheteur à qui « il avoit vendu 5000 fr. à découvert; et enfin Matthieu, en achetant « l'inscription dont Jacques vouloit se procurer la valeur sans délai, « et en revendant cette même inscription à Jean pour la livrer fin de « mois contre 100 000 fr., aura fait le placement de ses 100 000 fr., « avec un intérêt de 100 fr. pour quelques semaines ou quelques jours, « et un placement bien assuré, puisqu'il sera resté nanti de l'inscrip« tion.

« 2e *Exemple*. Jacques veut acheter comptant et au prix courant,

adveniente, non habeo unde solvam; tunc obtineo a venditore ut conventio protrahatur ad finem junii, sperans interim augendum fore pretium, ita ut possim lucrum

« qui est 77, 3000 fr. de rente 3 p. 100. Jean, soit qu'il ait spéculé à « la hausse, soit que, sans intention de spéculer, il ait compté sur la « rentrée de 77 000 fr. environ pour la fin du mois, somme qu'il a « voulu placer en rente 3 p. 100, a acheté 3000 fr. de rentes livrables « fin du mois; mais ou la hausse est survenue et il veut réaliser, ou la « rentrée sur laquelle il comptoit n'aura point lieu, en sorte qu'il dé- « sire vendre pour le même terme les 3000 fr. de rente qu'il a achetés, « afin que le prix de vente soit employé à payer l'achat. Ils ne peuvent « contracter ensemble, quoique l'un veuille vendre et l'autre acheter; « car Jacques veut être livré de suite, et Jean ne peut livrer qu'à la « fin du mois. Alors Matthieu possède une inscription de 3000 fr., et « il voudroit bien s'en procurer la valeur, mais pour quelque temps « seulement, et sans sortir de la position qu'il a prise dans les effets « publics; il contracteroit volontiers un emprunt, en donnant pour « gage l'inscription dont il est propriétaire. Un *report* va tout arranger: « Fremyot, agent de Matthieu, vend au comptant son inscription de « 3000 fr. à Chabert, agent de Jacques, à 77, et rachète pour le même « Matthieu 3000 fr. à 77 fr. 10 c. livrables fin courant, de Chabert « agissant alors pour Jean. Ainsi lorsqu'il ne se trouvoit qu'un ache- « teur au comptant et un vendeur à terme, le *report* aura fourni un « vendeur au premier, et au second un acheteur; et de plus cet inter- « médiaire se sera procuré, moyennant un foible intérêt, les fonds « dont il avoit besoin dans l'intervalle entre le jour du contrat et la fin « du mois.

« 3e *Exemple.* Jacques a spéculé à la hausse : mais, comme ses « capitaux sont employés dans d'autres opérations, il a acheté à terme, « c. à d., livrable fin du mois. La fin du mois approche, et il y a eu « baisse; il a acheté à 77, et la rente est à 76 fr. 30 c.: cependant il « croit toujours à une hausse assez prochaine, et il voudroit prolonger « d'un mois son opération. Or que lui faut-il trouver pour y parvenir? « Un capitaliste qui consente à se mettre à sa place pendant un mois, « c. à d., à payer pour lui l'inscription qu'il a achetée livrable fin du « mois, et à lui restituer cette inscription à la fin du mois suivant à un « prix plus élevé, en sorte que la différence soit un bénéfice pour ce « capitaliste, et lui représente l'intérêt de l'argent qu'il aura avancé. « L'agent de change de Jacques et celui de Matthieu concluront cette « opération par un *report* : le premier vendra au second l'inscription « qui doit lui être livrée à la fin du mois pour Jacques, et la lui rachè- « tera immédiatement pour la fin du mois prochain. Si Jacques vend « à 77 fr. 30 c., et rachète à 77 fr. 40 c., il n'aura à payer que 100 fr.

aliquod obtinere : sed ad obtinendum illam dilationem, solvo venditori lucrum, quod nihil aliud est quam *le report;* et illud vocatur *se faire reporter.* Si venditor dilationi non consentiat, quia vult pretium inscriptionis hic et nunc habere, adeo alium qui pretium illud solvit, acquirit inscriptionem suo nomine, et statim mihi vendit ad finem junii, percepto lucro (*le prix du report*). Si contra vendiderim inscriptionem tradendam in fine maii, et nunc tradere nolim, vel non possim, et dilationem non obtineam a meo emptore, adeo aliquem qui inscriptionem census habeat, emo ab illo ad finem maii, et statim illi vendo ad finem junii : sic per mensem junium summam apud se habebit, quam in fine restituet recuperando suam inscriptionem; et si interim pretium imminuatur, emendo illo minori pretio inscriptionem quam reddam

« d'intérêt à Matthieu qui aura avancé pour lui 77 300 fr. pendant un « mois, ce qui équivaut à moins de 1 $\frac{3}{4}$ pour 100 par an.

« 4° *Exemple.* Jean a spéculé à la baisse; il a vendu à découvert « 3000 fr. à 77 fin courant. La rente se maintient à 77 fr. 50 c. Comp- « tant toujours sur la baisse, il veut prolonger son opération. Il y par- « viendra, s'il trouve un propriétaire de rentes qui veuille bien livrer « pour lui la rente qu'il a vendue : il lui offre cet avantage, qu'il dis- « posera pendant un mois du prix qui lui en sera compté fin courant, « et le lui restituera seulement à la fin du mois prochain, quand son « inscription lui sera rendue. Encore un *report.* L'agent de Jean achète, « fin courant, l'inscription de Matthieu, et la lui payera avec le prix « qui lui sera compté par celui à qui il avoit vendu à découvert; puis, « par le même marché, il revendra à Matthieu une semblable inscrip- « tion pour la fin du mois suivant. Si pendant ce second mois la baisse « se déclare, Jean réalisera son opération : ayant vendu 3000 fr. à 77, « il rachètera peut-être à 75; et alors l'inscription rachetée sera livrée « à Matthieu, avec qui le *report* avoit été conclu, et dans le prix qu'il « restituera, Jean trouvera et son bénéfice et le prix de l'inscription « rachetée à 75.

« C'est par le *report* que la coutume a fait tourner les spéculations « mêmes au profit des besoins journaliers du commerçant, et qu'elle lui « permet de placer ses capitaux dans les effets publics, en lui assurant « la rentrée immédiate et même temporaire de son capital, si des évé- « nements imprévus l'obligent à en disposer. »

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ultimo meo emptori, recuperabo summam quæ simul lucrum suppeditabit et unde solvam quod debeo postremo meo venditori. Hæc omnia intelligi possunt ex variis exemplis quæ afferimus in *Nota*.

1259. Ex his deduci potest in casibus ordinariis, quando nempe pretium majus est in conventione ad terminum, idem præstari ab eo qui emit numerata pecunia et vendit ad terminum, ac si mutuaret pretium quod solvit, detinendo censum in securitatem debiti : « On voit qu'à pro- « prement parler, inquit BIZET, p. 127, le report n'est « autre chose qu'un prêt sur dépôt de rentes. » « L'opé- « ration qu'on appelle *report*, inquit PARDESSUS, t. II, « n° 486, p. 386, produit une sorte de prêt sur nantis- « sement. » « Le report n'est pas un jeu, inquit TROP- « LONG, n° 150. C'est une sorte de placement à intérêt. « Rien n'y est aventureux ou illicite. L'achat est sérieux; « il transfère la propriété. La revente ne l'est pas moins : « d'une part, la certitude de la propriété sur la tête du « revendeur est si évidente, qu'on n'a jamais pensé à ap- « pliquer ici la formalité du dépôt imaginée par les arrêts « du conseil de 1785 et 1786; de l'autre, cette revente « fait passer tous les risques de baisse du côté de l'ache- « teur, *Res perit domino*. Tout se réduit, encore une fois, « à un prêt à intérêt que l'on opère sous forme d'achat et « de revente. » Idem dicebat minister rei æræriæ, D. DE VILLÈLE, coram cœtu Deputatorum, 7 junii 1826 : « Quel est le banquier de la capitale qui quelquefois ne « prête pas ses fonds en reports? Je demanderai si prêter « ses fonds en reports c'est être joueur à la Bourse, et ce « qu'il y a d'illicite dans cette opération? Car *c'est un prêt* « *d'argent contre la rente réelle*. » Auctarium quod ea via obtinetur est sæpe infra auctarium legale, inquit FRÉMERY, p. 478, sive quia mutuum pro tam brevi tempore plura commoda habet pro mutuante, sive quia sæpe mi-

nima est diversitas in pretio conventionis ad finem unius mensis et ad finem alterius. Aliquando tamen est longe majus illud auctarium, quando nempe magna est variatio in pretio censuum : ratio est, juxta Bizet, p. 128, quia tunc adest periculum magnæ imminutionis, ex qua timendum est ne ultimus emptor sit solvendo impar, et sic possessor inscriptionis non habeat præ manibus nisi quoddam veluti pignus longe minoris valoris. Ad præcavendum illud periculum, inquit Mollot, n° 340, p. 269, potest exigere ab emptore ut statim solvat partem pretii (*une prime*), qua ipse præstetur indemnis, si reipsa emptor non impleat conventionem recipiendo inscriptionem et solvendo pretium.

In casibus, quos satis raros diximus, in quibus pretium minus est in conventione ad terminum quam numerata pecunia, qui vendit censum numerata pecunia et emit ad terminum, est veluti mutuatarius, et tamen ipse lucrum percipit; quod satis mirum videri potest. Ratio desumenda est ex eo quod ille qui vicem agit mutuantis indigeat inscriptione[1].

1260. His omnibus præmissis, expendendum est quid sentiendum sit in foro conscientiæ de prædictis conventionibus. Sub duplici respectu investigari potest quæstio : 1°. an his applicanda sint quæ diximus de conventionibus ad terminum; 2°. an aliquid includant usurarium aut injustum.

[1] « Les spéculations à la baisse, inquit Frémery, p. 479, en faisant « éprouver au spéculateur le besoin temporaire d'inscriptions de rente « en échange d'écus, maintiennent alors le cours même de la rente, « et procurent au propriétaire d'inscriptions des fonds dont il peut dis- « poser pendant un mois, mais pour un intérêt d'autant moins élevé « que les spéculateurs à la baisse sont plus nombreux. » « En résumé, « inquit Bizet, p. 129, voici les principes qui déterminent la marche « des reports : lorsqu'il y a beaucoup de rentes sur la place et peu d'ar- « gent, le report est toujours élevé; lorsqu'il y a beaucoup d'argent et « peu de rentes, le report est nul. »

Quoad I^um^, dicunt auctores mox allati, non esse hic applicandas varias dispositiones legum quas attulimus circa conventiones ad terminum : quia nihil est fictitium in conventione de qua agimus. Hinc, inquit TROPLONG, n° 150, « le report est pratiqué par les personnes les plus « étrangères aux jeux de Bourse, les plus ennemies de « l'agiotage. » Idem ait MOLLOT, n° 340. Uterque asserit jurisprudentiam secernere has conventiones a conventionibus fictitiis, et illarum validitatem agnoscere : posterior affert, n° 341, judicium curiæ Regiæ Parisiensis, 21 mart. 1825, in quo illud supponitur, quamvis expresse non pronuntietur; item *Append.*, n° XIV, p. 541 et seq., opinionem præcipuorum negotiatorum (trente et un banquiers et négociants, douze agents de change) Parisiensium, qui sic concludunt : « En résultat, Paul a acheté « la rente, il l'a payée, l'a fait inscrire en son nom, en a « pris livraison, et l'a revendue à terme; il a fait ce que « font habituellement les banquiers, les négociants, les « capitalistes. Cette opération est la seule qui attire sur « les effets publics les fonds indispensables à leur crédit. « Si on faisoit naître la moindre crainte sur une opération « aussi utile au Gouvernement, nous sommes convaincus « qu'on frapperoit son crédit du coup le plus funeste. »

Nobis videtur reipsa tales conventiones non posse haberi ut mere fictitias (*de simples paris ou jeux de Bourse*), quando fiunt modo in allatis verbis descripto. Sed, ni fallimur, non ita semper fiunt; non raro pro objecto habent solummodo, ut dicitur, *les différences*, nec præ manibus habentur sive inscriptiones censuum, sive pecunia ad earum pretium solvendum : tunc applicanda sunt quæ antea diximus. Uno verbo, cum præcipue dirigantur conventiones de quibus agimus ad protrahendas conventiones jam initas, pro objecto habere possunt vel conventiones reales et serias, vel conventiones solummodo fictitias;

pro alterutra igitur hypothesi, applicabuntur, vel non applicabuntur, quæ de istis diximus.

1261. Quoad II^um^, an scilicet occurrat aliquid usurarium vel injustum, plerique jurisperiti, ut vidimus, ibi agnoscunt mutuum cum auctario, quod pro legitimo habent quamdiu non superat taxationem legalem. Si superet, ait Mollot, n° 346, p. 275, esse nihilominus legitimum, quia non est auctarium pro mutuo, sed lucrum obtentum per retrovenditionem inscriptionis antea emptæ: quamvis hæc conventio habeat commoda mutui pignoratitii, ipsi inest natura retrovenditionis, cujus proinde effectus habere debet. Idem admittit Pardessus, n° 485, p. 386, ex alia ratione : « La hausse du report, inquit « ille, tient presque toujours à la hausse de la rente. « Celui qui a vendu en report conserve, pour sûreté de « ce qui lui est dû, l'effet qu'il a vendu ; mais le prix peut « baisser, et si l'acheteur ne prend pas livraison, le ven- « deur aura entre les mains une valeur diminuée. Ce risque « paroît suffisant pour justifier la spéculation dont l'effet « peut être quelquefois de procurer un profit supérieur au « taux légal de l'intérêt, mais le plus souvent d'y être in- « férieur. »

In foro conscientiæ, videri potest etiam nihil esse illegitimum : tota enim conventio efformatur ex duobus contractibus, emptione nempe et venditione, quæ cum fiant justo pretio, nec usuram, nec injustitiam includunt; et revera si fierent cum duabus personis diversis, nemo usuræ aut injustitiæ argueret. Verum ea ratio non sufficit : ex iis enim quæ diximus *de Contractu Mohatra* (n° 1207) et etiam *de Contractu Trino* (n° 1211) intelligi datur, justas esse posse conventiones cum duabus personis, imo cum eadem persona successive tantum initas, quin ideo justæ sint, si cum eadem persona simul ineantur : quia nempe diversitas personarum, aut connexio

duarum conventionum inter se, possunt earum naturam mutare. Expendendum ergo est, quid in præsenti casu dicendum. Duo casus distinguendi videntur, prout nempe lucrum percipitur ab eo qui subministrat pecuniam, vel ab eo qui subministrat inscriptionem census.

1°. Quando lucrum percipitur ab eo qui subministrat pecuniam (qui est casus ordinarius), videtur dicendum conventionem esse omnino similem contractui *mohatra*, nec ab usura excusari posse. Quando enim emo censum pro 100 fr. numerata pecunia, eo pacto ut venditor statim a me emat ad finem mensis pro 100 fr. 25 c., ibi in rei veritate et in nostra intentione nihil aliud est quam mutuum 100 fr. cum auctario 25 c. Pariter si Petrus mihi debeat pro inscriptione quam illi vendidi ad finem mensis currentis 100 000 fr., et factus interim solvendo impar a me obtineat ut conventio protrahatur ad finem mensis proximi, soluto mihi pretio (*le report*), nil aliud est ex mea parte quam dilatio solutionis concessa, seu mutuum implicitum, pro auctario mihi persoluto.

Et revera quænam esset ratio discriminis a mutuo ordinario? An ex eo quod auctarium statim solvatur? Sed evidens est eam circumstantiam, nedum tribuat mutuanti jus ad auctarium, esse potius contra illum. An quia inscriptio penes eum remanet? Sed inde securitatem obtinet, nec proinde ideo jus tribuitur ad auctarium. Fieri quidem potest ut pretium inscriptionis interim decrescat. Sed parvi interest venditoris, cui in omni hypothesi debebitur pretium conventum. Solum igitur periculum quod incurrat, illud est quod assignatum vidimus a quibusdam auctoribus, ne scilicet emptor inde fiat solvendo impar. Verum non putamus illud sufficere ad excusandum auctarium : tum quia periculum illud præcavere potest venditor, exigendo quamdam pretii partem (*une prime*) pro sua securitate; tum quia sæpe nil tale timendum est, attento emptoris statu; tum

demum quia, in omni eventu, venditor retinet inscriptionem, ex qua percipiet reditum legitimum, adeo ut illius capitale nec vere amissum dici possit, imo nec sterile remaneat. Si ergo in casu quodam peculiari damnum aliquod vere timendum habeat, applicari poterunt quæ diximus de titulo periculi; sed non videmus qua ratione posset auctarium excusari modo generali seu pro omnibus casibus.

2°. Quando lucrum percipitur ab eo qui subministrat inscriptionem (qui casus raro occurrit), non est quidem usura, cum idem ipse lucrum percipiat qui pecuniam recipit: sed quæstio est, an juste possit et pecuniam accipere quasi in securitatem inscriptionis suæ recuperandæ, et simul lucrum exigere? Porro illud valde dubium videtur. Qui enim vendit censum pro 100 fr. numerata pecunia, eo pacto ut simul redimat pro 99 fr. 75 c. ad finem mensis, quid aliud agit nisi quod reipsa vendit pro 100 fr. 25 c.? Onus quod imponit est in sui gratiam, et ab altero contrahente non acceptatur nisi ex necessitate in qua versatur obtinendi inscriptionem qua indiget; ergo reipsa fit venditio supra justum pretium. Fieri quidem potest ut si interim pretium augeatur, alter non possit inscriptionem tradere elapso termino: sed tunc adversus eum recursum habebit pro indemnitate recipienda; et si vere adsit periculum ne eam obtinere nequeat, tunc agnoscemus dari posse titulum auctarii, ut in casu præcedenti: sed non putamus rem ita se habere communiter, ita ut id statui possit tanquam regula generalis.

1262. II°. *De conventionibus circa* ACTIONES VARIARUM SOCIETATUM. Quando instituitur aliquod negotium quod majorem pecuniæ copiam requirit quam ut ab uno privato subministrari possit, efformatur societas plurium, quorum unusquisque aliquam pecuniæ summam confert. Hinc exsurgit societas anonyma, quæ vocatur *Compagnie,* quando agitur de rebus magni momenti; summæ sic collatæ effi-

ciunt fundum socialem, qui dividitur in varias partes quæ dicuntur *Actions;* qui has possident jus habent ad partem lucri proportionatam quæ vocatur *Dividende*, prout jam antea diximus (n° 866). Inter hujusmodi societates eminet societas argentaria quæ dicitur *la Banque de France*[1] :

[1] Quæ ad hanc societatem spectant, et speciatim varias legum dispositiones circa hujus administrationem, exhibet inter alios FAVARD DE LANGLADE, *Répert. de la nouvelle Législat.*, v° *Banques*, t. I, p. 298 et seq. Quædam hic indicare haud erit inutile ad scopum nostrum. Hæc suppeditat BIZET, p. 16 et seq., cujus verba adhibebimus, paucis, si opus sit, immutatis. « Dans l'origine (le service de la Banque a commencé le 20 févr. 1800), le fonds capital de la Banque étoit de « 30 millions de francs, divisés en 30 mille actions de 1000 fr. chaque. « La loi du 24 germin. an XI (14 avr. 1803) porta ce capital à 45 millions, en augmentant le nombre des actions de 15 000. Le 1er janv. « 1808 la Banque fut autorisée à émettre 45 000 nouvelles actions, dont « le capital fut porté à 1200 fr.: pour faire participer les 45 000 premières à un dividende égal aux dernières, on ajouta à chacune « d'elles 200 fr., pris sur les réserves alors existantes. Le capital de la « Banque se monte donc à 108 millions, sans y comprendre les réserves « qui se font chaque année sur les bénéfices. La Banque ayant racheté « 22 100 de ses actions, il n'en reste plus en circulation que 67 900.» (D'après l'art. 2 de la loi du 30 juin 1840, le capital représenté par ces actions ne pourra être augmenté ou diminué que par une loi spéciale.) « Le privilége, accordé d'abord pour quinze ans, fut prorogé « par la loi du 22 avril 1806 jusqu'au 22 sept. 1843.» (Par la loi du 30 juin 1840 il a été prorogé jusqu'au 31 déc. 1867 : néanmoins il pourra prendre fin ou être modifié le 31 déc. 1855, s'il en est ainsi ordonné par une loi votée dans l'une des deux sessions qui précéderont cette époque.)

« Les opérations de la Banque consistent 1°. à escompter des lettres « de change et billets à ordre revêtus de trois signatures, dont la plus « longue échéance n'excède pas quatre-vingt dix jours; 2°. à se charger « pour compte de particuliers et pour celui des établissements publics, « de recouvrer le montant des effets qui lui sont remis (ces effets qu'on « appelle à la Banque *Effets au comptant*, ne peuvent être remis que « par les personnes qui ont été admises à y avoir leur compte courant); « 3°. à recevoir en compte courant les sommes qui lui sont versées, et « à payer les dispositions faites sur elle jusqu'à concurrence des sommes « encaissées; 4°. à tenir une caisse de dépôts volontaires pour tous « titres, lingots et monnoies d'or et d'argent de toute espèce; 5°. à « émettre des billets payables au porteur et à vue : ces billets doivent

multæ efformatæ sunt etiam societates assecurationum (*Compagnies d'assurance*), ut jam diximus (n° 951); multæ recentioribus temporibus societates pro viis ferreis (*Compagnies des chemins de fer*), et pro multis aliis objectis[1]. Jam vero harum societatum actiones venales exponuntur in foro argentario (*à la Bourse*), sicut census publici, et multæ sunt quarum pretium indicatur in diariis publicis. Exponendum ergo habemus quid sentiendum sit de variis conventionibus quæ circa eas incuntur.

Si spectetur ipsarum *conventionum natura*, cum possint iniri iisdem modis ac circa census publicos, nempe vel de

« être émis dans des proportions telles, qu'au moyen du numéraire « réservé dans les caisses de la Banque, elle ne puisse dans aucun « temps être exposée à différer le payement de ses engagements au « moment où ils lui sont présentés. » *Ibid.*, p. 18, 19.

« La transmission des actions s'opère par de simples transferts sur « des registres doubles tenus à cet effet. Elles sont valablement trans- « férées par la déclaration du propriétaire ou de son fondé de pouvoirs, « signée sur les registres et certifiée par un agent de change, s'il n'y a « opposition signifiée et visée à la Banque. » Bresson, p. 61, 62.

[1] Plura ex his objectis indicabantur in consultatione ad S. Pœnitentiariam directa a quodam vicario generali Nannetensi, an. 1830, his verbis : « 1°. An qui pecunias commodant ad tempus præfinitum, sive « societatibus quæ dant operam, tum ad excavandos canales, vias pu- « blicas aperiendas, pontes fluviis injiciendos, paludes dessicandas, « tum ad adhibendum agris novæ culturæ genera, ad erigendas ferra- « rias fabricas, creandas fabricandi varii generis pannos aut purgandi « sacchari officinas ; sive negotiatoribus qui ad oras longinquas naves « emittunt, aut magnis speculationibus se tradunt ; sive urbibus inter « se invicem æmulantibus ut magis ac magis evadant ornatæ et spe- « ciosæ, non videantur tanquam socii qui faciunt cum ipsis actoribus « contractum societatis circa sortem, saltem quamdiu timendum ne « operationes infelicem exitum habeant? 2°. An per id tempus, id est, « quamdiu perseverant operationes quæ sæpius ex natura sua aleatoriæ « sunt, hi qui pecunias solverunt recipere non possint lucrum suppu- « tatum ex fructibus probabilibus operationis? De commercio actum « est, si non liceat; et etiam de pace publica. Insuper mutuantes per- « sæpe pecunias in discrimen ponunt. » — Responsionem a S. Pœnitentiaria datam, 20 apr. 1830, jam supra retulimus (n° 1118, p. 287): remittit solummodo ad Encyclicam Benedicti XIV.

præsenti, vel ad terminum, etc., applicanda sunt quæ de istis diximus, cum hoc tamen discrimine. Cum art. 421 et 422 cod. Pœn. non loquantur nisi de objectis publicis (*effets publics*), non debent applicari iis de quibus nunc loquimur : in legibus enim pœnalibus non est argumentandum a pari; et insuper adest hic disparitas inter utramque speciem, cum census publici multo magis directe spectent ad fortunam publicam. Ita pro certo exhibet MERLIN, *Répert.*, v° *Marché à terme*, §. II, n° VIII, t. X, p. 533, qui judicat id extendendum esse ad census regnorum extraneorum, qui quoad nos non habentur nisi ut census privatorum. Sed si vigere adhuc existimentur leges an. 1724 et 1785 quas indicavimus, applicandæ erunt quoad nullitatem civilem conventionibus de quibus loquimur, cum statutum 7 aug. 1785, art. 7, loquatur *d'effets royaux et autres quelconques* : et etiamsi pro abrogatis haberentur illæ leges, applicari saltem deberent dispositiones codicis Civilis circa sponsionem et ludum, quando ita ineuntur conventiones ut nihil aliud sint quam sponsio et ludus, juxta principia quæ exposuimus.

1263. Sed si inspiciamus ipsas *actiones* quæ sunt conventionum objectum, aliquid peculiare occurrit. Quod ut intelligatur, ante omnia sciendum est quænam sit præcise natura earum actionum. Actio haberi debet ut *pars societatis* : quod sic evolvitur in opusculo quod circa an. 1720 prodiit, sub hoc titulo : *Décis. théologiq. sur les Actions de la Compagnie des Indes*, 24 pp. in-12, p. 2 : « Une « action, en langage de commerce, est un droit qu'on « acquiert de partager le profit qui peut revenir d'une « certaine entreprise; d'où il est visible que l'action nous « met en société avec un nombre de personnes qui acquiè« rent comme nous une ou plusieurs de ces actions. » Unde sequitur eum qui habet actionem esse, ut aiunt, *coproprietarium* fundi socialis. Eamdem notionem exhibet

D'AGUESSEAU. *Mémoire sur les Actions de la Comp. des Indes* (Oper. t. X, edit. in-4°), art I, n° VI, p. 176 : item MERLIN, qui coram Curia Suprema id ostendit pluribus allatis auctoritatibus, asserens illud esse ita apertum (*si notoire dans le commerce, dans la banque et au barreau*), ut probare supervacaneum videri posset : (*Quest. de Droit*, v° *Action, Actionnaire*, §. I, t. I, p. 102). Fieri quidem potest ut aliqua societas summis pecuniæ indigens recurrat ad quosdam qui eas præbeant, nec tamen illius participes efficiantur. Sed hi non erunt, ut dicitur, *actionarii*, sed meri creditores, *bailleurs de fonds :* porro, ut aiebat MERLIN, *ibid.*, p. 107 : « Rien de plus distinct, rien de « plus opposé que les qualités d'actionnaire et de bailleur « de fonds. » Ita etiam PARDESSUS, qui postquam dixit : « L'action est une portion indivise dans la propriété de « tout ce qui compose le fonds social, » addit : « Ce peu « de mots suffit pour démontrer qu'une action n'est pas « la même chose qu'une créance contre la société » (*Droit Commerc.*, t. IV, n^is^ 992, 993, p. 80, 82).

Hoc posito, hic non agimus de mero creditore; huic applicanda sunt principia generalia, juxta responsionem S. Pœnitentiariæ mox indicatam (n° 1262) : loquimur tantum de eo qui emit actiones. Porro ex dictis intelligitur eum non præstare mutuum, nec proinde committere posse usuram : sed neque fit emptor pensionis annuæ, instar ejus qui emit censum, cum actio valde differat a censu. Igitur emit, si ita loqui possumus, partem societatis, seu jus ad partem lucrorum societatis, actioni aut actionibus suis proportionatam. Pars illa seu jus illud habet majus vel minus pretium, prout majus aut minus lucrum speratur, et pro variis aliis circumstantiis quæ in pretii determinationem influere possunt : unde qui emit pretio currenti, sub eo respectu nullam committit injustitiam. Sed ut possit tuta conscientia auctarium percipere, seu, ut

aiunt, *toucher son dividende*, necesse est ut lucra e quibus educitur illud auctarium sint justa et honesta; alioquin cum sit socius lucri, socius esset et injustitiæ. Ut ergo ultimate judicium feratur, dignoscendum est quænam sint viæ quibus in variis societatibus de quibus moveri potest quæstio lucrum comparetur : quod perspectum esse poterit ex earum statutis. Hæc statuta indicare ad nostrum scopum non pertinet. Observare sufficiat sub illo respectu aliquam securitatem haberi posse ex eo quod statuta illa debeant approbari a Gubernio. Id unum forsan timeri posset, ne inter media comparandi lucrum, aliquid immisceatur usurarium : quod dijudicabitur ex principiis quæ hic passim exponimus.

1264. Hinc 1°. olim quando actum est de actionibus *Societatis Indicæ*, testatur D'AGUESSEAU, p. 169, casuistas fuisse inter se divisos : et hæc divisio, inquit, sicut et variatio eorum qui primum probaverant tale commercium, et postea illicitum pronuntiaverunt, ostendit difficilem fuisse quæstionem. Qui pro commercii legitimitate stabant, dicebant creditorem non teneri expendere quibusnam viis debitor obtineat unde debitum suum solvat; neque pariter censualistæ incumbere hujusmodi obligationem erga censuarium : ad summum quæstionem moveri posse quatenus liceat cooperari commercio illicito; sed quoad justitiam nullum dubium moveri debere. Ita auctor opusculi inscripti : *Mémoire pour servir à justifier la Comp. des Indes contre la censure des casuistes qui la condamnent*, 56 pp. in-12, 1720; ita, inquam, p. 35 et seq. Qui vero contra stabant, ut auctor *Decisionis theologicæ* supra memoratæ, et ipse D'AGUESSEAU, p. 214 et seq., probare satagebant commercium illud, ex quo lucra percipiebantur, esse sub pluribus respectibus turpe et inhonestum, et nitebantur pravis ejus consectariis, quæ in dubium revocare non sinebat manifesta nimis experientia, potius

quam naturæ conventionum quas inibant ii qui has actiones sibi comparabant.

1265. Hinc 2°. hodie extra quæstionis statum versari videntur, aut falso niti supposito, D. Bouvier, p. 479, et Logerot, p. 208, quando dicunt de actionibus societatis argentariæ (*actions de la Banque*) eodem modo ratiocinandum esse ac de censibus publicis, quia pecunia non datur ad terminum sicut in mutuo, sed jus emitur ad reditus annuos, modo majores, modo minores, et aliquod semper incurritur periculum; unde concludunt realem existere titulum ad lucrum percipiendum : item quando exhibent collocationem pecuniæ in operibus industrialibus, viis ferreis, etc., tanquam emptionem et venditionem census. In his agnoscendæ sunt potius societates, quæ fructum educunt e fundo sociali ; qui emunt actiones, acquirunt jus ad partem lucri tanquam socii, seu coproprietarii illius fundi : probandum ergo est fructum esse justum, et jus ad illius partem percipiendam justo pretio acquiri. Cæterum quando agitur de priori societate (*la Banque de France*), tot et tantæ adhibitæ sunt cautiones, ut periculum pro nihilo computari debeat : et si quando hæc, vel aliæ societates dissolverentur, actionarii reciperent partem suam, non quasi per viam census qui redimitur, sed per viam partitionis inter coproprietarios.

Si ergo velimus probare licitum esse emere actiones (*de la Banque*), indicandum est unde proveniat lucrum[1], quod recentioribus præsertim temporibus ita elatum fuit,

[1] Quod spectat ad illud lucrum paulo fusius exponere juvat. « Le « *dividende* annuel se forme, 1°. d'une répartition de 6 p. 100 du ca- « pital originaire de 1000 fr. par action ; 2°. d'une autre répartition « égale aux deux tiers du bénéfice excédant les 6 p. 100 prélevés. Le « dernier tiers est mis en réserve. Le dividende se paye par semestre, « les 1er janv. et 1er juill. de chaque année. Dans le cas où la Banque « n'auroit pas fait assez d'affaires pour assurer un intérêt de 6 p. 100, « elle complète cet intérêt par un prélèvement qu'elle fait sur ses ré-

ut unius actionis auctarium pro sex mensibus excreverit usque ad 80 fr.; unde effectum est ut pretium actionis, quod primitus fuisse vidimus 1000 vel 1200 fr., ascenderit usque ad 3480 fr. Lucrum illud oritur præsertim e commercio seu anticipata solutione chirographorum (*escompte des billets*) : cum solutio fiat ope chirographorum quæ ipsa societas creat seu emittit, et quæ instar monetæ currentis habentur, talis esse potest numerus operationum hujusmodi, ut jam huic nullatenus sit proportionata summa totalis pecuniaria quæ ex actionibus efformata est. Oritur etiam lucrum ex pensionibus annuis quæ percipiuntur ex censibus publicis qui empti sunt cum

« serves, de telle manière que le dividende ne peut être moindre de « 30 fr. par semestre. » BIZET, p. 17, 18.

« D'après la loi du 4 juill. 1820, il fut payé 202 fr. par action pour « la répartition des réserves acquises en exécution de la loi du 22 avril « 1806 : cette réserve s'élevoit à 13 768 527 fr. 96 c. au 31 décembre « 1819, déduction faite de 3 875 472 fr. 04 c. pour l'acquisition du pa- « lais de la Banque et de ses dépendances. Les bénéfices mis en réserve « antérieurement à la loi du 22 avril 1806, montant à la somme de « 7 760 650 fr. 76 c., continuent provisoirement de rester en réserve. » BRESSON, p. 61.

« Les fonds des réserves nouvelles effectuées depuis le 1 juill. 1820.... « ont été employés successivement en achats de rentes 5 p. 100. Leur « somme totale étoit représentée (à la fin de 1827) par 337 000 fr. de « rente. » LAMST, p. 24, 25. (Depuis elle s'est beaucoup accrue : en mars 1847, la Banque a vendu à l'Empereur de Russie pour un capital de 50 millions : 2 millions R. 5 p. 100, et 145 000 fr. R. 3 p. 100.)

« Le taux de l'escompte de la Banque est de 4 p. 100 l'an (en 1847 il « a été élevé à 5). S'il paroît surprenant qu'elle puisse en donner un « plus considérable à ses actionnaires, qu'on se rappelle qu'elle ne paye « les valeurs qu'elle prend qu'avec son papier ; ce papier circule dans « Paris comme le numéraire, et jouit du même crédit : par cette opé- « ration elle a la faculté de doubler son capital et conséquemment ses « affaires. Si on ajoute à cet avantage le bénéfice qu'elle fait sur l'inté- « rêt de l'intérêt par le moyen de son escompte, qui se retient toujours « en dedans (le droit de garde qu'elle perçoit sur la valeur estimative « des objets qu'elle reçoit en dépôt, les arrérages des rentes sur l'État « qu'elle a acquises, etc.), on concevra facilement la cause de l'éléva- « tion de ses dividendes. » BIZET, p. 20, 21.

summis reservatis; item ex salario quod percipitur pro custodia objectorum quæ fuerunt deposita, etc. Si qua ergo esset difficultas, versaretur speciatim circa præcipuam lucri causam, seu circa commercium chirographorum; de quo videantur quæ dicta sunt (n° 1247), et quæ infra dicemus, ubi *de Auctoritate legis* circa auctarium (n° 1294).

1266. Hinc 3°. si agatur de variis societatibus efformatis recentioribus temporibus sub nomine *Banques de prévoyance*, *Agences de placement*, etc., generatim pro legitima habetur collocatio pecuniæ in his peracta ad obtinendum lucrum, majus minusve, sive statim percipiendum, sive in futurum tempus reservandum in partem vel in totum, et etiam aliquando in gratiam posterorum aut hæredum. Dicimus *Generatim*, quia tantus est earum societatum numerus, tam diversa earum statuta, tam varia etiam media quibus lucrum sibi comparant, ut nihil modo absoluto pronuntiari possit. Generatim ergo loquendo, earum administratores pecunias a plurimis collatas, quæ singulatim vix possent ad usus fructiferos adhiberi, ipsi adhibent ad emendos census publicos, vel aliis viis ex iis lucrum educere conantur : unde sunt veluti mandatarii aut negotiorum gestores eorum qui pecunias conferunt. Ex hac autem plurium collatione commoda diversi generis exquiruntur. Aliquando id præcipue intenditur, ut pecunia, licet alienata in perpetuum, ut in censibus, vel saltem ad longum tempus, ut in diversis negotiis, possit tamen restitui ad nutum eorum qui eam contulerunt : quod quidem eatenus obtinetur quatenus venditur, v. g., pars census proportionata, vel pecuniam repetenti subrogatur alter qui pecuniam et ipse confert, sicque fit quasi virtualis venditio. Aliquando id sibi proponunt pecuniæ collatores, ut modico aut etiam nullo lucro in præsens percepto, majus postea percipere possint, v. g., in senectute sua, vel etiam aliquando posteris sive hæredibus

relinquere : scopus autem ille attingitur, sive quatenus lucrum hic et nunc relictum penes societatem, vel pars illius, successive adhibetur novi capitalis instar, sicque per viam, ut dicitur, *des intérêts composés*, proportione mirabiliter prompta adaugetur; sive quatenus e certo numero personarum quæ pecunias contulerunt efformantur quasi societates novæ peculiares, e numero earum quas antea memoravimus (n° 856), quæ vocantur *Tontines*, unde fit ut pars redituum quæ debebatur præmortuis percipiatur a superstitibus, et capitale seu summacollata vel iisdem superstitibus pariter tribuatur, vel, omnibus defunctis, transeat ad hæredes uniuscujusque ex iis qui contulerunt.

Jam vero, modo pecunia non adhibeatur in usus illicitos, v. g., in usurarium mutuum, facile intelligitur ex dictis varia commoda mox indicata juste et legitime obtineri posse. Quod enim ii qui pecuniam contulerunt possint eam recuperare pro nutu aut certis temporibus, id non impedit quominus vere eam alienaverint, cum recuperent, non per restitutionem ut in mutuo, sed per venditionem census, aut cessionem juris alteri factam, ipsa societate annuente et favente : unde nec committi usuram, nec injustitiam, merito docent D. Bouvier, p. 480; D. Lyonnet, p. 368; D. Rousselot, *Theolog. moral. Sœtler*, t. III, p. 692. Si autem efformentur societates quæ dicuntur *Tontinières*, jam pluries diximus nihil in iis occurrere quod per se sit legibus aut justitiæ adversum (n^is^ 629, 879, 1070).

Inter varias illas societates mentionem specialem requirunt quæ dicuntur *Caisses d'épargne* : cum vero per legem civilem non solum approbatæ, sed ex omni parte ordinatæ fuerint, opportunius putamus de iis dicere ubi *de Auctoritate legis* circa auctarium (n° 1308) : ex serie enim dispositionum legalium melius innotescet quid sentiendum de auctario quod percipiunt qui pecuniam ibi deponunt.

Punctum 7. *De mutuo quod dicunt negotiationis.*

1267. Quidam auctores, ut ab initio diximus (n° 1114 et seq.), docuerunt contractum quo pecunia datur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solet qui acceptam pecuniam negotiatione augent, distinguendum esse ab eo in quo pecunia datur ad consumptionem, v. g., ad sustentandum mutuatarium ejusque familiam, etc. Priorem contractum, quem vocant *Mutuum negotiationis*, Gallice *Prêt de commerce,* dicunt esse speciem mutui diversam ab eo quod vocant consumptionis; imo non desunt qui dicant illum non esse proprie mutuum, sed contractum diversum, quem alii vocant *Commissæ pecuniæ*, alii variis aliis nominibus : unde docent eum non includi sub prohibitione generali usuræ, quæ non attingit nisi lucrum perceptum vi mutui proprie dicti. Ita inter alios Maignan, Lecorreur, et inter recentiores La Luzerne, Baston, etc. Ut scopum suum attingant, alii dicunt hunc contractum ultimate reduci ad contractum trinum initum explicite aut implicite, alii ad censum utrinque redimibilem; et hæc est ratio cur opportunum duxerimus de his contractibus disserere antequam ad mutuum negotiationis deveniremus : alii dicunt parum curandum esse de nomine, nihilque obstare quin dicatur contractus innominatus, et totam quæstionem esse de ipsa re, an nempe contractus sic descriptus haberi debeat tanquam jure divino aut naturali prohibitus.

Ut ergo eam quæstionem solvamus, investigandum habemus, utrum ea quæ diximus in articulo præcedenti de prohibitione usuræ, attingant ipsum mutuum negotiationis. Quod ut assequamur, eumdem quem ibi secuti sumus ordinem nunc etiam sequemur.

1268. Sed antea præcavenda est difficultas quam pluries opponit La Luzerne, speciatim t. III, p. 30, 33,

219, 225, 239, 253, 724, et quam post eum innuit MASTROFINI, n° 680. Juxta illum, solutio quæstionis pendet a principiis mere philosophicis, nempe utrum contractus quem vocamus mutuum negotiationis sit verum mutuum, necne : porro, inquit, talis quæstio non potest haberi ut dogmatica, nec ejus solutio exhiberi unquam potest ut doctrina Ecclesiæ; determinandum est enim quale sit verum objectum talis mutui, an pecunia, an solummodo valor, utrum res mutuata consumatur primo usu, necne, etc., quæ omnia talis non sunt naturæ ut cadant sub definitione Ecclesiæ. Hac responsione utitur prædictus auctor speciatim ad declinandam auctoritatem theologorum.

Verum nullo pacto admitti potest hujusmodi responsio. Nam profecto Ecclesia, declarando usuram esse lege divina prohibitam, necessario auctoritatem habet declarandi utrum talis vel talis contractus includat usuram; alioquin illusoria esset illius definitio, nec Christus ipsi concessisset quidquid necessarium est ad mores fidelium informandos. Ergo modo nobis sufficienter innotescat ea de re doctrina Ecclesiæ, causa omnino finita esse debet. Quando agitur speciatim de theologis, et quæritur utrum eorum assertio pertineat ad doctrinam Ecclesiæ, necne, id determinandum est ex ipsa eorum sententia : si enim supponeretur theologos exhibere posse tanquam doctrinam Ecclesiæ quod tale reipsa non est, jam labefactaretur eorum auctoritas, ut facile intelligitur.

1269. His præmissis, probandum habemus, *per prohibitionem usuræ attingi ipsum mutuum negotiationis* : quod ostendemus primum ex Benedicto XIV; deinde ex aliis quæ attulimus argumentis summatim spectatis.

ARGUMENTUM I^um^ : *Ex decisione Benedicti XIV.* Hujus decisionis auctoritatem jam satis ostendimus (n° 1125) : ostendendum superest eam attingere lucrum perceptum

ex ipso mutuo quod dicitur negotiationis. Porro illud multiplici via ostendimus.

1°. Ex *ipsamet Encyclica*. Declarat S. Pontifex, §. 3, n° 11, *Ad usuræ labem purgandam nullum arcessiri posse subsidium.... ex eo quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam sit relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel nocis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus.* Jam vero illa verba ita aperta sunt, ut dici possit neminem esse qui, si ea expendat ab omni præjudicio liber, non intelligat in sensu nostræ assertionis. Nisi ita intelligantur, dicendum erit ea non respicere nisi casum quo datur negotiatori verum mutuum, non vero quando fit alter ille contractus quem adversarii vocant mutuum negotiationis : atqui posterius dici nequit. Quo enim sensu id intelligent adversari? 1. Si dicant mutuum negotiationis differre a simplici mutuo, eo quod in posteriori detur pecunia ad consumptionem, in priori vero ad incrementum, evidens est eos contradicere Benedicto XIV, qui aperte supponit adesse mutuum et usuram, etiam quando ille qui pecuniam accepit eam adhibiturus est in usum incrementi. 2. Si dicant, ut dicit La Luzerne, licet satis timide, t. III, p. 675, tunc adesse mutuum simplex, quando expresse conventum non est de pecunia in usum fructiferum adhibenda, vanam et illusoriam efficiunt decisionem : tum quia eos tantum attinget qui, omnino rudes et inepti, eam conventionem quæ nullam unquam pati potest difficultatem inire omittent; tum quia in omni mutuo dato negotiatori ad fortunam amplificandam tacite et sufficienter adest illa conventio, ut ipse agnoscit La Luzerne, t. I, p. XLVIII, pro urbibus frequentis commercii (*places de commerce*), et erga negotiatores divites. 3. Si dicant, generatim cum pecunia datur negotiatori fieri posse contractum a mutuo

diversum, vel intelligunt id fieri posse in omni casu, et tunc recidunt in incommoda mox indicata, id est, vanam reddunt decisionem Benedicti XIV; vel ad quosdam solum casus restringunt, et tunc scopum suum non attingunt, quia semper quæstio superest an justi sint contractus quos proponunt; quod proinde expendendum remanet.

2°. Ex opere *de Synodo diœcesana*, l. x, c. iv. Licet in præfatione declaret Benedictus XIV se loqui solum ut privatum doctorem, cum tamen librum suum vulgaverit an. 1748, triennio post datam Encyclicam, judicandum certe eamdem esse illius in utroque doctrinam : nec melior haberi potest interpres Encyclicæ quam liber *de Synodo*, tum quia ad auctorem illius præcipue pertinet explicare quid intenderit et definiverit, tum quia, ut jam supra retulimus (n° 1117, p. 283), ad illum librum pluries jam remisit Sedes Apostolica, sive ad dilucidationem Encyclicæ, sive tanquam ad fontem unde haurirentur doctrinæ et regulæ quarum ductu dirimi possent exortæ quæstiones. Porro si quod dubium ex Encyclica superesse posset, per præfatum librum tollitur. Nam Benedictus XIV, n° 3, inter errores recenset sententiam quæ distinguit inter mutuum consumptionis et mutuum negotiationis, et postquam multis refellit eam distinctionem quam asserit, n° 4, ab hæreticis primum excogitatam, n° 9, ait merito eam fuisse confutatam a multis auctoribus, inter quos recenset Gaitte, Collet, et alios qui aperte mutuum negotiationis impugnarunt; deinde addit, n° 10 : *Verum quoniam.... prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad Petri cathedram evecti*, etc.; et tandem, n° 11 : *Quamobrem si jampridem aliquot episcopi*, inter quos recenset card. Lecamus, qui damnavit librum P. de Colonia, et Bossuet, cujus satis nota sententia, *præfatam proscripserant erroneam opinionem..., multo magis integrum nunc erit episcopis illam, postquam iterum*

nominatim et expresse est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, constitutionibus e sua diœcesi exturbare, etc. Ex his patet reprobatam esse sententiam quam hic impugnamus, quum ea ipsa sit quam exponit Benedictus XIV, quam confutarunt auctores ab eo citati, et damnarunt episcopi ab ipso indicati. Ergo, etc.

3°. Ex *Instructione* data jussu ejusdem Benedicti XIV P. Felici, missionario in Africa, ad quam remisit Pius VII, ut retulimus (n° 1117, p. 283). In ea Instructione, quam integram refert Pagès, t. I, p. 129 et seq., ita exponitur Encyclica, ut non liceat lucrum percipere ex pecunia data negotiatori, nisi ineatur alter contractus, census, cambii veri, aut veræ societatis, vel adsint tituli extrinseci; et postea declaratur non posse adesse societatem, quando assecuratur mutuanti sors reddenda et certa pars lucri. Porro hæc omnino repugnant sententiæ adversariorum.

4°. Idem ostendi potest ex *vanitate explicationum* ad quas confugere coacti sunt adversarii quos hic impugnamus. De nonnullis quædam jam diximus, sive hic, sive ubi *de Prohibitione usuræ* generatim spectata. Nunc tria tantum addemus. 1. Hæc ait Rossignol, p. 142 : « Je « pourrois observer que l'esprit de Dieu qui assiste d'une « manière spéciale le chef de la religion, dirige quelque- « fois ses expressions, même contre son intention, de « manière à empêcher qu'elles ne donnent atteinte à la « pureté du dogme et de la morale. L'Évangile nous en « fournit un exemple mémorable dans la personne du « grand-prêtre.... Pourquoi ne dirions-nous pas que Be- « noît XIV, imbu des préventions de l'Ecole, a pu avoir « en vue d'en adopter les principes dans son Encyclique; « mais que Dieu, fidèle aux promesses qu'il a faites à son « Église, a tellement modifié ses paroles, qu'à les exami- « ner de près, on trouve qu'elles ne disent rien que

« d'exactement vrai? » Igitur voluit S. Pontifex talem decisionem ferre; postea existimavit se eam tulisse : et tamen reipsa non tulit! Desperata nobis videtur causa quæ in talia responsa patronos adducit. 2. Audiamus LA LUZERNE, t. III, p. 675 : « Benoît XIV croit qu'on peut « faire un *mutuum* à un négociant pour le commerce en « grand; et je ne conçois pas trop comment il l'entend.... « Comme il ne s'explique pas sur ce point, nous ne pou- « vons pas deviner quelle est son idée. » Talia proferre nihil aliud est, ut nobis quidem videtur, quam se victum fateri. 3. Denique MASTROFINI valde commendat Encyclicam : « Parmi tous les rescrits des papes, inquit, « n° 644, il n'en est peut-être aucun qui présente d'une « manière moins équivoque les caractères d'une instruc- « tion universelle sur toute cette matière, et obligatoire « pour l'Église, que l'Encyclique de Benoît XIV. » Sed quando agitur de assequendo illius sensu, sic loquitur, n° 149 : « Benoît XIV demanda l'avis des consulteurs, « mais il ne leur demanda point qu'ils décidassent le cas « proposé, qui étoit proprement de savoir si l'on peut ou « l'on ne peut pas prêter aux riches à un intérêt modéré; « ensuite dans son Encyclique il ne définit rien sur ce « contrat : » et n° 366 : « Benoît XIV, à l'occasion de la « dispute qui s'éleva de son temps, se voyant dans une « espèce de nécessité de traiter la question générale : S'il « est permis de donner l'argent pour l'usage à un certain « prix, défendit à ses consulteurs de résoudre cette ques- « tion, et permit aux hommes habiles dans cette matière « de la décider selon l'exigence des cas. » Mox explicabimus quo sensu dixerit Benedictus XIV se nihil pronuntiare de contractu qui controversiæ locum dederat : statim observare possumus quam improprie per *casum propositum* et per *contractum* intelligatur quæstio generalis de lucro percipiendo. Sed quis non videat parum sibi cohæ-

rere varias assertiones quas attulimus? Quomodo enim ut instructio universalis exhiberi potest constitutio in qua nihil definitur circa illud solum quod in controversiam veniebat? Si S. Pontifex quasi coactus agere de quæstione generali, prohibuerit ne a consultoribus solveretur, et ipse ab ea solvenda abstinuerit, nonne incurrit censuram quam ab eo removere satagit ipse MASTROFINI, n° 682, per hæc verba : « Il instruisoit en maître, il n'esquivoit « pas la difficulté en politique, comme on a eu la sottise « de le dire? » Profecto qui legerit quæcumque habet ille auctor de Benedicto XIV, non mirabitur auctorem *Analysis*, Neapoli vulgatæ, id unum expetiisse, ut attente legeretur Encyclica; et persuasum habuisse lectori manifestum fore eatenus inveniendam esse in ea doctrinam Mastrofini, quatenus ista adhiberetur regula : quando dicitur omnem usuram esse injustam, intelligendum est non omnem usuram esse injustam; quando dicitur illicitam esse usuram etiam moderatam, intelligendum est illicitam esse solam usuram immoderatam, etc. *Anal.*, c. VI, n° 6, p. 432.

5°. Tandem si adhuc dubium aliquod superesset de mente Benedicti XIV, alia adhuc via tolli posset. Cum illius doctrina colligi possit tum ex Encyclica, tum ex opere *de Synod. diœces.*, exinde educi possunt variæ illius assertiones; quæ si postea conferantur cum assertionibus auctorum quos impugnamus, ad evidentiam usque patebit quanta sit inter utramque partem oppositio. Id speciatim quoad D. LA LUZERNE præstitit editor opusculi inscripti : *Litteræ Encyclicæ, etc.* (n° 1117, p. 283), p. 58-83, et fusius quoad plures etiam alios auctores PAGÈS, edit. III, *Disc. prélim.*, p. LXV et seq., qui in edit. IV, t. I, p. 118 et seq. indicat tantum varias assertiones Benedicti XIV.

1270. Solvenda supersunt quæ objiciunt adversarii ut argumentum allatum evertant.

Obj. 1°. *Ex ipsamet Encyclica.* Multa ibi animadver-

tunt, ex quibus concludendum ipsis videtur nihil voluisse definire Benedictum XIV de mutuo negotiationis. 1. Benedictus XIV, inquiunt, expresse declarat, §. 6, se nihil in præsenti statuere *de contractu qui novas has controversias excitaverat;* ille contractus erat census utrinque redimibilis, de quo disputationes a Belgio in Italiam deductæ fuerant, ut ante diximus (n° 1114, p. 270) : cum igitur ille contractus non differat a mutuo negotiationis, ut tenent plerique ex theologis rigidis, sequitur Benedictum XIV noluisse damnare mutuum commercii. 2. Declarat etiam *ibid.* se nihil decernere *modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias :* porro non ignorabat quantæ moveantur controversiæ de mutuo negotiationis. 3. Demum *nequaquam negatur,* inquit, §. 3, n° III, *posse quandoque una cum mutui contractu concurrere quosdam alios,* ut aiunt, *titulos...,* vel *posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus recte collocari et impendi, sive ad proventus annuos sibi conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam honestaque indidem lucra percipienda :* atqui evidens est sub iis contractibus comprehendi triplicem contractum, qui nihil aliud est quam mutuum commercii. Illud eo potiori jure asseri potest, quod inter auctores quos in Tr. *de Synodo*, n° 9, citat Benedictus XIV tanquam impugnatores opinionis quam ipse rejicit, tres aut quatuor priores admittant triplicem contractum, nempe Navarrus, qui vulgo perhibetur hujus inventor (vid. n° 1208), Gibalinus, de Lugo, et Leotardus. Ita circa Encyclicam argumentantur varii auctores a nobis ab initio recensiti, inter quos Mignot, t. v, p. 52 et seq.; Laforêt, p. 97; Dorlhac, p. 180 et seq.; et præcipue La Luzerne, t. III, p. 671 et seq.; Mastrofini, n^is 149, 366, 526, et alii.

R. 1°. generatim : Cum ipse Benedictus XIV satis clare

exponat quid intenderit damnare, et ex ejus expositione ostenderimus eum reprobasse lucrum perceptum ex mutuo negotiationis; nisi dicere velimus eum sibi contradixisse, quod nemo absque temeritate asserat, agnoscendum est vel eum damnasse implicite contractus quos afferunt adversarii, vel eum aliquod discrimen supposuisse inter illos contractus et mutuum negotiationis. Animadvertendum est enim non sufficere ad scopum adversariorum ut illi contractus in se revera idem sint ac mutuum negotiationis : sed requiritur ut Benedictus XIV, non solum agnoverit hanc identitatem, sed etiam judicaverit nullam disparitatem inter utrumque sustineri posse; alioquin concipitur quomodo unum damnando aliud non damnaverit : porro illud non probant adversarii. Igitur respondemus eorum assertioni prorsus gratuitæ : Si Benedictus XIV non damnaverit eos contractus, rationem esse quia admisit vel existere, vel saltem sustineri posse, aliquod discrimen inter eos et mutuum commercii; ideoque ex hoc nihil concludere posse adversarios. Illa responsio melius intelligetur ex modo dicendis.

R. 2°. Sigillatim ad singula in objectione allegata.

Ad I. Equidem in Belgio unde exordium cœpit controversia, agebatur de censu utrinque redimibili; sed in Italia mota est disputatio, ut antea diximus (n° 1115, p. 272), et admittunt omnes, occasione mutui ab urbe Verona initi, *nempe an quidam contractus validus judicari debeat*, ut ait ipse Benedictus XIV ab initio Encyclicæ : hoc posito, illud tantum per verba in objectione allata dicere intendit Benedictus XIV, se non pronuntiare circa illud speciale mutuum, id est, utrum in casu peculiari legitime initum foret, necne. Illud satis indicat, dum suæ agendi rationis illud motivum affert, §. 2, quod *plura documenta non suppeterent quæ necessario ad id requirebantur :* si enim actum fuisset de censu redimibili speculative considerato,

nulla ad pronuntiandum deerant documenta, præsertim cum ipse dicat, §. 4 : « Apertissime cognovimus auctores « quibus contrariæ sententiæ referri debent, et eos pariter « qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam seu occasio- « nem præbere videntur ; neque ignoramus quanta sapien- « tia et gravitate defensionem veritatis susceperint theo- « logi finitimi illis regionibus ubi controversiæ ejusmodi « principium habuerunt. »

Ad II. Multi sunt quidem contractus de quibus controversia movetur inter theologos : sed in iis a Benedicto XIV non comprehendi mutuum negotiationis satis constat ex libro *de Synod. diœces.;* ibi enim, n° 3, ait de doctoribus qui illud propugnant, ut patet ex ejus expositione, *impiæ Calvini et Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici,* quorum *distinctionem* seu opinionem ait, n° 4, *ab hæreticis primum excogitatam,* et, n° 11, vocat *erroneam* asseritque esse *a Sede Apostolica reprobatam.* Huc redeunt omnia in probatione adducta.

Et revera in adversariorum sententia nihil prorsus effecisset Benedictus XIV; ejus decisio controversiam reliquisset in eodem prorsus statu in quo erat antea : dum, admissa nostra interpretatione, non desunt contractus de quibus disputent, ut census, cambium, societas, de quibus jam locuti sumus.

Ad III. Nihil probat Benedictum XIV inter contractus quos iniri posse ait, voluisse comprehendere triplicem contractum. Nam 1. directe illud educi non potest ex illius verbis : possunt enim profecto admitti varii contractus liciti, quin admittatur contractus trinus; id constat exemplo multorum theologorum, et satis per se patet. 2. Vanæ sunt prorsus et irritæ probationes quas adducit La Luzerne, p. 672. I^a quidem ex eo desumitur quod Benedictus XIV distinguat triplicem contractum a mutuo; cum reprobet omne mutuum cum lucro, dum expresse

asserit triplicem contractum non fuisse reprobatum.—Verum eo tendit hoc argumentum ut ostendat a Benedicto XIV discrimen agnosci inter triplicem contractum et mutuum negotiationis : porro si illud admittatur, nullum commodum inde educet La Luzerne in favorem suæ opinionis, ut patet. II[a] probatio inde desumitur quod Benedictus XIV non requirat, ut licitus sit contractus, nisi æqualitatem quæ reperitur in triplici contractu. — Verum quando movetur controversia de triplici contractu, quæstio est præcise an adsit æqualitas; igitur supponendum non est quod versatur in quæstione. III[a] probatio deducitur ex eo quod Benedictus XIV asserat occurrere *multiplicem modum* percipiendi lucrum; quod perfecte verificatur in contractu triplici, qui ordinarie pro objecto habet negotia commercialia, et varie modificari potest. — Verum, si attente perlegatur Benedictus XIV, manifestum erit eum loqui de pluribus contractibus : in ipso enim loco quem respicit La Luzerne loquitur primum de *tot diversis contractuum generibus*, et deinde concludit *dubitandum non esse quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat* humana commercia frequentandi; igitur vana est illa ratio. Ex his judicari poterit quo jure La Luzerne, p. 671, suam assertionem evidentem dixerit. 3. Contra verisimiliter dici potest Benedictum XIV noluisse inter illos contractus de quibus loquitur comprehendere triplicem contractum, cum de eo disserens ex professo, *de Synod.*, l. x, c. vii, asserat, n° 3, eum fuisse usurarium declaratum a Sixto V, et, n° 6, moneat eum esse periculosum, et tuto posse episcopum *eum pro viribus impedire, atque ab eo ineundo subditos dehortari,* prout jam supra retulimus (n° 1213). Ex his profecto plus quam dubium est, an Benedictus XIV, indicans varios lucrandi modos licitos, triplicem contractum intenderit. 4. Igitur per illos contractus optime intelligi

possunt cambium, census qui recte designatur per illa verba, *Ad proventus sibi annuos conquirendos*, societas simplex cui recte congruunt verba sequentia, *Ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam*, et alii omnes qui fiunt in commercio. Et sane cum Benedictus XIV supponat plurimos occurrere hujusmodi contractus, satis absurdum est ejus decisionem restringere præcise ad unicum mutuum negotiationis. Vid. CARPUAC, *Exam. du Tr. de l'Usure*, p. 108-116; LA PORTE, *Princip. sur l'Usure*, t. IV, p. 210 et seq.; LECOQ, *Remarq. sur le Tr. de l'Usure*, p. 15 et seq.; ROUGANE, *Nouv. Patrons de l'usure réfutés*, p. 277 et seq.

1271. Cæterum ut plenius solvatur hæc objectio cui multum innituntur adversarii, quædam adhuc notabimus, ex quibus etiam tollentur nonnullæ difficultates quæ ex dictis in toto præsenti paragrapho oriri possent.

Existunt plures contractus qui magnam habent cum mutuo negotiationis similitudinem; tales sunt imprimis census ex utraque parte redimibilis, et contractus trinus. Eos reipsa non differre admittunt multi, sive ex iis qui favent mutuo negotiationis, sive ex iis qui illud rejiciunt. De his contractibus absolute non pronuntiavit Ecclesia, ut vidimus. Exinde argumentum deducunt illi quos impugnamus, et dicunt: Benedictus XIV non damnavit illos contractus; ergo nec mutuum negotiationis. Alii ipsis aliquando reponunt: Benedictus XIV damnavit mutuum negotiationis; ergo et illos contractus: alioquin, inquiunt utrique, Benedictus XIV sibi contradiceret, ac proinde nihil ex ejus auctoritate contra nos concludi posset.

Circa hoc argumentandi genus, hæc advertenda sunt. Ut quædam opinio damnata aut approbata intelligatur per alterius condemnationem aut approbationem, requiritur ut auctoritas quæ eam damnavit aut approbavit simul pronuntiaverit eamdem esse utramque: illud per se

patet, et multis exemplis elucidari posset. Unum afferre sufficiat. Multi theologi propugnant gratiam efficacem quam admittunt Thomistæ reipsa non differre a delectatione victrici Jansenianorum. Si quis tamen ita argumentaretur : Ecclesia damnavit delectationem victricem Jansenianorum, ergo et gratiam efficacem Thomistarum; vel contra : Ecclesia non damnavit gratiam efficacem Thomistarum, ergo nec delectationem Jansenianorum, ille male prorsus concluderet, quia nempe Ecclesia nihil pronuntiavit de identitate inter gratiam Thomistarum et delectationem Jansenianorum. Pariter in præsenti materia plures sunt contractus de quibus non declaravit Ecclesia, seu Benedictus XIV, an idem includant ac mutuum negotiationis; igitur ut judicium feratur de theologis qui illos varios contractus tuentur, expendendum est an agnoscant similitudinem, necne : in priori casu, dicendum eos propugnare opinionem reprobatam a Benedicto XIV; in posteriori, impugnari possunt quidem ex illa condemnatione per viam consequentiæ, sed accusari nequeunt quod propugnent opinionem damnatam; et propter eamdem rationem non possunt in ejus patrocinium adduci. Unde si velimus juxta methodum scholasticam argumentari, isti argumento : *Mutuum negotiationis idem est ac triplex contractus : atqui Benedictus XIV non damnavit triplicem contractum; ergo nec mutuum negotiationis,* sic responderi potest : Nego majorem in hypothesi minoris, et minorem in hypothesi majoris; sic solvitur argumentum, nec tamen dirimitur controversia quam Benedictus XIV dirimere noluit, nempe de identitate utriusque contractus.

1272. *Obj.* 2°. *Ex iis quæ subsecuta sunt Encyclicam* Benedicti XIV. Si in memoriam revocentur quæ diximus in expositione historica controversiæ (n° 1116 et seq.), plura ibi occurrunt quibus nituntur adversarii ad evertendam assertionem nostram. Etenim, inquiunt, sive inspi-

ciantur opiniones multorum auctorum qui post Encyclicam scripserunt, sive agendi ratio quam Ecclesia erga eos habuit, sive præsertim decisiones a SS. Congregationibus Romanis his recentioribus temporibus prolatæ, satis apertum erit quæstionem de qua agimus non haberi a Sede Apostolica et ab episcopis tanquam irreformabiliter definitam : ergo concludendum est vel Encyclicam non habere vim quam ipsi tribuimus, vel eam explicari posse in sensu diverso ab eo quem assignavimus.

R. Agnoscendum est hanc objectionem esse majoris momenti, et fusiori indigere discussione. In ejus expositione et examine versabitur magna ex parte articulus v hujusce capitis, ad quem proinde in præsenti remittere sufficiat.

1273. ARGUMENTUM II^um^ : *Ex iis quæ dicta sunt de prohibitione usuræ generatim spectata.* Quamvis ibi expresse locuti non fuerimus de mutuo negotiationis, plura tamen exinde colligi possunt quæ ad illud referantur : ad duo præcipua capita revocari possunt, sub respectu scilicet auctoritatis et rationis.

I. *Ex auctoritate.* Hæc adnotare possumus. 1°. Multa occurrunt Scripturæ Sacræ, SS. Patrum et Conciliorum testimonia prorsus generalia : dicunt ipsi adversarii, ut vidimus, in plerisque non fieri mentionem expressam de mutuo; illudque verum esse non negavimus, sed observavimus ad contractum illum verba restringi ex contextu et ex natura objecti (n° 1134) : igitur dici potest hæc applicari quotiescumque aliquis accipit pecuniam in proprios usus adhibendam, sive deinceps utatur in incrementum fortunæ, sive alio modo, cum nullam distinctionem aut restrictionem afferant. Saltem ex ea verborum generalitate sequitur, lucrum non posse percipi ex contractu de quo nunc agimus, si sit verum mutuum, ab eo essentialiter non discrepet. Jam igitur opus non est præcise ut

directe ostendamus illius injustitiam; satis est ut ostendamus recidere in verum mutuum : quod modo præstabimus.

2°. In quibusdam SS. Patrum testimoniis, eorum præsertim qui fusius de præsenti materia disseruerunt, mentionem fieri vidimus (n° 1139) de mutuo dato negotiatoribus. Illi autem ita loquuntur ut ostendant se in iis locis nihil novi proponere, sed de mutuo dato negotiatori ratiocinandum esse quemadmodum de mutuo dato aliis; ex quo intelligimus nullum tunc agnitum fuisse discrimen inter mutuum consumptionis et mutuum negotiationis, ac proinde utrique applicari testimonia omnia SS. Patrum quæ attulimus.

3°. Theologos vidimus (n° 1142) moraliter unanimes ad reprobandum quodcumque lucrum vi mutui perceptum : cum vero plerique nullatenus distinguant inter mutuum factum negotiatori, et non negotiatori, hic etiam haud immerito allegari possunt. Sed eos nullatenus ea de re concordare probare conatur La Luzerne, t. III, p. 101 et seq., quia, inquit, multi mutuum negotiationis approbant sub specie triplicis contractus, vel census redimibilis; plures alii illud non eodem modo ac nos improbant, sed solum tanquam periculosum; non pauci admittunt licitum fieri posse per legem civilem. Verum hæc effugia facile confutari posse videntur. Etenim inter primos, plerique non recurrunt ad varios illos contractus, nisi quia existimant eos differre a mutuo, ac proinde iis applicari possunt quæ modo diximus de Benedicto XIV : pauci sunt qui agnoscant sufficere ut ineantur illi contractus implicite, ac proinde qui admittant contractum qualis hodie propugnatur licitus sub nomine mutui negotiationis. Alii ideo judicant talem aut talem contractum esse periculosum, quia facile potest adesse intentio usuraria, ideoque illud permittunt tantum quando sincere intenditur, v. g., vera societas, vel alius contractus : quod, ex una parte

ostendit quantum absint ab admittendo lucro percepto vi mutui, qualecumque sit; et ex altera, non favet adversariis, cum in contractu qualem propugnant plerumque desit illa sincera intentio. Postremi denique evidenter supponunt contractum esse in se illicitum; alioquin omnino inutile esset recurrere ad vim legis, seu ad altum dominium principis. Igitur verum remanet theologos reprobavisse lucrum perceptum ex quocumque mutuo, et eos qui opponuntur admisisse tantum posse iniri cum negotiatore contractus diversæ naturæ, de quibus jam diximus.

1274. II. *Ex ratione*. Satis constabit per prohibitionem usuræ attingi ipsum mutuum negotiationis, si ostendamus contractum quem illo nomine designant adversarii esse verum mutuum, seu a mutuo quod vocant consumptionis non differre. Atqui contendimus reipsa mutuum negotiationis non differre a mutuo consumptionis : illudque in eo sensu intelligimus, ne disputemus de nomine, quod non adsit discrimen ratione cujus excusari possit lucrum ex illo perceptum. Si quod adesset hujusmodi discrimen, desumeretur vel ex eo quod pecunia non detur ad usum consumptionis, vel ex eo quod non transferatur illius dominium ad mutuatarium qui tenetur adhibere modo a conventione determinato, vel demum ex intentione contrahentium qui non intendunt, aut saltem possunt non intendere, verum mutuum inire, sed alium contractum justum : non videmus alias rationes ab adversariis afferri. Non adest mutuum, inquiunt, nisi res detur ad consumptionem, ut patet ex definitione superius allata (n^is^ 1026, 1027) : porro in mutuo negotiationis pecunia non datur ad consumptionem; nam verum objectum contractus non sunt species physicæ, sed valor; ille autem valor non datur nisi ea conditione ut adhibeatur in commercio, ubi fructificat, nedum consumatur : eo modo pacisci potest et

vult tradens pecuniam, ne scilicet ineat contractum usurarium. Ita La Luzerne, t. 1, p. 9-27. Pariter non adest mutuum, inquiunt alii, quando ille qui rem recipit ab altero non acquirit hujus dominium : atqui hic reipsa negotiator non acquirit, siquidem non potest de ea pro nutu disponere, sed tenetur adhibere in usum a conventione determinatum. Ita Laforêt, *Tr. de l'Usure*, p. 163 et seq., et *Défense*, p. 36, et alii. Tandem dici posset cum quibusdam aliis, contrahentes non intendere, aut saltem posse non intendere mutuum usurarium, sed velle implicite contractum licitum, sive generatim meliori quo fieri potest modo, sive speciatim modo quo iniri solet in tali urbe, vel qui probatur a doctis theologis, v. g., contractum trinum, aut alium similem qui præsto esse potest pro variis circumstantiis. Ita varii theologi quos impugnandos habemus. Jam vero nulla ex his rationibus sufficit ad excusandum in mutuo negotiationis lucrum quod esset usurarium in mutuo consumptionis.

1°. Non *destinatio pecuniæ* traditæ. Ut enim observat Gerdil, t. xviii, p. 26, usus incrementi in re fungibili non potest sejungi ab usu consumptionis; siquidem ipsum incrementum quod fit per negotiationem pendet ex distractione, atque adeo ex consumptione rei fungibilis, qua scilicet pecunia consumitur, non quidem physice et naturaliter, sed moraliter, quia utenti perit, ut aiunt jurisperiti, et pluries diximus; illudque æqualiter verum est, sive adhibeatur ad emendum, v. g., victui necessaria, sive ad emendas merces postea vendendas : utroque enim casu ope pecuniæ sibi comparat mutuatarius aliquid æquivalens; sive autem postea re acquisita utatur ad servandam vitam, sive ad exercendam artem lucratoriam, sive ad instituendam negotiationem, sive alio qualicumque modo, nullatenus inde mutantur jura illius qui pecuniam tradidit. Igitur nullum est ex ea parte discrimen, et in

utroque casu militant argumenta quæ attulimus circa mutuum consumptionis.

2°. Non *obligatio imposita negotiatori* pecuniam adhibendi in usum conventum. Observari primum posset cum LABRUNIE, satis absonum primo intuitu videri, ex mutuatario aliquid exigi licitum fieri præcise quia onus aliquod ipsi imponitur : si pure et simpliciter ipsius arbitrio relinqueretur usus pecuniæ, nihil exigi posset absque usura; numquid æquum est ut magis obligatus remaneat quando ipsi minus tribuitur? Sed quidquid sit de ea ratione, dicimus ex onere ipsi imposito non deduci quod dominium non fuerit translatum : tum quia si accipiens non possit pro nutu disponere, neque profecto id potest pecuniam tradens, ut patet, ac proinde dici nequit apud ipsum remanere dominium; tum quia optime concipitur posse transferri dominium, licet accipienti onus imponatur rem ad talem vel talem usum adhibendi, ut ostendi potest exemplo venditionis vel donationis, in quibus non repugnat imponi hujusmodi conditiones. Et revera si res periret etiam ante illum usum, nemo est qui non judicaret eam periisse mutuatario; pariter si eam in alium usum adhiberet, coram omnibus tribunalibus alienatio haberetur ut valida, nec admitteretur qui eam tradidit ad eam repetendam e manibus illius qui eam accepisset, sed solum posset contrahentem tanquam violati pacti reum traducere : ergo revera dominium translatum est, et mere illusoria est pactio qua videtur rem tradens velle illud retinere. Ergo ex ea parte non adest discrimen sufficiens inter mutuum negotiationis et mutuum simplex; ergo iterum priori sicut et alteri applicantur quæcumque diximus, seu usurarium ac proinde injustum est lucrum ex illo mutuo perceptum.

3°. Non *voluntas implicita ineundi contractum justum.* Si enim expendamus *factum*, plerique ex iis qui pecuniam

suam committunt negotiatoribus, intendunt recipere post certum tempus sortem cum auctario, et de nulla alia re cogitant; ergo nihil aliud intendunt in rei veritate quam mutuum usurarium. Si *juris* rationem habeamus, ut vim aliquam habere posset voluntas illa implicita quæ allegatur, necessarium foret occurrere reipsa aliquem contractum justum, vi cujus obtineri posset securitas sortis cum jure ad auctarium : porro ex dictis intelligitur non occurrere hujusmodi contractum; satis enim diximus quid sentiendum de præcipuis quos allegant adversarii. Deinde si quandoque occurreret aliquis contractus justus, non videtur quomodo sufficere posset voluntas illa implicita : cum enim eatenus justus esse possit ille contractus, quatenus constabit, ut ita dicam, elementis diversis a mutuo, voluntas deberet ferri aliquo modo in hæc elementa; ad hoc autem non sufficit voluntas mere habitualis seu interpretativa, qualis tantum est ea quam supponunt adversarii, siquidem, ut vidimus ab initio (n° 39 et seq.), aliquid amplius requiritur ad contractum. Illud solum in quæstionem vocari posset, an ille qui non iniit mutuum negotiationis nisi quia bona fide credidit esse justum, alium contractum justum initurus si non fuisset in illo errore, possit eo titulo excusari ab usura : eam quæstionem expendemus ubi *de Restitutione usurarum* (n° 1315). In præsenti concludere possumus nullam afferri validam rationem, qua excusetur in mutuo negotiationis lucrum quod esset usurarium in mutuo consumptionis.

Confirmari potest assertio nostra quasi *a posteriori*, seu ab eventu. Inter auctores qui excusare conati sunt lucrum perceptum ex mutuo negotiationis, plerique deducti sunt ad excusandum pariter lucrum ex mutuo consumptionis : quid ita, nisi quia intellexerunt, semel admissa lucri ex mutuo consumptionis percepti injustitia, eadem condemnatione involvi lucrum ex mutuo negotiationis? Ergo, etc.

§. 5. *Utrum prohibitio usuræ attingat auctarium lege civili permissum.*

1275. Hæc est ultima quæstio quæ expendenda superest, ut dignoscamus quousque extendatur prohibitio usuræ. Aliis verbis proponi posset, an nempe vi legis civilis possit exigi auctarium supra sortem, absque alio titulo? Eatenus illud liceret, quatenus lex civilis ipsa haberi posset tanquam titulus extrinsecus et legitimus; ideo multi theologi de isto titulo loquuntur simul ac de aliis quos investigavimus in §. 3 : cur illum quasi extra ordinem reponere opportunum judicaverimus, jam ab initio diximus (n° 1119), simulque indicavimus quanti ad praxim apud nos intersit hujus quæstionis solutio.

Ut eam accurate solvamus, agemus 1°. generatim de auctoritate legis civilis circa auctarium; 2°. exponemus pariter generatim quid de auctario apud nos statuerit lex civilis; 3°. demum dicemus de quibusdam casibus peculiaribus, pro quibus occurrere possunt quædam rationes speciales.

Punctum 1. *De auctoritate legis civilis circa auctarium.*

1276. Cum usura ex dictis prohibeatur jure divino et naturali, quæstio non est utrum lex civilis seu princeps possit eam licitam reddere : sed cum nomine usuræ prohibitæ intelligi debeat solummodo auctarium perceptum vi mutui, absque titulo extrinseco, quæritur an princeps possit creare hujusmodi titulum extrinsecum, seu per legem suam efficere ut auctarium quod, ea seclusa, esset usurarium utpote perceptum vi solius mutui, fiat, ea posita, legitimum utpote jam perceptum vi tituli extrinseci?

Affirmant non pauci. Holden, Epist. (5 sept. 1648) *de Natura fœnoris,* ad calcem *Divinæ fidei Analysis,* asserit,

p. 377, Rempublicam, quæ pecuniæ dedit naturam quam habet, posse hanc naturam mutare, adeo ut non sit amplius e numero rerum primo usu consumptibilium, sed in earum rerum naturam transeat quæ locationem admittunt : alioquin, inquit, usurariæ essent mutui donationes. Idem alio titulo propugnant non pauci theologi et canonistæ. Plures citat ZECH, Diss. II, §. 142, n° X (qui tamen eis non assentitur, sicut nec plerique alii professores Ingoldstadienses, §. 256), et post eum LA LUZERNE, t. III, p. 102 et seq. Quidam ex ipsis non loquuntur nisi pro casu quodam speciali, v. g., pro Montibus pietatis, ut POTESTAS, *Examen ecclesiastic.*, n° 2414, pro pupillis, ut VIVA, *Theol. moral.*, t. III, *de Usura*, q. III, art. I, n° 4; alii nonnisi obiter et absque ulla discussione de ea quæstione loquuntur, ut TANNER, *Theolog.*, t. III, *de Justit.*, D. IV, q. VII, n° 79, MEZGER, t. III, Tr. XIII, D. XLIII, art. II, n° XI, HAUNOLDUS, Tr. IX, n^is 421, 422. Sed accuratius id discutiunt PICHLER, *Summ. Jurispr. canon.*, l. V, tit. XIX, n° 8; BÖCKHN, *Jus canonic.*, tit. eod., n° 10; CARTIER, qui primum in *Theologia universal.* dubius manserat[1], et postea hanc opinionem amplectitur *Exercitat. utriusq. juris*, Exerc. XXXVI, p. 109; *Theolog. Wirceburgens., de Jure et Justit.*, part. I, p. 432 et seq.; SOETTLER, *Theolog. diœces. Argentinens.*, quam

[1] Prodiit hæc theologia Aug. Vindel. an. 1757. Ibi, tom. III, tr. V, c. III, n° 339, ait : « Titulus iste, primum quantum arbitramur a Calvino in orbem christianum invectus est, quem deinde totis viribus « propugnarunt ejus sequaces acatholici, a quibus in catholicos deri« vatus, atque ab iis etiam universim, saltem in imperio Romano Ger« manico, adoptatus est, ubi adhuc obtinet; quamvis communiter a « theologis rejiciatur, qua in re tamen adversarios patiuntur juris« consultos civiles pene omnes, ecclesiasticos autem saltem in Germa« nia non paucos, imo haud paucos præstantes theologos. » Post exposita argumenta quæ pro hoc titulo afferuntur, concludit, n° 347 : « Nos « quid de hoc titulo sentiendum sit, virorum prudentum ac sapien« tum arbitrio relinquimus. »

mox edidit D. Rousselot, t. III, part. II, c. IV, q. 12, p. 588, quam citat et sequitur Baronnat, t. I, p. 127, qui et ipse idem primo propugnat, et postea ulterius progreditur. Ita etiam non pauci in variis regionibus, in quibus plus minusve recepta est ea doctrina.

Prob. Lucrum perceptum ex mutuo, licet prohibitum jure naturali et divino ut diximus, potest fieri aliquando licitum, quia non prohibetur nisi jure naturali secundario. Scilicet ideo tantum prohibetur quia mutuans caret titulo, et mutuatario infertur injuria; si ergo per auctoritatem competentem mutuanti conferatur titulus, jam nulla aderit injustitia, quemadmodum nulla adfuit quando Deus, ut dicunt multi theologi (n° 1129), Hebræis usuram permisit erga alienigenas : imo non aderit proprie usura, siquidem lucrum non percipietur vi mutui, sed vi illius tituli; unde sublata materia, mirum non erit quod lex tollatur seu potius non applicetur in eo casu : sed semper applicabitur, sive in mutuo facto pauperibus, sive quoad auctarium quod exigeretur supra taxationem legalem. Porro lex civilis illum titulum potest conferre; quod deduci potest, tum ex auctoritate principis, tum ex consensu gentis.

1°. Ex *auctoritate principis*. Sufficit enim ut ei nec desit potestas, nec motivum ita agendi : atqui neutrum deest.

1. Non deest *potestas :* quod duplici via explicari potest. Primum princeps *vi alti dominii* potest disponere de bonis privatorum intuitu boni publici. Equidem indemnes præstandi sunt ii de quorum bonis disponit; sed in præsenti casu mutuatariorum indemnitati satis consulitur per commodum quod ex mutuo obtinent. Aliunde si de bonis subditorum disponere possit princeps ubi agitur de præscriptione, non videtur cur id non posset in præsenti casu. Denique princeps potest iis qui præstant aliquid utile bono publico jus quoddam conferre, quod vocamus

Gallice *Prime d'encouragement* : porro qui pecuniam mutuo tradunt bono publico bene consulunt; ergo nil vetat quin princeps jus ipsis concedat ad lucrum : cum vero totum commodum inde obtineant mutuatarii, æquum est ut ipsi, non vero alii omnes, hoc lucrum ipsis præstent. Idem alii sic exprimunt : si princeps possit, ex causa publica, tributa extraordinaria exigere a subditis præstanda sibi, cur non poterit jus concedere alteri, ex causa pariter publica, a suis subditis exigendi? Ergo vi alti dominii, etc.

Eadem potestas principis alia via hodie a quibusdam adstruitur. Princeps qui *pecuniæ* confert valorem quem dicunt monetarium seu nominalem, potest ipsi conferre *valorem moralem*, qui fiat veluti fundamentum auctarii. Scilicet valor et æstimatio rerum pendent, non tam ab earum substantia intrinseca, quam ex opinione hominum et determinatione auctoritatis supremæ : hæc autem opinio et determinatio nituntur præcipue commodis quæ ex rebus educi possunt. Cum ergo in statu præsenti societatis talis sit usus pecuniæ, ut ex ea potissimum foveatur commercium et fecundetur industria, nil obstat quin, accedente supremæ auctoritatis interventu, agnoscatur ut medium productivum valorum : quo posito, inquiunt, possunt circa illam iniri conventiones quibus stipuletur auctarium. Ergo principi non deest potestas.

2. Nec deest *motivum sufficiens*. Hæc nempe, juxta eos auctores, motiva suppetunt. 1. *Evitatio litium* et jurgiorum, quia alioquin difficile est determinare quandonam adsit titulus, et quodnam lucrum ideo percipi possit. 2. *Facilitas obtinendi mutuum*, quia plerique, ut sunt hodie comparati, mutuum non darent nisi lucrum aliquod sperarent. 3. *Subsidium* inde proveniens ecclesiis, communitatibus, pupillis, viduis et cæteris miserabilibus personis, quæ per seipsas non possunt negotiando lucrum capere ex suis pecuniis. 4. *Tranquillitas conscientiarum* :

multi pecunias bona fide collocant juxta legem et consuetudinem, nec sciunt alium requiri titulum, unde de eo non cogitant, licet forte habeant; alii putant requiri titulum, sed dubii hærent qualis esse debeat, an ipsi habeant: hinc multi scrupuli et anxietates pro iis qui mutuant aut mutuarunt, et pro eorum hæredibus : his autem malis medetur lex principis. 5. Demum *generalis præsumptio* tituli : et hæc præsertim ratio hodie a multis urgetur, non solum ad explicanda motiva principis, sed et ad adstruendam ejus potestatem. Scilicet in statu præsenti societatis plerumque occurrit titulus legitimus : si enim res spectentur ex parte mutuantis, tot sunt viæ educendi lucrum e pecunia, et aliunde tam universalis est lucrum educendi voluntas, ut raro absit lucrum cessans, et præsertim destinatio lucrativa, si admittatur; et insuper sæpissime adest periculum, sive sortis amittendæ, sive differendæ restitutionis, sive expensarum in restitutione obtinenda : si autem res spectentur ex parte mutuatarii, tanta est etiam ei opportunitas lucrum faciendi ex pecunia mutuo accepta, etiam soluto auctario, ut præsumi possit libenter auctarium illud solvere. Princeps autem cognito illo rerum statu, potest statuere ut, quotiescumque fit mutuum, supponatur adesse titulum, quin opus sit de illo inquirere; quemadmodum agnoscunt multi theologi etiam secundæ opinionis mox exponendæ patroni, eum posse determinare etiam pro foro conscientiæ quantitatem auctarii solvendi in casu damni emergentis (vid. n° 292 et seq.), quin opus sit expendere in casibus specialibus quale fuerit illud damnum. Ratio est, quia ex una parte leges feruntur ex communiter contingentibus; ex altera vero, statutum fundatum in præsumptione generali vim habet pro omni casu, etsi in quibusdam casibus particularibus cesset ratio in qua fundatur universaliter illud statutum. Ita auctores citati : quorum nonnulli addunt ad ipsum

principem pertinere ut dignoscat an habeat motivum sufficiens, necne, et valere illius legem nisi constet abesse tale motivum ; quia generatim lex quælibet censeri debet lata ex communi bono, nisi contrarium constet. Ergo ex auctoritate principis, etc.

2°. Ex *consensu gentis*. Etsi non posset onus solvendi auctarium invitis subditis a principe imponi, saltem possunt ipsi subditi in illud consentire : et sane, si omnes unius urbis negotiatores convenirent et invicem paciscerentur ut, quandocumque aliquis indigeret pecunia, ipsi subministraretur ab aliis pro auctario 5 pro 100, certe non esset injustitia. Porro supponi potest talis status rerum in qua dici possit revera æquivalenter initum esse tale pactum ; quod satis innotescere potest ex consuetudine generali, quæ legem aliquando prævenit et inducit, semper saltem eam subsequitur. Ita autem esse in præsenti rerum statu satis apertum videtur : in id omnes consentiunt, illud sibi utile prorsus ac optandum agnoscunt, principe demum id confirmante et modum ponente intra limites moderati lucri. Et reipsa ante omnem casum particularem cuilibet optabile est ut possit pecuniam, si ea abundet, utiliter impendere, et vicissim, si indigeat, cum modico damno accipere : ergo supponi potest adesse quamdam veluti condonationem generalem. Id autem apud nos speciatim verum est : sufficiat citare verba tribuni Albisson, in discussione art. 1905 cod. Civilis (*Code et Motifs*, t. VI, p. 224) : « Ce sera ici la seconde loi Fran-
« çoise qui aura consacré la permission de stipuler des
« intérêts pour un simple prêt ; et elle sera, comme celle
« du 3 octobre 1789, l'expression de la volonté nationale,
« munie de plus de l'adhésion de toutes les autorités con-
« stituées de l'État qui ont coopéré à la formation de notre
« nouveau code Civil. Il ne sera donc plus permis de
« remettre en question la légitimité de cette stipulation,

« si longtemps débattue, et si impolitiquement proscrite « sur un simple malentendu. »

1277. Alii tamen theologi hunc titulum rejiciunt. Ita post S. THOMAM, 2-2, q. LXXVIII, art. 1, ad 3, plerique antiqui theologi, ut LESSIUS, l. 2, c. 20, n° 32, DE LUGO, D. XXV, n° 13, et alii, qui tamen quæstionem ex professo non discutiunt, sed evertunt objectionem desumptam ex legibus civilibus, et ea occasione aliquando rejiciunt hunc titulum : ita inter alios BOSSUET, in decursu afferendus. Ita ex eo tempore quo quæstio illa ex professo expensa est, CONCINA, *Usura contractus trini*, diss. V, ubi multa occurrunt tum a quæstione, tum a debita moderatione satis aliena, quæ perstringit ZECH, D. II, c. 1, sect. V, §. 118-256; REIFFENSTUEL (quem ex integro exscribit PAGÈS, t. II, p. 509 et seq.), *Jus canonic.*, l. V, tit. XIX, n^is 46 et 54, et *Theolog. moral.*, tr. VIII, dist. IV, q. IV, n° 43; BALLERINI, l. III, c. IV et V, t. I, p. 128 et seq.; GERDIL, t. XVIII, p. 82; D. RICHARD, et LABRUNIE; D. BOUVIER, p. 460; PAGÈS, p. 75 et seq., edit. II et III, et t. II, p. 269 et seq.; LOGEROT, p. 145; D. RECEVEUR, p. 255; *Theolog. Tolosan.*, p. 443; D. R**, p. 214; VERNIER, n° 466, t. II, p. 74; D. GOUSSET, in notis ad *Collat. Andegav.*, seorsim editis sub hoc titulo : *Exposit. de la doctr. de l'Église sur le prêt à intérêt*, in-12, p. 200 et seq., et *Théolog. morale*, t. I, n° 822, p. 397, ubi asserit hanc esse sententiam longe majoris partis theologorum; D. VÉTU, *Exposit. des vrais princip. sur le prêt*, in-12, p. 34 et seq.; D. KENRICK, episcop. Philadelph. in America, *Theolog. moral.*, t. II, p. 179. Ita etiam multi ex iis qui propugnant aliunde licitum esse lucrum ex mutuo : ut SALMASIUS, pluribus in locis, speciatim *de Fœnore trapezit.*, p. 228, et GROTIUS, *de Jure belli et pacis*, l. II, c. XII, §. 22, quos citat PAGÈS, p. 94, 95, quibus adjungi potest LA LU-

ZERNE, t. I, p. XXXII : hi agnoscunt usuram, si prohibeatur per legem divinam, non posse licitam fieri ex dispositione legis civilis.

Prob. I. *Ex auctoritate*, et quidem multiplici.

1°. *SS. Patrum.* Tria quoad ipsos observari possunt. 1. SS. Patres plerique scripserunt sub legibus usuras permittentibus, et nihilominus eas condemnaverunt absque ulla distinctione; imo cum debuerint insectari maxime usitatas, nullum dubium quin eas respexerint quas leges permittebant : ergo non admittebant illum titulum; alioquin fideles in errorem maxime noxium induxissent, immerito detraxissent principum auctoritati, et bono publico nocuissent. 2. Multi ex SS. Patribus expresse reprobant usuram *centesimam*, vel alio nomine ad legum mentem designatam : ita S. Basilius, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Petrus Chrysologus, et alii. Id pluries observat BOSSUET, imprimis p. 654, 657, 658, 660 *Tract. cit.* 3. Quidam expresse asserunt usuram non excusari coram Deo ex lege civili. Sic ait S. CHRYSOSTOMUS, *homil.* LVI *in Matth.*, n° 5, t. VII, p. 645, de usura centesima loquens : *Ne mihi externas leges objicias : publicanus enim legem illam exteriorem servat, et tamen dat pœnas.* « Ce « passage, ait BOSSUET, p. 656, sert à faire voir que « l'Église ne croyoit pas que la permission de la loi civile « suffît toujours pour assurer la conscience. » Sic S. AUGUSTINUS, epist. CLIII, n° 25, t. II, col. 798, loquens de usuris quas ipsæ leges *reddi jubent*, ait : *Hæc male utique possidentur et vellem restituerentur, sed non est quo judice repetantur ;* « montrant par là au chrétien, ait BOSSUET, « p. 661, qu'il doit régler sa conscience sur d'autres lois « que sur les lois civiles. » Quamvis autem quidam apud ZECH, §. 236, S. Augustinum intelligant de usuris a lege prohibitis, sumentes verbum *Reddi* pro *Restitui*, verius est illud significare *Solvi* : ita postulat contextus;

alioquin enim postrema verba contradicerent prioribus. Vid. PAGÈS, edit. III, *Disc. prélim.*, p. CCXLIV.

2°. Ex *auctoritate conciliorum*. De iis dici potest magna ex parte quod diximus de SS. Patribus. Citare sufficiat concilium Nicænum (n° 1128, p. 311), quod reprobat usuram *centesimam*, id est, a lege permissam, ut observat BOSSUET, p. 663; et concilium Viennense (n° 1132, p. 323), quod sententiam excommunicationis decernit adversus *communitatum potestates, capitaneos, rectores, consules, judices, consiliarios aut alios quosvis officiales, qui judicare præsumpserint quod solvantur usuræ, vel quod solutæ cum repetuntur non restituantur* : licet ibi non fiat mentio de principibus, sed tantum de potestatibus inferioribus, non inde statim sequitur, quidquid dicant aliqui apud ZECH, §. 231, 234, nihil exinde concludi posse : tum quia sæpe statuta illa inferiorum vim habere poterant instar consuetudinis, tum quia etiam includebant aut supponebant consensum communitatum; quæ duo sufficere deberent in sententia adversariorum.

3°. Ex *SS. Pontificibus*. 1. GREGORIUS XIII respondens Bavariæ Duci, de quodam contractu, ait eum reduci ad mutuum usurarium, et addit : *Ex quo consequitur ut per nullam consuetudinem aut legem humanam excusari possit, cum sit jure divino et naturali prohibitus*. Hujus decisionis authenticitatem, quam nonnulli in dubium revocare voluerunt, invicte probat BALLERINI, t. I, p. 317 et seq.; et PAGÈS, *Disc. prélim.*, p. CCXL, ubi profert auctoritatem ZECH, diss. III, §. 256 et seq., quæ est circa tale factum irrefragabilis. Dicere autem cum *Theol. Virceburg.*, p. 443, et aliis quibusdam, id tantum intendisse Gregorium XIII quod excusari non possit ut vi mutui exigatur lucrum, est, ut nobis quidem videtur, mera cavillatio, quæ vanam et illusoriam redderet definitionem; eo ipso enim quo adesset lex aut consuetudo, jam lucrum non

perciperetur vi mutui. 2. Benedictus XIV, licet expresse de præsenti quæstione non agat, quædam habet ex quibus dignosci potest illius mens. In opere enim *de Synod.*, l. x, c. iv, n° 3, exponens sententiam eorum qui impiæ Calvini et Molinæi opinioni subscripserunt, ait eos excusare lucrum ex mutuo negotiationis, dummodo sit moderatum, *modumque servet a patriæ legibus definitum,* et postea eam opinionem reprobat, ut jam ostendimus; ergo supponit licitum non esse illud lucrum, licet a lege civili approbatum : cum ergo SS. Pontifices multoties interrogati de titulo legis remiserint ad Benedictum XIV, inde concludunt varii auctores Sedem Apostolicam pro illicito habere lucrum vi legis civilis perceptum. Mens Benedicti XIV innotescit pariter ex alio loco ejusdem operis, l. ix, c. xi : ibi loquens de legibus civilibus jure canonico correctis et improbatis, primo loco profert, n° 1, leges circa usuras, quæ permittebant usuras, dummodo non essent immoderatæ, « quibus tamen, inquit, sanctioribus « Ecclesiæ legibus est derogatum, ac severe vetitum, seu « verius jure naturali et divino vetitum declaratum, quid- « quam lucri, etiamsi minimum sit, ex mutuo repor- « tare. » 3. Habemus aliud monumentum ex quo innotescere potest mens Sedis Apostolicæ, nempe Instructionem card. Antonelli, præfecti S. C. de Propag. Fide, ad episcopum Quebecensem, 4 julii 1793, quæ quidem, ut ipse in fine asserit, *auctoritate summi Pontificis* (Pii VI) *tota fuit conscripta.* Hanc ex exemplari ad se transmisso per card. Capellari, tunc S. Congr. de P. F. præfectum, postea summum Pontificem Gregorium XVI, refert Pagès, t. ii, p. 11 et seq. Ibi respondens ad varia episcopi quæsita de usuris, et speciatim de lege quæ in his regionibus ad fovendum commercium admittit lucrum 6 pro 100, sic loquitur : « Nemini incompertum est usuram divino « ac naturali jure prohiberi; ex quo consequitur nulla

« principis auctoritate ac lege permitti posse, quamvis « sit exigua. Quidquid enim in mutuo, absque titulo lucri « cessantis, damni emergentis aut periculi extrinseci in « propria pecunia recuperanda, præter sortem exigitur, « etsi minimum sit, usuræ labe conspergitur. Certissima « hæc juris principia sunt, quibus nemo ullus catholico- « rum repugnare potest, quæ fusius etiam pertractata « invenies in epistola Encyclica Benedicti papæ XIV, « cujus exemplum tibi transmitto. His constitutis, jam « vides legem isthic latam, quod ex mutuo possint per- « cipi usuræ, dummodo fructus non excedat sex nummos « pro quolibet centenario, iniquam esse, jurique divino « ac naturali adversantem. Itaque catholici neque illius « legis præsidio pecuniam fœnori dare possunt, neque « ullo modo jubere aut consentire, quod ex illius aucto- « ritate fœnus ab aliis recipiatur, aut solvatur, aut injuste « solutum non repetatur. Judices igitur qui compellunt « ad usuras solvendas, vel vetant ne solutæ repetantur; « advocati qui usurarum patrocinium suscipiunt; notarii « qui scienter instrumenta conscribunt favore fœnerato- « rum, graviter peccant, quoniam sunt causa efficax « damni mutuatario illati, atque participes sunt criminis « a mutuante patrati. Accipe, quæso, quid in hanc rem « sanxerit Clemens V, Pontifex maximus, in concilio ge- « nerali Viennensi. » Refert decretum supra a nobis allatum. Hæc certe sunt satis aperta.

1278. Ad hæc SS. Patrum, Conciliorum, et SS. Pontificum documenta, varia reponunt plures hodierni prioris opinionis patroni.

Reponunt 1. generatim, mutatas esse rerum circumstantias, nec proinde quidquam ex iis omnibus concludi posse pro nostris temporibus. — Verum, aiunt alii, si ex circumstantiis penderet hujus quæstionis solutio, ad auctoritatem civilem pertinuisset de iis circumstantiis judicium

ferre; ac proinde non potuisset traditio lucrum ex mutuo absolute reprobare. Cum ergo ex dictis absolute reprobaverit, inde merito concluditur existimatum fuisse legem divinam nulla ex causa, nec per ulla rerum adjuncta infringi posse.

Reponunt 2. speciatim: Ad testimonia Patrum, immerito supponi tanquam certum, leges Romanas permisisse usuras : docent enim multi, speciatim inter theologos rigidiores, fuisse ex earum parte meram tolerantiam; quod satis indicare videntur frequentissimæ hujus legislationis variationes, quæ ostendunt earum scopum præcipuum fuisse reprimere usuras immodicas : poterant ergo SS. Patres legem divinam semper proponere, præsertim cum auctarium lege toleratum esset sæpe immodicum, et ea tolerantia multi abuterentur ad opprimendos pauperes; hos præcipue redarguunt SS. Doctores, speciatim S. Chrysostomus *loc. cit.* Ad Concilia, iis eadem applicari posse : et insuper Ecclesiam hodie longe abesse ab applicandis priscis canonibus, quibus usurarii plectebantur excommunicatione, privabantur sepultura ecclesiastica, etc.; quod satis ostendit mutatum esse rerum statum in ordine ad præsentem quæstionem. Ad SS. Pontifices, Gregorium XIII non statuisse modo generali de titulo legis, sed solum de contractu speciali qui ipsi propositus fuerat; Benedictum XIV in sua Encyclica ne verbum quidem habere de eodem titulo : cæterum ex recentiori SS. Pontificum agendi ratione, et ex Congregationum Romanarum responsis apertum fieri quæstionem non fuisse definitam. De his infra redibit sermo.

1279. — 4°. Demum ex *ipsorum principum confessione* adstruunt nonnulli his non competere potestatem de qua agimus. Duo facta præsertim indicabimus. 1. JUSTINIANUS imperator, videns viros pios difficile velle suscipere tutelas ob necessitatem dandi ad fœnus pecunias pupillorum, hanc necessitatem sustulit, Novell. LXXII, cap. VI et seq.:

ergo credebant viri pii fœnus a lege civili non solum permissum, sed et præceptum, non ideo excusari coram Deo; horumque sententiam probavit imperator. Ita Ballerini, t. I, l. II, c. VII, §. V, n° 29, p. 70; Pagès, edit. II et III, p. 93, et alii non pauci. — Sed alii aliter explicant. Juxta ipsos, qui recusabant tutelas non movebantur ex divina prohibitione usuræ, sed ex periculo cui exponebantur, si forte mutuatarii fierent solvendo impares : neque hanc prohibitionem agnoscit Imperator, cum adhuc obliget in quibusdam casibus ad fœnerandum, et supponat curatores fœnerare de propria pecunia. Ita Mignot, *Prêts de commerce*, t. III, sect. IV, c. IV, p. 158, quem citat et sequitur Baronnat, t. I, p. 31. Fatendum est satis verisimilem esse hanc explicationem. 2. Sub Ludovico XIV actum est de permittendo in præcipuis urbibus lucro ex pecunia mutuo data in commercio. Sed antea interrogati multi doctores Sorbonici (circa an. 1678) responderunt, non posse legi divinæ per declarationem regiam derogari, ideoque, si daretur hæc declaratio, confessarios non eam esse secuturos. Hæc nota sunt ex epistola D. de Bouessay, vicarii generalis Cenomanensis, qui huic theologorum cœtui aderat. Hanc referunt doctores Nannetenses, *Réponse au factum* (de M. de Perchambault) *touchant l'intérêt des deniers pupillaires*, p. 85, 86, et post ipsos La Porte, *Le Défenseur de l'usure confondu*, p. 222 et seq. Idem refert, sed brevius, nec tam accurate, *Collat. Parisiens.*, t. II, l. II, conf. I, §. II, p. 145, et post ipsum Pagès, edit. II et III, p. 84 et seq., D. Gousset, *Exposition....*, p. 216.

1280. II. *Ex ratione.* Ut lex civilis esset titulus legitimus lucrum percipiendi supra sortem, requireretur in legislatore potestas et voluntas dominium transferendi : atqui prius semper, posterius plerumque deest.

1°. Quidem *deest potestas*. Nam principi non competit

dominium altum quod sit absolutum et arbitrarium, ut alibi diximus; nec ei tribui potest potestas abrogandi, etiam indirecte, legem divinam, eamque illusoriam reddendi : neque enim talem auctoritatem a Deo accepit, nec motivum rationabile ita agendi ei supponi potest, cum bono publico necessarium esse nequeat quod Deus prohibuit. Atqui in sententia adversariorum princeps vere, licet indirecte tantum, abrogaret legem divinam. Nam ille legem divinam abrogat indirecte, qui illius materiam aufert ipsiusque applicationem impedit, et ipsius finem subvertit. Porro princeps 1. materiam auferret, ut facile intelligitur, cum vi suæ legis efficeret ut lucrum jam in mutuo perciperetur, licet non vi mutui. Dici quidem posset eum non auferre totaliter, quia lex divina semper applicaretur ei qui perciperet ultra taxationem legis civilis. Sed semper verum remanet materiam auferri maxima ex parte; præsertim si attendatur, lucrum perceptum ultra taxationem legis haberi debere ut prorsus immodicum, et ex æquitate naturali reprobandum etiam independenter a lege speciali qua prohibetur usura. 2. Finem legis subverteret. Nam finis legis usuram prohibentis est ut homines vinculis charitatis arctius inter se devinciantur, ut sibi non vendant beneficium ex sua natura gratuitum, ut labor et industria foveantur impediendo ne lucrum ex pecunia absque ullo labore percipiatur, ut homines abstrahantur a nimia divitiarum cupiditate, etc. Jam vero lex de qua loquimur universos hos fines subverteret. Cur vero? Ad fovendum, inquiunt, commercium, et sic promovendum bonum publicum. Porro non ita constat ex nimia commercii facilitate et extensione promoveri bonum publicum; vel etiam ex facilitate inveniendi mutuum foveri commercium, saltem cum ea securitate conjunctum sine qua gravissimæ clades toti societati imminent. Vid. D. Boyer, *Défense de l'Église catholiq., Note* 1, p. 83 et seq.

Hinc intelligi potest satis magnum adesse discrimen inter præsentem legem et legem præscriptionis : nam nulla lex divina peculiaris vim præscriptioni adimit, aut eam reprobat; neque per hanc tota lex de non retinendo bono alieno subvertitur, sed ejus tantum materia tollitur in casu particulari. Vid. PAGÈS, edit. II et III, p. 97 et seq.

Hinc etiam intelligi potest, non melius adstrui potestatem principis ratione valoris moralis qui tribueretur pecuniæ. Agnoscunt quidem omnes a principis determinatione pendere valorem legalem pecuniæ, quatenus differt a valore materiali seu intrinseco : sed nihil indicat ultra extendi ipsius potestatem. Si per valorem moralem intelligantur commoda quæ ex usu pecuniæ educi possunt ad fecundandam industriam, fovendum commercium, etc., hæc non a principe pendent, sed a variis circumstantiis, quibus fit ut commercium et industria majorem extensionem recipiant, aut tali vel tali modo exerceantur. Quod autem hæc commoda seu ille valor fieri possint fundamentum auctarii, id ulteriori probatione omnino indigeret. Semper et ubicumque viguit usus pecuniæ, hæc commoda ex eo educi potuerunt in majori vel minori gradu, cum ideo institutus fuerit ille usus; si ergo in his agnosci posset fundamentum auctarii, illud ubique verificaretur, et quidem independenter ab interventu principis : ubique igitur percipi posset auctarium, majus vel minus pro circumstantiis; et ad principem pertineret solummodo hujus taxatio seu determinatio, quemadmodum potest determinare pretium rerum, quamvis earum valor ex ejus lege non oriatur. Si autem commoda quæ semper educi potuerunt ex usu pecuniæ, non præbeant sufficiens fundamentum auctarii, nec illud præbebunt commoda majora : ratio est quia, si major vel minor sit quacumque ex causa valor pecuniæ, id verum est pro mutuante sicut pro mutuatario, ac proinde id non efficit ut non lædatur

æqualitas si mutuans recipiat majorem quantitatem quam dederit. Ergo nihil deduci posse videtur ex illo valore morali. Ergo 1°. deest in principe potestas, etc.

2°. *Deest* etiam *plerumque voluntas* principis sufficiens ad creandum titulum legitimum. Ut advertit D. Richard, cum agatur de jure extraordinario, nonnisi gravissimis de causis exercendo, voluntas hujusmodi esset apertissime declaranda. Porro si inspiciantur variæ leges quæ in variis locis et temporibus usuram admisere, scopus earum fuit : 1. aliquando usuras reprimere et ad minus reducere, ut in lege XII tabularum, in qua sancitum fuit *Ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur* : vid. Ballerini, l. v, c. III, §. III, n° 14, p. 204, et Troplong, *Préface*, p. XX et seq., ubi fuse expendit quid per fœnus unciarium intelligendum sit, de quo nonnulla diximus (n° 1122, p. 298); 2. aliquando statuere compensationem damni emergentis aut lucri cessantis, prout leges Romanas interpretatur Molinæus, *de Usuris*, n° 75, et multi alii; 3. aliquando tolerare tantum usuras tanquam minus malum, et ad summum approbare pro foro externo, quemadmodum dicebant Basilius imperator et Leo Sapiens ejus filius, in legibus jam a nobis memoratis (n° 1133, p. 326). Eadem fere dici possent de multis aliis legibus. Sed hæc sufficiant, quia hic agitur tantum de quæstione generatim spectata : de lege apud nos vigente mox dicemus.

1281. Talia sunt præcipua utriusque opinionis argumenta, ex quorum expositione intelligi potest quæstionem non carere difficultate, nec contemnenda esse argumenta quæ in gratiam prioris sententiæ, præsertim ex ratione, afferuntur. Attamen, omnibus perpensis, et præcipue attentis auctoritatibus quæ pro posteriori militant, hæc nobis probabilior videtur.

Post expositas ambas opiniones, posteriorem quoque

admittit ut probabiliorem D. Bouvier, et addit, p. 460 : « Non citius inter utramque pronuntiandum est, nec in- « quietandi sunt qui priorem sequuntur in praxi, æsti- « mantes bona fide illam veriorem esse. Eo sensu judica- « tum est Romæ, ut videbitur ex variis responsis, etc. » Item D. Kenrick, episcopus Philadelphiensis, in *Theologia Morali,* an. 1842 edita, postquam dixit, t. II, p. 179, « Iis cogimur assentiri qui legis titulum non « agnoscunt, » addit, p. 180 : « Cæterum diffiteri non « possumus eam esse rerum conditionem hisce tempori- « bus, et maxime hac in regione, ut tituli externi ad « auctarium persæpe adsint : vix enim ullus pecuniam « apud se servat otiosam; sed vel emit actiones, quarum « fructus legitimus agnoscitur, vel alias eam cum sui lucro « impendit; et periculum vix unquam abest, tanta est « rerum nostrarum incertitudo. Igitur inquietandos non « censemus fideles qui intra legis limites se continent; eo « magis quod SS. Congregationes Romanæ plurimis decretis « recens emissis, statuerint eos qui bona fide legis nitun- « tur titulo non esse inquietandos, dummodo parati sint « S. Sedi parere, quæ nullam hactenus de hac controver- « sia protulit definitionem. » Hæc statim indicanda duxi- mus, fusius postea in art. v dicturi de sensu Romanarum responsionum.

Punctum 2. *De dispositionibus legis civilis Gallicæ circa auctarium.*

1282. Postquam locuti sumus de potestate legislatoris circa auctarium, operæ pretium est quædam dicere spe- ciatim de voluntate legislatoris nostri : id quidem neces- sarium, si admittatur ejus potestas; nec prorsus inutile, etiam ea rejecta, quandoquidem non omnino constat esse rejiciendam.

Porro quidam existimant nihil esse apud nos quod satis

ostendat legem civilem, etiam admissa legislatoris potestate, esse titulum sufficientem ad percipiendum auctarium in mutuo, quia nihil indicat eum voluisse alto suo dominio uti. In Concilio status, tota controversia respiciebat taxationem auctarii, nec ulla mota est de illius legitimitate, quam omnes ut constantem supponebant. Vid. *Confér. du Code*, t. VI, p. 225 et seq. « Dans l'an-« cienne législation, ait unus ex consiliariis, p. 230, tout « prêt à intérêt étoit réputé usuraire. Ce préjugé a été « écarté. Il est vrai qu'autrefois, ait alter, p. 231, don-« nant un sens trop étendu à ce texte de l'Évangile, *Mu-« tuum date nihil inde sperantes*, et convertissant en pré-« cepte ce qui n'étoit qu'un conseil, on réprouvoit comme « usuraire toute espèce de prêt à intérêt. Mais depuis, ce « principe a été abandonné dans le droit civil. » Coram Tribunatu et Cœtu Legislativo, orator Gubernii ad Puffendorfium et alios auctores recurrit ut probet licitum esse lucrum supra sortem; *Code et Motifs*, t. VI, p. 204, 205 : « Aucune réclamation, ait unus ex tribunis, p. 218, « aucune voix ne s'élèvent contre la disposition du « 1905^e^ article. Grâce aux progrès de la raison...., ait « alter, p. 225, je ne pense pas que la proscription indé-« finie de l'intérêt puisse trouver désormais des partisans « bien chauds et bien éclairés. » Igitur legislatoribus persuasum erat licitum esse lucrum ex mutuo : scopus illorum erat sancire conventionem inter contrahentes initam, nec ullatenus cogitabant de dominio in mutuantem transferendo. Eo autem admisso, facilius explicatur quomodo ab injustitiæ labe vindicari possit lex apud nos vigens : si enim restringatur ad forum externum, haberi potest vel ut supponens legitimum titulum qui sæpe reipsa existit, et uniuscujusque conscientiæ relinquens curam discernendi in casibus particularibus an revera existat; vel ut præcavens majus malum, duritiam nempe divitum

qui sine auctario non mutuarent. Vid. BRIONNE, *Réfutation des défenseurs, etc.*, p. 70 et seq.; LABORDE, *Défense, etc.*, p. 263; BOULANGER, *Réflexions, etc.*, p. 193.

Alii tamen multi existimant, et satis merito, ut videtur, totam difficultatem apud nos reduci ad quæstionem juris. Si enim agatur de facto, quamvis verum sit legislatores nostros non cogitavisse de transferendo in mutuatorem auctarii dominio, eo quod non crediderint id necessarium, dici tamen potest eos voluisse legi tribuere totam efficaciam quam habere poterat, ac proinde hanc esse titulum auctarii legitimum, si esse possit.

1283. Cæterum quæcumque admittatur opinio de titulo legis apud nos, sive quoad jus, sive quoad factum, interest cognoscere quid præcise de auctario statuat. Qui enim huic titulo innituntur ad percipiendum auctarium non debent ultra taxationem legis progredi, ut patet. Qui vero titulum hunc non admittentes speculative, agnoscunt tamen non esse inquietandos fideles qui auctarium bona fide percipiunt, ejusdem taxationis rationem habere debent, quia fideles qui huic tantum titulo innituntur non sunt proinde in bona fide quoad excessum, si hunc prætergrediantur; imo ii ipsi qui de hoc titulo expresse non cogitant, vix etiam in bona fide versari posse videntur, si intra legis limites non se contineant.

Jam vero hæc fuit series legum nostrarum ea de re. Cœtus nationalis, 3-12 oct. 1789, sic decrevit: « Tous les « particuliers, corps, communautés et gens de main-« morte, pourront à l'avenir prêter l'argent à terme fixe, « avec stipulation d'intérêts, et suivant le taux déterminé « par la loi, sans entendre rien innover aux usages du « commerce. » « Ainsi, inquit TROPLONG, n° 346, à « partir de cette époque, l'intérêt conventionnel est fixé « à 5 pour 100, taux de l'intérêt légal. Seulement en « matière de commerce, où le taux de l'intérêt n'avoit

« rien de bien arrêté ni de bien uniforme, la loi s'en réfère « aux usages particuliers. » Postea, 11 april. 1793, ne omnino conciderent chartæ nummariæ (*assignats*), prohibitum omnino fuit sub gravissimis pœnis commercium pecuniæ (*du numéraire*). Cumque nihilominus de die in diem decrescerent chartæ nummariæ, hinc supra omnem modum excrevit auctarium, quia etiam post pactum initum de immodico auctario, mutuans elapso termino non recipiebat valorem quem dederat. Post biennium, 25 april. 1795 (6 floréal an III, *Bulletin*, I ser., 139, n° 784), revocatum est decretum 11 aprilis 1793; et paulo post, 21 maii 1795 (2 prairial an III, *Bullet.* 146, n° 825), abrogata fuit hæc revocatio. Tandem 5 thermid. an IV (23 jul. 1796, *Bullet.*, II ser., 60, n° 560) statutum fuit : « Chaque citoyen sera libre de contracter comme « bon lui semblera ; les obligations qu'il aura souscrites, « seront exécutées dans les termes et valeurs stipulés. » Ex hac expositione ipsismet legum textibus innixa, et satis diversa ab ea quæ sæpe in variis operibus legitur, merito concludunt DUVERGIER, n° 241 et seq., et TROPLONG, n° 346 et seq., per varias illas leges non fuisse permissum exigere auctarium qualecumque : scopus illarum erat favere chartis nummariis. Sed cum nihilominus valor illarum semper decresceret, hinc semper magnum vigebat auctarium. Nonnisi post omnino obliteratas has chartas, et ordinem publicum paulo restitutum, imminutum fuit auctarium. Tunc res ad eum statum redierunt in quo erant an. 1789 : et ipsa tribunalia pluries reduxerunt auctarium in materia civili ad taxationem quinque pro centum. Ita auctores citati, et CHARDON, *du Dol*, t. III, n^is^ 467, 468.

In eo rerum statu sancitus fuit art. 1907 codicis Civilis, qui fuit promulgatus 19 martii 1804. Quænam fuerit, eo sancito et ante legem latam an. 1807, regula in taxa-

tione auctarii sequenda, non constat. Juxta TROPLONG, n° 349, tunc vim habere debebat lex anni 1789, ac proinde in materia civili auctarium restringi debebat ad 5 pro 100, et in materia commerciali determinari debebat ex usu, id est, *sur le cours de la Bourse, ou sur le taux admis parmi les négociants accrédités*. Sed agnoscit, n° 350, Curiam Supremam quæ primum huic regulæ faverat, postea, jam ab an. 1809, ab ea recessisse, supponendo, ex parum recta interpretatione legum quas attulimus, liberum fuisse contrahentibus de qualicumque auctario pacisci, eamque sæpius in eo sensu judicasse, prout refert MERLIN, *Répert. de Jurispr.*, v° *Intérêt*, §. VI, n° VI, t. VIII, p. 539 et seq. Et addi potest eam contrahentium libertatem posse satis probabiliter concludi ex art. 5 legis an. 1807, in quo declaratur nihil innovari in conventionibus antea initis circa auctarium : quod supponit potuisse iniri conventiones diversas ab iis quas ipsa permittit. Quidquid sit, saltem certum est, etiam admisso titulo legis, non posse excusari in conscientia eum qui percepisset auctarium immodicum; omnes enim agnoscent non posse eo usque extendi vim legis. Immodicum autem censeri debet auctarium quod excessit modum inter viros probos receptum; deficiente enim lege, taxatio desumi debet ex æstimatione communi.

Tandem lata est lex 3 sept. 1807, quam improbaverunt plures œconomistæ, tanquam immerito restrictivam libertatis naturalis, et cæterum nimis facile eludendam. Sed negari non posse videtur, ante eam latam tam immodicas perceptas fuisse usuras, ut eas restringendo bene consuluerit bono publico. An. 1836, quidam hujus abrogationem obtinere frustra tentarunt. Vid. TROPLONG, n° 351 et seq., et DUVERGIER, n° 244 et seq. Cum ergo adhuc vigeat, exponendæ sunt præcipuæ ejus dispositiones. Sic statuit art. 1 : « L'intérêt conventionnel ne pourra

« excéder, en matière civile, 5 pour 100, ni en matière « de commerce 6 pour 100. Le tout sans retenue. » Eodem modo determinatur, art. 2, auctarium legale. Art. 3 statuitur pro casu excessus: « Le prêteur sera condamné à « restituer cet excédant, s'il l'a reçu, ou à souffrir une « réduction sur le principal de la créance. » Et tandem art. 4 decernuntur pœnæ adversus eum qui *habitualiter* usuram exercet. Expendendum habemus, 1°. quo sensu intelligenda sit taxatio illa per legem sancita; 2°. quousque seu ad quasnam conventiones extendenda sit.

1284. 1°. *De* SENSU *taxationis legalis.* Lex, declarando non posse exigi auctarium supra taxationem, satis indicat posse iniri pactum de minori auctario. Reipsa lex fertur in gratiam mutuatarii, contra quem nullum recursum habebit mutuans, si minori auctario consenserit. Debet ergo inter contrahentes determinari auctarium; art. 1907: si tamen non determinaverint, censentur voluisse stare taxationi legis. Ita DUVERGIER, n° 256; TROPLONG, n° 411. Ex eodem articulo, conventio circa auctarium et illius determinatio debent fieri scripto. Quamvis propugnare videatur DURANTON, t. XVII, n° 598, essentialem esse scripturam, vulgo admittitur per hunc articulum excludi tantum probationem testimonialem, et sufficere vel confessionem mutuatarii, vel juramentum, vel alias species probationis. Ita DUVERGIER, n° 255; TROPLONG, n° 409. Dicitur autem auctarium percipi posse *sine ulla retentione,* propter usum olim vigentem, de quo diximus ubi *de Censu* (n° 1056). Vid. etiam DUVERGIER, n° 262.

1285. Præcipua difficultas est, quandonam censeatur materia civilis, quandonam commercialis? — Juxta TROPLONG, n° 362, certum est negotiatorem qui e commercio retrahit pecuniam quam mutuam tradit etiam non negotiatori, posse exigere sex : præsumitur enim in commercio majus lucrum ipsi obvenire; unde aiunt quidam

jurisperiti : *Plus valet pecunia mercatoris, quam pecunia non mercatoris.* Idem a fortiori locum habet si negotiator pecuniam suam in alterius gratiam adhibeat per actus commerciales. Id magis adhuc apertum est, pergit idem auctor, si res versetur inter duos negotiatores, etiamsi non spectet ad eorum commercium. Sed si privatus negotiatori tradat pecuniam, in ipsius commercio adhibendam, non ita liquet. Quædam judicia favere videntur sententiæ quæ tunc permittit sex pro centum ; aitque Troplong hæc adduci posse in hujus gratiam : ex una parte, tale mutuum vulgo dicebatur olim et nunc dicitur *Prêt de Commerce ;* ex altera vero, negotiator præsumitur majus lucrum ex pecunia educturus quam in materia civili, et mutuans majus incurrit periculum, propter aleam commercii ; nil ergo vetat quin mutuum pecuniæ quæ in commercio adhibita fit commercialis dicatur in materia commerciali. Hæc tamen non videntur extra omnem difficultatem.

1286. Quid vero, si mutuum simplex obtegatur sub velo cambii? Scilicet cum litteræ cambii, exaratæ juxta formam præscriptam art. 110 cod. Commercii, habeantur pro actu commercii, non raro contrahentes recurrunt ad eam formam, falso supponentes litteras exarari de loco ad locum, et sic coram tribunalibus commercii, quibus non constat de tali suppositione, quæque curiosius non scrutantur, obtinent auctarium sex pro centum. Idem scopus aliquando attingitur si falso exprimatur litteras exarari pro negotio commerciali. Vid. quæ diximus *de Cambio* (n° 1092). Quæstio est, an coram lege pro legitimo haberi debeat tale auctarium? — Satis mirum nobis videtur quod nihil apud auctores occurrat de casu qui fertur esse frequentissimus. Non existimamus posse ea via eludi legem, quæ non sine ratione discrimen statuit inter materiam civilem et materiam commercialem. Etenim ex una parte, juxta art. 112 ejusdem codicis litteræ cambii in quibus

adest suppositio locorum, qualitatis, etc., habentur pro simplicibus promissis, seu pro obligationibus mere civilibus; ex altera parte, litteræ cambii solemnes majorem securitatem præstant mutuanti, ut *ibidem* exponimus, cum dent locum apprehensioni corporis : ergo æquum non est ut mutuans lucrum exinde consequatur. Non potuit enim esse in mente legislatoris ut favor obtineretur per meram simulationem, ne dicamus per veram fraudem, cum majori securitate conjunctam. Illudque eo potiori jure dicere possumus, quod quando fit eadem simulatio ad tribuendum creditori jus apprehensionis corporalis contra debitorem, tribunalibus competit facultas recurrendi ad conjecturas, præsumptiones, et probationem testimonialem ad sensum articuli 1353 cod. Civilis, et detecta simulatione debent partes, ex art. 636 cod. Commercii, remitti ad tribunalia ordinaria, seu civilia. Vid. CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 431 et seq.

1287. II°. *De* EXTENSIONE *taxationis legalis.* De pluribus movetur quæstio.

I. An lex extendenda sit ad *mutuum rerum fungibilium a pecunia diversarum?* — Id negant satis communiter jurisperiti. Observat TROPLONG, n° 361, leges Romanas admisisse majus auctarium in frugibus quam in pecunia, quia illorum valor est magis mutabilis, unde mutuanti debetur compensatio pro alea : et insuper sæpe res hujusmodi sunt ipsæ frugiferæ. Nostræ autem leges nihil de his rebus statuerunt, ac proinde stat principium generale articuli 1907, ex quo auctarium conventionale potest admitti supra auctarium legale, quando non prohibetur a lege. Agnoscit DUVERGIER, n° 279, ita sentire plerosque auctores; ipse tamen propugnat hic applicandam esse legem 3 sept. 1807 : quia mens legislatoris fuit apponere limites quos prænuntiabat codex Civilis; cum ergo codex Civilis applicetur omnibus rebus quæ sunt objectum mu-

tui, idem dicendum est de præfata lege. Si hæc opinio non admittatur, saltem tenendum erit cum PETIT, *Tr. de l'Usure*, p. 51, fore reductioni locum, si agnoscatur intentionem usurariam latere sub inita conventione.

Si mutuo detur pecunia, sed stipuletur auctarium solvendum in frugibus, olim id prohibitum erat, quia, ut aiebat Molinæus, *Reditus grani vel vini sunt captiosi et periculosiores debitoribus quam summa pecuniæ*. Nunc non viget hæc prohibitio. Videndum tamen erit ne per eam viam eludatur lex, ad cujus limites reducenda erit conventio, facta æstimatione frugum. Idem dicendum erit, si mutuentur fruges, et auctarium solvendum sit in pecunia. Ita DUVERGIER, n° 274-277. Vid. etiam TROPLONG, n° 393.

1288. II. Satis constat taxationem legis applicari debere *censibus consignativis*, prout exposuimus ubi *de Censu* (n° 1053). Sed si agatur de *censu vitalitio*, idem dici non potest, cum ex art. 1976 taxatio relinquatur libero contrahentium arbitrio (n° 1072). Ita docent auctores et judicant tribunalia. Vid. PETIT, p. 102.

1289. III. Taxatio legis attingit non solum *usuras* formales seu apertas, sed etiam *palliatas*. Id aperte constat ex iis quæ diximus *de Contractibus in fraudem legum initis* (n^is 157, 168) : et pro certo tenent jurisperiti, qui observant mutuantem, nedum excusetur per simulationem ad quam recurrit, contra magis reum fieri, juxta illud : *Simulata æquitas, duplex iniquitas*. Ita CHARDON, t. III, n° 517; DUVERGIER, n° 272; TROPLONG, n° 363. Igitur accurate scrutandum est, ne verbis et apparentiis deludamur, quisnam sit effectus et veritas realis. In hoc autem scrutamine sequi possumus priscos auctores, ut advertit DUVERGIER, n° 264 : quamvis enim hodie non prohibeatur ut olim quælibet usura, inde sequitur tantum olim pro usura habitum fuisse quidquid exigebatur ultra sor-

tem, hodie vero pro usura non haberi nisi quod exigitur supra taxationem legalem; sed semper ex iisdem principiis judicandum est ubinam lateat usura. Duplici autem præsertim via latere seu palliari potest: vel dissimulando ipsum auctarium perceptum ultra taxationem; vel dissimulando titulum quo percipitur, id est, simulando contractum diversum a mutuo, dum reipsa initur contractus qui ab eo non differt, vel in idem omnino recidit.

1°. Multiplici modo *dissimulatur auctarium*. 1. Si in conventione inita *confundatur cum ipsa sorte*, id est, si major inscribatur summa quam a mutuatario recepta fuit. Vid. PETIT, p. 42 et seq. Tota difficultas erit ut constet de ipso facto. 2. Si stando taxationi legali, ultra auctarium *exigantur alia officia* quæ sint vere pretio æstimabilia. Ita DUVERGIER, n° 268 et seq.; TROPLONG, n° 368. Applicari hic possunt quæ antea diximus *de Pactis quæ mutuo adjici possunt* (n° 1161 et seq.). 3. Si auctarium *solvatur ab initio* mutui: cum enim tunc mutuatarius non receperit summam integram, solvit auctarium ultra taxationem. Ita CHARDON, n° 485: PARDESSUS, t. II, n° 471; DUVERGIER, n° 299; et nos alibi fusius exponimus (n^os 1177 et 1247). Idem, proportione servata, locum habet, quando mutuans auctarium percipit ante elapsum annum, v. g., post sex aut tres menses, a fortiori si quolibet mense: lex enim auctarium concedens supponit summam penes mutuatarium manere per annum integrum. Ita CHARDON, n° 486. Quod tamen non ita apertum videtur; quia dici posset auctarium esse instar fructuum civilium, qui censentur obtingere quolibet die, ac proinde mutuantem jus acquirere quolibet die ad partem proportionatam: unde videmus aliquando pactum iniri de auctario solvendo per duas partes, seu bis in anno, quin ullo modo judicetur usurarium hujusmodi pactum. Unde ait DUVERGIER, n° 299, forsan nimis rigorosum fore abso-

lute reprobare hunc secundum anticipandi modum, quamvis agnoscere videatur illud sequi ex legis statuto. 4. In casu *anatocismi*, seu quando percipitur auctarium auctarii. Olim illud districte prohibebatur. Sed hodie, ex art. 1154, illud permittitur, modo agatur de auctario debito saltem pro anno integro. Jam vero si id fiat post sex aut tres menses, seu generatim ante tempus quo solvi debet auctarium, de facto percipitur supra taxationem legis : unde illud usurarium judicat CHARDON, n° 487, etiam in materia commercii. Sed de hoc dicemus modo (n° 1296).

1290. — 2°. Sæpius adhuc *dissimulatur titulus auctarii :* cum nempe usura in solo mutuo sedem habeat, supponitur contractus diversus a mutuo, ut sic effugiatur taxatio legis. Plura exempla jam data occasione memoravimus. Hic præcipua exhibebimus quæ apud jurisperitos occurrunt. 1. Sæpe id evenit in *venditione cum pacto redimendi,* prout jam diximus (n° 734 et seq.). Vid. PETIT, p. 84, præter auctores quos ibi citavimus. 2. In *venditione* rei, cujus *pretium non statim solvitur,* non potest exigi auctarium ultra taxationem legalem. Ita DUVERGIER, n° 280; PETIT, p. 91. Excipi tamen deberet casus quo res ita compositæ fuissent ut auctarium illud majus censeri posset pars pretii. 3. In contractu *mohatra,* ut alibi exposuimus (n° 1207), et hic admittunt omnes jurisperiti : CHARDON, n° 506; DUVERGIER, n° 272; TROPLONG, n° 364, et alii. 4. In *antichresi :* si fructus rei notabiliter superent taxationem auctarii, locus est reductioni, ut jam diximus (n° 1224). Ita etiam CHARDON, n° 482; DUVERGIER, n^is 266, 267; TROPLONG, n° 389; PETIT, p. 93. Dicimus *Notabiliter* quia, ut advertunt plures ex iis auctoribus, in æstimatione fructuum necessario admittenda est quædam latitudo. 5. In contractu quem dicunt *Pignoratif,* de quo nonnulla diximus (n° 734), et fusius (n° 1223). In hoc pariter satis concordant jurisperiti quos ibi citavimus. 6. In contractu

societatis. Non raro etiam occultatur mutuum usurarium, ut diximus (n° 881) post jurisperitos. Huc speciatim redit quod spectat ad *contractum trinum* de quo alio loco (n° 1210 et seq.) : certe non dubitant jurisperiti in eo agnoscere usuram palliatam; TROPLONG, n° 365, et alii. 7. Aliquando sub specie *donationis* occultatur usura. Si enim ultra auctarium legale mutuans obtineat supplementum titulo doni, valde timendum est ne donum illud careat libertate sufficienti, quia, ut dicitur, *Debitor servus est fœneratoris*. Id ex circumstantiis dignosci potest. Vid. CHARDON, n° 514; DUVERGIER, n° 281 et seq.; TROPLONG, n° 367; PETIT, p. 61 et seq. Huc redeunt quæ diximus tum ubi *de Pactis mutuo adjectis* (n° 1166), tum ubi *de Titulo donationis* (n° 1188). 8. Demum in ipsa *permutatione* latere potest usura, seu potius sub specie permutationis velari potest mutuum usurarium. Hujusmodi casum afferunt jurisperiti, in quo usuram deprehenderunt et represserunt tribunalia. Vid. CHARDON, n° 515; TROPLONG, n° 392; PETIT, p. 86. Hæc sufficiant exempla, ut innotescat quam multiplicibus viis latebras quærat usura, et ideo quanti ad eam præcavendam intersit ut accurate reprimatur statim ac fuit detecta.

1291. IV. Taxatio legis non attingit conventiones, licet mutuo affines, in quibus occurrit *titulus justus diversus* ab iis qui juxta mentem legislatoris semper præsumuntur occurrere in mutuo. Lex enim non intendit hos titulos reprobare. Id elucidabitur allatis variis exemplis quæ apud auctores leguntur, et de quorum nonnullis non inter se concordant.

Sic 1°. quando in mutuo admiscetur *alea*, potest percipi auctarium supra taxationem legalem. Ita judicavit Curia Suprema 21 maii 1834 quoad arcam hypothecariam (*la Caisse hypothécaire*), quæ potest exigere auctarium supra taxationem legalem : « Le crédit qu'elle ouvre doit

« être combiné avec les primes qu'elle accorde.... Dès qu'il « y a chance pour l'emprunteur de payer moins que l'in- « térêt légal, il ne peut se plaindre de la chance qu'il court « de payer plus. » Ita DUVERGIER, n° 300; TROPLONG, n° 394. Ob eamdem rationem, taxatio non attingit nauticum fœnus (*le prêt à la grosse*) : auctarium determinatur per liberam contrahentium voluntatem, juxta art. 311 cod. Commercii : TROPLONG, n° 395; PARDESSUS, t. III, n° 896; CHARDON, n° 490. Videantur quæ diximus de hujusmodi contractu (n° 1013).

1292. Sic 2°. quando præter mutuum mutuans in se suscipit aliquod *onus extrinsecum* pretio æstimabile, dicunt pariter jurisperiti posse exigi auctarium majus. Ita in *fidejussione :* qui præter pecuniam a se traditam seipsum personaliter obligat, potest pro hoc onere aliquid exigere; item si deponendo, v. g., titulum census publici (*rente sur l'État*), renuntiet juri hunc vendendi quando vendere posset summo pretio. Ita TROPLONG, n° 391; DUVERGIER, n° 302. Videantur quæ dicimus *de Fidejussione* (cap. XIV).

1293. Sic 3°., juxta quosdam, in *conventionibus matrimonialibus* non applicatur lex de taxatione legali : si nempe differatur solutio dotis, potest pactum iniri de auctario supra taxationem legalem, quia tunc excessus censetur pars dotis. Sed illud non potest admitti modo absoluto. Si ex natura et terminis conventionis constaret auctarium haberi ut partem dotis, seu esse ipsam dotem per partes et successive solvendam, nihil quidem obstaret : sed quando nil aliud præsto est quam auctarium dotis non solutæ, nulla est ratio cur non applicetur lex de taxatione legali. Vid. PETIT, p. 53 et seq. Videantur quæ diximus ubi *de Pignore dotali* (nis 1227, 1228).

1294. Sic 4°. majus occurrit dubium circa auctarium quod supra taxationem percipitur in variis cambii speciebus, seu in variis negotiis quæ dicuntur *Opérations de Banque.*

Plura hic in quæstionem veniunt : de quibus ut pronuntietur, videndum est in variis casibus quænam sit natura negotiationis. Si agnoscatur eam differre a mutuo, inde concludendum erit non applicari taxationem legalem ; sed simul sequetur nec applicari, etiam in foro externo, titulum legis : proinde videndum erit solummodo in casibus peculiaribus, an emptor stet intra limites pretii justi, seu vulgaris. Si autem dicatur adesse quidem mutuum implicitum, sed occurrere titulos extrinsecos, non inde concludi statim poterit exigi posse auctarium supra taxationem legalem, quasi lex sola tribueret jus ad auctarium legale, tituli vero illi darent jus ad excessum : non enim seorsim æstimanda sunt lex et alii tituli ; etenim lex non intendit permittere auctarium omnino independenter a titulis, sed supponens quosdam adesse, saltem ordinarie, iis nititur ut statuat pro omnibus casibus ; et hæc est ratio cur plus permittit in materia commercii quam in materia civili : unde quemadmodum mutuans qui experiretur damnum 5 pro 100, non posset exigere 5 vi legis, et iterum 5 ratione damni, ita nec in præsenti casu. Eatenus ergo obtineri poterit auctarium supra taxationem, quatenus verum erit dicere hic esse plus quam simplex mutuum, et bancarium, præter titulos quos habet ut mutuans, alios habere ratione sui officii ad quos lex taxativa auctarii non censetur attendisse, et vi quorum aliquid exigere potest quin legem transgrediatur.

Veniamus nunc ad quosdam casus peculiares.

1. Quoad emptionem seu solutionem anticipatam chirographorum, Gallice *Escompte des billets*. Jam vidimus (n° 1247) circa naturam hujus negotiationis scindi jurisperitos ; sed satis probabiliter ibi agnoscendum esse aliud quam simplex mutuum, et jurisprudentiam satis constantem interpretari legem in eo sensu quod bancarius qui emit hujusmodi chirographa a tertio quodam subscripta, et pari-

ter a tertio sive eodem sive alio solvenda, etiam in ipso emptionis loco, non adstringatur stare intra limites auctarii legalis, quia nempe bancarius non intendit mutuare, sed emere veram mercem circa quam commercium suum exercet, et præter pecuniæ absentiam, cui annexum est fundamentum auctarii legalis, habet alios titulos ratione officii sui, prout fuse evolvit quem ibi citavimus TROPLONG, n° 370 et seq., qui sic concludit n° 377 : « Tout « vient désormais se référer à ce point unique : est-ce une « opération de banque qui a été faite, ou bien, sous l'ap- « parence d'une opération de banque, n'y a-t-il qu'un « prêt dissimulé? Cette question peut quelquefois être « délicate en point de fait; en droit, elle ne l'est pas sous « le rapport de l'usure. »

Dicitur 1°. *Bancarius*, quia quoad privatos non applicantur eædem rationes; unde verisimiliter coram tribunalibus non admitterentur ad aliquid exigendum supra taxationem legalem. Standum est quoad illos iis quæ diximus (n^is^ 1247 et 749). Dicitur 2°. *A tertio subscripta*, quia si chirographa subscripta sint ab ipso venditore, concipitur tunc facilius adesse posse merum mutuum simulatum, prout sæpe judicarunt tribunalia. Attamen judicatum est etiam non ita esse in omnibus casibus; *ibid.*, n° 378 : unde id determinandum erit ex circumstantiis. Videndum erit inter alia, an sint chirographa quæ dicuntur *Billets à ordre*, id est, quæ transmitti possunt per viam indossationis, an vero chirographa simplicia (*Billets simples*), quæ transmitti nequeunt nisi per cessionem variis formis vestitam : in utroque casu, difficile videtur aliud perspicere ex parte venditoris quam intentionem mutui obtinendi : sed si res spectetur ex parte bancarii, in priori casu facilius concipitur ipsum non intendere dationem mutui, sed emptionem mercis, ac proinde inire actum sui commercii; in posteriori autem, nihil apparet nisi merum

mutuum, ex quo verisimiliter tribunalia non sinerent percipi lucrum ultra taxationem legalem : in foro autem conscientiæ, quamvis dici possit ex una parte hic adhiberi a bancario pecuniam quæ alioquin plerumque adhiberetur ad alios actus commercii e quibus majus lucrum percipe-retur, et ex altera, mirum esse quod bancarius minus lucrum habeat præcise quia recipit chirographum minus idoneum suo commercio, utpote non transmissibile per viam simplicis indossationis, attamen non putamus rece-dendum esse a dispositione legis : esto igitur quod in conscientia percipere possit auctarium 6 pro 100, quia habet titulum lucri cessantis, sed non debet aliquid per-cipere ultra quod admittitur coram lege; magnum enim nobis videtur incommodum, si in conscientia permittatur quod coram tribunalibus non permitteretur. Dicitur 3°. *A tertio solvenda*, quia hæc sunt chirographa circa quæ præ-cipue instituitur negotiatio de qua agimus. Si autem age-retur de chirographis ab ipso bancario solvendis, et quæ bancarius solveret ante elapsum terminum, nobis videtur fore merum mutuum, ac proinde applicanda esse quæ modo diximus. Dicitur 4°. *Solvenda etiam in ipso venditionis loco*, quia si solvenda sint in alio loco, seu in alia urbe, tunc est cambium locale, quod jam ostendimus (nis 1094, 1097) differre a mutuo : non ergo tunc applicatur lex de taxatione auctarii. Vid. Troplong, n° 380-382. Sed ca-vendum est ut etiam in eo casu servetur justum pretium, prout diximus (n° 1100).

En igitur quomodo circa emptionem chirographorum bancarius non subjiciatur taxationi auctarii et habeat titu-lum diversum. Sed, ut ait Troplong, n° 383 : « Il est « indispensable que l'opération soit bien réellement une « opération de banque ou de change. La cause légitime « de la commission ne peut résulter que de ces opérations. « Que si un négociant faisant un simple prêt y attachoit

« un droit de commission en sus de l'intérêt légal, ce « seroit de l'usure, et les tribunaux viendroient au secours « de l'emprunteur. » His confirmantur quæ modo diximus.

1295. — 2. Si agatur de promissione mutui, quam vulgo dicunt *un Crédit ouvert* apud bancarium, afferunt auctores judicium Curiæ Supremæ 14 julii 1840, in quo dicitur : « Il est d'usage incontestable dans le commerce « qu'une commission soit allouée au négociant ou ban- « quier qui, ouvrant un crédit, est obligé d'avoir un ca- « pital à la disposition de l'emprunteur, soit que celui-ci « s'en serve, soit qu'il ne s'en serve pas. » Percipitur ergo aliquid ultra auctarium ordinarium quod solvendum erit pro pecunia accepta. Illud non approbat Duvergier, n° 298, quia, inquit, falso supponitur bancarium pecuniam servare apud se otiosam; et etiamsi servaret, inde concludi posset tantum, auctarium deberi a die quo pecunia reservata est. Attamen dici potest bancarium, si non servet pecuniam otiosam, saltem assumere onus hanc habendi statim ac expostulabitur; et tale onus esse pretio æstimabile. Sed requiritur ut vere illud onus subeat : « Si l'opé- « ration, inquit Troplong, n° 384, se borne à un simple « règlement de compte, et au simple report du reliquat « à un nouveau compte, comme il n'y a là aucune nécessité « pour le banquier de faire des démarches pour se procurer « les valeurs dont il dispose, ce seroit à tort qu'il réclameroit « un droit de commission en sus des intérêts. » Requiritur demum in omni casu ut bancarius non exigat ultra id de quo conventum est, vel quod fert usus loci. *Ibid.*, n° 385.

1296. — 3. Sæpe inter duos bancarios aut negotiatores instituitur quod vocant *un Compte courant*[1], seu aliis verbis, conventio initur ut alter pro altero occurrentibus circum-

[1] Sic paulo fusius rem explicat Pardessus, t. II, n^is^ 475, 476 : « On « nomme *Compte courant* le composé de tout ce que deux correspon- « dants se doivent réciproquement pour les lettres de change, mandats,

stantiis solvat aut summas recipiat, sicque fiant invicem successive debitores et creditores : certis quibusdam temporibus instituitur compensatio inter credita et debita (*on dresse et on balance le compte*), sicque perspicitur quis supersit creditor, quis debitor.

Porro, ait PARDESSUS, t. II, n° 475 : « Ces comptes portent intérêt de plein droit, parce que les correspondants « sont respectivement mandataires. D'après la convention « ou l'usage, cet intérêt peut être cumulé avec le capital, « au bout d'un certain temps, pour en produire un nou-

« billets ou autres effets qu'ils tirent l'un sur l'autre, qu'ils se transportent, ou qu'ils acquittent à leur réquisition respective; des rentrées qui en ont été le résultat; du prix de ventes ou fournitures « qu'ils se font à crédit; en un mot, de tout ce qui a pour effet de modifier successivement entre eux les rapports de *débit* et de *crédit*. « On porte au *crédit* de l'un toutes les sommes ou valeurs reçues de « lui ou pour lui; et au *débit* toutes les sommes payées et toutes les « traites, à quelque échéance qu'elles soient faites ou acceptées pour « son compte. Celui qui fournit est *créditeur;* celui qui reçoit est *débiteur*.... Cet état de compte courant entre deux commerçants crée « une espèce de contrat qui tient, suivant les circonstances, du mandat, du prêt, ou du dépôt irrégulier. » (Vid. supra, n° 906.)

« Le plus souvent, le crédit de l'un ou de l'autre, ou même des « deux, se compose d'effets négociables qu'ils se fournissent. L'endossement des effets ainsi envoyés en transfère sans doute la propriété « à celui qui les reçoit, lorsqu'il est causé *valeur reçue en compte* « (vid. n° 1103). Mais cette entrée d'un effet dans un compte courant « ne peut créer irrévocablement un article de crédit, pour celui qui « l'a cédé de cette manière, qu'en cas de payement à l'échéance : ce « cédant ne peut jusque-là être crédité que conditionnellement; car si « l'effet n'est pas payé, cet article de crédit disparoît, et même celui « qui l'a reçu devient créancier des frais de protêt.... qui ont été l'effet « du défaut de payement. » Hæc fusius evolvit G. MASSÉ, *Revue de Législation*, sept. 1846, t. VI, p. 101 et seq. Exinde sequuntur consectaria magni momenti pro casu quo ille qui misit hujusmodi chirographa fit debitis impar (*tombe en faillite*) antequam obtenta fuerit eorum solutio : de his vid. PARDESSUS, t. V, n° 1220 et seq., et MASSÉ, *loc. cit.*, ubi ad trutinam revocat judicium Curiæ Supremæ 27 april. 1846, in quo non admittit Curia principium mox expositum, sed supponit eum qui transmisit chirographum fieri statim et absolute creditorem summæ in eo contentæ, etiam antequam fuerit soluta.

« veau; et l'on peut, en outre, percevoir un salaire pour « commission, sans que cela soit considéré comme intérêt « usuraire. » Duplici igitur modo seu titulo obtinetur auctarium supra taxationem legalem. 1°. Per *anatocismum*, seu auctarium auctarii ante elapsum annum. Illud quidem reprobat CHARDON, t. III, n° 487, ut jam retulimus (n° 1289): sed ait TROPLONG, n° 396: « Dans le com- « merce, où les usages font loi, les intérêts du reliquat « d'un compte peuvent être capitalisés pour produire eux- « mêmes des intérêts, quoiqu'il s'agisse d'intérêts de moins « d'une année: » et citat judicia Curiæ Supremæ 14 jul. 1840, Curiæ Divionensis 24 aug. 1832, et Curiæ Gratianopolitanæ 16 febr. 1836. Idem docet PETIT, p. 40. 2°. Titulo salarii (*de commission*): quod duplici etiam via explicari potest, vel ratione oneris habendi pecuniam semper paratam sensu mox exposito (n° 1295), vel ratione expensarum in recuperandis summis pro altero correspondente. Cæterum quando ille computandi modus inter duos negotiatores vicissim adhibetur, dici potest fieri inter eos compensationem.

1297. V. Si agatur de *auctario stipulato ante legem* 3 *sept.* 1807, statuit art. 5 nihil innovari quoad stipulationes per contractus aut alios actus initas. Hinc concludunt jurisperiti et tribunalia, stare debere auctaria, non solum quæ ante hanc legem obtigerant, sed etiam quæ nonnisi postea, dummodo conventio antea inita esset: TROPLONG, n° 357; DUVERGIER, n° 309, qui contendit, n° 310, id non sequi ex solo principio de non retroactivitate legum, sed opus fuisse expressa legis dispositione, unde concludit, n° 311, si conventum fuerit de auctario usque ad quemdam terminum, hunc articulum non applicari auctario percipiendo post terminum elapsum, quia cessante conventione applicatur lex. Si autem agatur de auctario, non conventionali, sed legali, v. g., quod debeatur ratione quasi-

contractus, agnoscunt iidem auctores non applicari prædictum articulum, sed auctarium debere determinari juxta ipsam legem an. 1807 : TROPLONG, n° 358 ; DUVERGIER, n° 312. Vid. etiam DURANTON, t. XVII, n° 602, et PETIT, p. 362 et seq.

1298. VI. Demum si agatur de auctario de quo conventum fuerit *in regione extranea*, existimat DUVERGIER, n° 313, non posse id apud nos exigi, sed reducendum esse ad normam legis nostræ, quia hæc est ordinis publici, ac proinde obstat quominus apud nos exsecutioni mandentur conventiones quæ huic opponuntur. Sed in alio sensu judicant tribunalia, et merito, juxta TROPLONG, n° 359 : quamvis enim lex quatenus reprimit usuram sit ordinis publici, ut talis habenda non est quoad taxationem auctarii ; hæc enim taxatio pendet a circumstantiis mutabilibus locorum et temporum ; quod adeo verum est, ut hæc non applicetur in Algeria, ubi ex Edicto regio 7 sept. 1835 auctarium legale est 10 pro 100, et auctarium conventionale potest ultra admitti : ergo hæc taxatio applicanda non est pactis initis apud regiones extraneas, juxta leges ibi vigentes.

PUNCTUM 3. *De auctoritate legis circa auctarium in quibusdam casibus specialibus.*

1299. Etiam non admissa opinione quæ tenet legem esse titulum percipiendi generatim et in omni casu auctarium supra sortem, ne videatur subverti lex divina, dici tamen forsan posset eam in quibusdam casibus peculiaribus creare titulum sufficientem. Non enim tunc adesset idem incommodum : et reipsa quidam theologi, etiam aliunde titulum legis rejicientes, satis libenter agnoscunt id non superare principis potestatem. Ita occasione Montium Pietatis qui vocantur Lombardi, Billuart, Collet, Henricus a S. Ignatio (vid. n° 1236) : idem occasione

censuum utrinque redimibilium in Hollandia vigentium dicit DAELMAN, q. III, obs. XXI, p. 320, sed sub forma dubii; *Forsan aliquis dicere posset...*: nec omnino abnuere videtur ill. D. DAVIAU, *Epist. cit.*, p. 28, quando id restringitur ad circumstantias quasdam peculiares, in quibus agitur de vitandis gravibus incommodis. Illud facilius adhuc concipietur, si princeps non directe permittat auctarium etiam in illis casibus peculiaribus, sed indirecte tamen titulum conferat; quemadmodum, v. g., confert in sententia eorum qui dicunt eum qui habet titulum legitimum damni emergentis aut lucri cessantis posse stare taxationi legali, etiam quando damnum quod incurrit aut lucrum quod amittit est infra illam taxationem. Igitur operæ pretium erit varios casus percurrere in quibus locus esse posset applicandi hanc observationem : sic enim melius judicari poterit quatenus admitti possit aut debeat. Ad duo præcipua capita referri possunt hi casus : 1°. de denariis minorum; 2°. de auctario quod solvit ærarium publicum in pluribus circumstantiis.

1300. I°. De DENARIIS, ut dicitur, MINORUM. Lex civilis obligat tutorem ad solvendum minori lucrum, etiamsi aliam viam non habuerit ad illud percipiendum quam simplex mutuum. Hinc jamdiu ortæ plures difficultates, quæ ad tres reduci possunt : 1°. an licitum sit lucrum ex denariis minorum mutuo datis perceptum; 2°. ad quid ea occasione obligetur tutor; 3°. si lucrum perceptum fuerit et facienda sit restitutio, quisnam ad eam teneatur et quatenus.

Quoad I^um^, *an liceat lucrum ex denariis minorum*, quidam affirmant, nixi titulo legis, qualem mox exposuimus. Olim, ut diximus (n° 1114, p. 269), hæc controversia movebatur præsertim in Britannia minori, ubi satis recepti moris erat ut denarii pupillorum mutuo darentur cum lucro. Circa finem sæculi XVII, quidam auctor, quem

confutavit P. Hernio, docuit tale lucrum habendum esse ut licitum titulo donationis factæ a Republica in gratiam pupillorum : quemadmodum, inquiebat, jus civile potest tribuere primogenito majorem partem hæreditatis, ita potest pupillis tribuere jus ad lucrum de quo agitur. Vid. Hernio, *Tr. de l'Usure*, p. 348 et seq. Idem quidam alii propugnaverunt. Hic enim si unquam, inquiunt, vim habere debet lex civilis, non solum quia ad principem spectat providere bono pupillorum, et illud ad bonum societatis plurimi interest, sed etiam quia, nisi id admittatur, ab officio tutorum removebuntur viri probi, ne cogantur vel ad usuram dare, vel grave damnum ipsi subire, quod erit bono publico valde contrarium.

Alii tamen, et quidem communius, docent non magis licere lucrum ex denariis minorum quam ex alia pecunia. 1°. Ita declaraverunt concilium Mediolanense I sub S. Carolo, concilium Mechliniense an. 1570, conventus Melodunensis cleri Gallicani an. 1579, concilium Burdigalense an. 1583, quæ citantur a Juenin, t. III, tr. XVI, c. IV, §. 14, p. 23, 24 : in his declaratur quoad illos denarios derogari non posse juri divino, omnesque teneri illud audire : *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Hæc fuit etiam decisio multorum doctorum Parisiensium et Nannetensium, occasione controversiæ de qua mox loquebamur. Eorum responsiones refert Hernio, *Tr. de l'Usure*, p. 434 et seq., et *Réponse à une dissertat.*, p. 155 et seq., 184. Idem denique expresse declaratur in Instructione card. Antonelli ad episcopum Quebecensem, pluries citata; vid. Pagès, t. II, p. 16 et seq. 2°. Quamvis omni probabilitate non careat ratio mox allata, attamen principiis est magis consentaneum dicere legem divinam exceptionem non pati; non enim validior ratio occurrit pro casu minorum quam pro multis aliis casibus. Unde olim nullum discrimen ea de re admittebant tribunalia et juris-

periti. Vid. DE VOURRIC, *de l'Usure*, tr. v, c. III, p. 398 et seq.; *Collat. Parisiens.*, t. I, l. v, conf. II, §. 4, p. 244 et seq. Hodie nihil peculiare de illo casu statuit lex civilis, quæ tantummodo in eo sicut in aliis usuram licitam supponit; ergo majorem vim non habet. Si ergo non admittatur generatim titulus legis, agnoscendum videtur injustum esse lucrum absque titulo extrinseco perceptum e denariis minorum, et mutuatariis deberi illius restitutionem : a quonam autem debeatur mox dicemus.

1301. Quoad II^um^, id est, quoad *obligationes tutoris*, 1°. tenetur inquirere viam legitimam lucrum percipiendi, ut negotiationem, societatem, emptionem censuum publicorum aut actionum industrialium, etc. Ratio est, quia ad id obligatur ex lege civili, art. 455, 456 cod. Civilis, et illam obligationem in se suscepit acceptando tutelam. Ex his articulis, concilium familiæ determinat ex quanam summa exsurgat pro tutore obligatio recurrendi ad usum frugiferum; tunc tenetur recurrere intra sex menses; quibus elapsis, ipsemet debet solvere auctarium. Si eam determinationem non postulaverit, debebit post sex menses auctarium pro quacumque summa, quantumvis modica. Si igitur negligat, vel pecuniam relinquens otiosam, vel eam ad usuram tradens quando via legitima lucrari posset, reus est injustitiæ erga minorem, qui jus habebat ut lucrum legitimum sibi compararet.

2°. Si via quæ tutori occurrit periculum aliquod includat, nec velit illud ipse subire, debet obtinere assensum concilii familias; alioquin tenebitur juxta circumstantias de damno quod minor patietur : unde generatim bene sibi consulet si illum assensum obtineat. Ita ex veteri jurisprudentia, quam hodie admittendam credit, observat TOULLIER, t. II, n° 1221, p. 387. Ita etiam MAGNIN, *Tr. des Minorités*, t. I, n° 685, 686, p. 533, 534; juxta quem, si tutor velit pecuniam adhibere in emptionem

bonorum immobilium, debet obtinere assensum concilii familiæ, imo et auctoritatem judicis, sine qua non possunt alienari bona minorum : quamvis enim hac auctoritate absolute non indigeret, ut contendit DURANTON, t. III, n° 570, certum est tamen, si eam negligat, ipsum exponi multis molestiis ex parte minoris quando ad majoritatem pervenerit. Obtento autem prædicto assensu, si percipiat infra quinque pro centum, non tenebitur erga minorem nisi de eo quod recepit. Sed ob similem rationem, si plus percipiat, totum debebit minori, cum ejus nomine et periculo egerit : poterit tantum deducere expensas quas subiit, et pretium suæ industriæ, si ex ea lucrum ortum fuerit.

3°. Si tutor ad nullam viam extrinsecam recurrat, sed pecuniam minoris in propriis negotiis adhibeat, hic agendi modus, inquit MAGNIN, n° 687, posset in multis circumstantiis haberi ut minori noxius, præsertim si tutor bona sufficientia non habeat ut securus esse possit minor; ac proinde posset præbere causam destitutionis. Si vero eam pecuniam adhibeat proprio nomine, non vero ut tutor et pro minore, auctarium debebit lege taxatum, quodcumque lucrum ipse percipiat, sive majus, sive minus, quia periculum subit, et ideo ipse, non vero minor, jus habet ad lucrum majus, si adsit.

1302. — 4°. Si nulla prorsus via suppetat lucrum obtinendi, debet tutor recurrere ad concilium familias; alioquin præsumitur pecuniam adhibuisse in proprios usus, et cogetur auctarium solvere. Si vero assensum concilii obtinuerit, nihil ab eo exigendum fore supponit TOULLIER, n° 1215, p. 384 : idem expresse asserit MAGNIN, n° 686, quia lex a tutore exigit tantum convenientem diligentiam, non vero aliquid impossibile.

5°. Quando tutor nullam aliam viam habet quam mutuum usurarium, si cum assensu concilii familias posset

pecunias relinquere otiosas, nulla esset difficultas, quia sic relinquendo, et ab injustitia abstineret, et simul suum damnum præcaveret : ita olim fieri poterat; nec coactus fuisset tutor mutuo dare, cum illud a lege prohiberetur, nec auctarium ipse solvere. Hodie vero, cum lex habeat mutuum ut viam legitimam lucrandi, non idem admitteretur : ut enim observat D. Bouvier, p. 429, 430, lex non tribuit concilio facultatem liberandi tutorem ab obligatione eo modo collocandi pecuniam minoris; et etiamsi hanc haberet facultatem, supponi potest non velle ea uti : tunc quæstio est, quid agere possit et debeat tutor?

In *Instructione* card. Antonelli jam *cit.*, post allatam responsionem P. Antoine, qui docet, c. III, q. X, p. 58, usuram, utpote intrinsece malam et a Deo absolute ac indistincte prohibitam, nullam ob causam posse esse licitam, hæc subduntur : « At, inquies, durum est teneri « tutores rem utilem pupilli gerere, nullaque alia suppe- « tente lucrandi occasione adigi ad fœneratitium lucrum « captandum, quod si neglexerint adstringi imperio judicis « ad compensationem cum propria jactura. — Verumta- « men possunt tutores tutelæ officio se excusare; multæ « enim in jure hujus excusationis produntur causæ. Sed « si quandoque officio judicis compellantur, quid erube- « scunt ante tutelæ susceptionem in actis et coram judice « profiteri omnem se curam ac diligentiam in pupillari « administratione usuros, nunquam tamen pupillaris « pecuniæ versuram cum fœnore facturos, eo quod catho- « licæ religionis jure id sibi vetitum esse sciunt? Si hac « conditione susciperent, nullam posset pupillus in tuto- « rem suum, soluta tutela, actionem intendere ad com- « pensandum lucrum ex usura non perceptum, quoniam « ea conditione suscepit ut ea lege non teneretur. Præ- « terea numne in istis provinciis, quæ commercio terra « marique florent, deesse potest occasio conficiendi nego-

« tia, quibus honesti quæstus absque ulla usuræ labe « fiant? In his animum atque operam suam tutores inten- « dant, omnique periculo vacabunt, cum male gestæ tu- « telæ, tum propriæ æternæ salutis. Cæterum quocum- « que tandem modo res casura sit, illud omnino et absque « ulla dubitatione est retinendum, minime fas esse tutori « lucrum ex fœnore pupillo quærere, etiamsi suarum « fortunarum jacturam facere cogeretur. *Quid enim prodest « homini, etc.* Hac una servatoris D. N. J. C. sententia « omnis sublata est quæstio; quod enim divina lege turpe « est et indecorum, qualis certe est usura, propter huma- « narum rerum commodum nunquam est faciendum. »

Hæc quidem sunt principiis consentanea. Sed apud nos non potest tutor utiliter recurrere ad protestationem indicatam. Insuper nobis videtur quæstionem expendi posse sub novo respectu, sub quo non satis eam expenderunt theologi. Dici potest tutorem non habendum esse ut mutuantem principalem, sed tantum ut cooperatorem, seu ut exsecutorem legis, et mandatarium legalem minoris. Hoc autem posito, satis probabile videtur eum excusari posse a sua cooperatione, ratione damni cui alioquin ipse exponeretur : huic applicari potest quod dicitur de cooperantibus ad usuram (n° 1326); scilicet mutuatarium esse rationabiliter invitum quoad eum qui lucrum percipit ex mutuo, non vero quoad tutorem. Et revera nisi illud admittatur, ab officio tutorum removebuntur viri probi et timoratæ conscientiæ, quemadmodum tempore Justiniani accidisse multi existimant (n° 1279). In ea sententia, cum excusetur quidem tutor, sed non ideo licitum fiat lucrum perceptum, dicendum est tutorem teneri monere minorem de obligatione quæ ipsi incumbit; alioquin de illo conqueri posset mutuatarius tanquam de causa damni illati et non reparati.

Cæterum raro occurret hodie hæc difficultas, quia

saltem plerumque occurrunt modi legitimi lucrum educendi, v. g., emptio censuum publicorum, etc.

1303. Quoad III^um^, scilicet posito quod lucrum injuste perceptum fuerit, *quis restituere tenetur?* Distinguendum est. Vel tutor habebat aliud medium legitimum lucrum comparandi, vel non. In 1° casu, ad restitutionem tenetur solus tutor, non vero minor, modo lucrum situm sit in rebus primo usu consumptibilibus, et nisi tutor bona fide egerit. Solus tutor est causa efficax et injusta damni mutuatario illati : minor non tenetur ratione rei acceptæ, cum dominium rerum consumptibilium acquisierit, nec ditior evaserit accipiens tantum a tutore illud ad quod jus habebat; nec ratione injustæ acceptionis, cum ipse non contraxerit cum mutuatario, nec ullius delicti aut quasi delicti erga eum reus sit. Diximus tamen 1°. *Modo lucrum situm sit in rebus primo usu consumptibilibus :* si enim minor haberet rem alienam in specie, vel eam scienter alienasset, cum *Res domino clamet*, restituere teneretur, salvo recursu suo in tutorem. Diximus 2°. *Nisi tutor bona fide egerit :* si enim crediderit bona fide se posse ea via lucrum comparare, ad nullam restitutionem tenetur, cum nullius culpæ reus sit, nec ditior factus fuerit. Ita Habert, part. II, c. III, q. 19°, p. 149, et post eum Collet, n° 386, p. 355. Sed, ut observat Collet, tunc minor tenebitur restituere in quantum factus est ditior : non potest enim lucrum retinere vi mutui, ut patet; nec titulo compensationis pro lucro legitimo quod obtinere potuisset, cum nec mutuatarius nec tutor sint causa culpabilis cur illud non obtinuerit. Cum tutor bona fide erraverit, damnum recidere debet in minorem potius quam in mutuatarium qui erroris causa non fuit. Ita contra Sambovium D. Richard. In 2° casu, restitutio facienda erit a minore, qui ditior factus est, cum nec occasionem lucrandi, nec recursum in tutorem non negligentem haberet. Si

autem tutor restituerit, indemnis præstandus erit a minore, cum lex ipsum obligare nequeat ad solvendum minori ex propriis bonis. Ita D. Richard.

1304. II°. De auctario quod solvit ærarium publicum. Sub eo generali vocabulo designamus varios casus in quibus privati pecuniam tradunt Regi vel Gubernio, ut loquebantur olim auctores, vel potius juxta præsentem loquendi modum, ærario publico, et inde auctarium percipiunt. Si pecunia sit in perpetuum alienata, ita ut adsit vera emptio censuum, non est difficultas, ut intelligitur ex dictis circa census (n° 1050). Supponendum ergo pecuniam non dari nisi ad tempus. Cum autem hodie præsertim hujusmodi operationes locum habere non possint nisi secundum legem, ideo ad præsentem titulum has difficultates referimus.

Jam vero si quæstio modo generali instituatur, docent auctores, numero pauci, qui hanc expenderunt, non esse per se licitum lucrum perceptum ex mutuo præstito Regi vel Gubernio. Ita La Porte, *Princip. théologiq.*, t. II, p. 389 et seq., et D. Richard. Non minus enim erga Regem et Gubernia prohibetur usura quam erga privatos; lex Dei nullam exceptionem admittit, et justitia in isto contractu servanda est quemadmodum in aliis qui cum Rege iniri possunt : ergo lucrum non potest percipi, nisi adsit aliquis titulus extrinsecus. Porro nullus titulus videtur per se reperiri in hujusmodi mutuo. 1°. Non, ut quidam dicunt, ex eo quod sors censeatur alienata. Nam nec dans nec recipiens pecuniam intendunt alienationem; quando Gubernium vult providere suis necessitatibus per creationem censuum, illud declarat aperte, et magnum discrimen inter utrumque agnoscitur, adeo ut hujusmodi chirographa non eodem pretio vendantur. 2°. Non, ut quidam alii volunt, ex eo quod contra Regem non competat actio civilis. Exinde quidem fieri potest ut incurratur periculum

sortis, vel damni ex mora oriundi, et tunc non negandum est adesse titulum : sed extra hunc casum, non magis lucrum exigi potest, quam si mutuo tradita fuisset absque scripto summa excedens 150 fr., quo in casu profecto committeretur usura, nisi adesset alius titulus, etiamsi defectu probationum non posset mutuans jus suum coram tribunalibus vindicare. 3°. Non titulo donationis gratuitæ. Nam initur pactum de solvendo auctario, et tradens pecuniam intendit jus ad illud acquirere; quæ omnia non conveniunt donationi gratuitæ. Non magis adest donatio quam inter privatos : ideo ad hæc media recurrit Gubernium, quia pecuniæ summis indiget, nec eas alio modo obtineret. 4°. Demum non titulo periculi. Non enim semper adest periculum extraordinarium, cum contra sæpe et plerumque majorem securitatem præstet Gubernium quam quilibet privatus. Ergo, etc. Dicunt tamen illi auctores *Per se*, quia non negant posse aliquando per accidens adesse titulum aliquid percipiendi ultra sortem.

Non desunt tamen qui putant in hujusmodi mutuis agnoscendum esse modo generali jus ad auctarium : tum quia Gubernium non censetur se stricte obligare ad sortem reddendam, aut saltem sibi reservat facultatem differendi pro nutu suo restitutionem, ac proinde sors haberi debet ut vere alienata; tum quia lex quæ ob bonum publicum præcipit aut permittit ut Gubernium ad hæc media recurrat comparandi pecuniam, merito præsumitur conferre titulum mutuantibus; hic enim potest quamdam veluti remunerationem concedere iis qui præ cæteris concurrunt ad præbendum ærario publico media perferendi onera communia.

Inter hæc, putamus satius esse quæstionem solvere pro variis casibus peculiaribus, quia in his variæ reperiuntur vulgo circumstantiæ quibus efficitur ut plus minusve probabiliter adsint tituli ex quibus dirimi possit difficultas.

Sic 1. si res ita componantur ut sors vere alienetur, erit verus census, quocumque deinde nomine appelletur. 2. Si adsit verum periculum vel sortis amittendæ, vel damni emergentis, vel expensarum faciendarum, etc., tolletur etiam difficultas. 3. Si Gubernium cogat ad præstandum mutuum, seu, aliis verbis, ad deponendam pecuniam, vel si tempore præfixo non solvat, satis probabile est mutuantem posse accipere non tantum compensationem damni emergentis, si quod patiatur, sed etiamsi nullum patiatur damnum, auctarium ratione oneris quod ipsi imponitur, et quod haberi potest ut pretio æstimabile. Illud confirmari potest ex responsione S. Congr. de Prop. Fide ad missionarios Sinenses, 12 sept. 1745, cujus verba afferimus ubi *de Montibus pietatis* (n° 1236). Percurramus ergo præcipuos casus, saltem magis obvios.

1305. I. De *mutuo quod accipit ærarium publicum.* Ordinarie quando Gubernium recurrit ad id quod vocamus *Emprunt public*, id facit vendendo census publicos per auctionem publicam. Nulla tunc difficultas : fatentur omnes emi posse hujusmodi census.

Sed sæpius ærarium publicum pecuniam sibi comparat per emissionem, ut aiunt, chirographorum regiorum (*par l'émission de bons royaux*). Hæc chirographa, quæ dicuntur etiam *Bons sur le Trésor,* dant jus ad auctarium, majus minusve pro variis circumstantiis, sed ordinarie infra taxationem legalem. Dantur ordinarie ad tres, vel sex menses, vel annum integrum, et elapso termino sors redditur. Est ergo merum mutuum, in quo sors recuperatur absque ulla difficultate. Nullum videmus titulum per se vi cujus licite exinde percipi possit auctarium.

1306. II. De *auctario quod solvit ærarium publicum quæstoribus publicis.* Qui præficiuntur tributis percipiendis, quos dicimus *Receveurs généraux,* quando solvunt ante terminum, recipiunt, saltem ut putamus, quoddam

auctarium. Si præsto non sit alius titulus quam anticipata solutio, non videmus eos excusari posse ab usura, cum nihil aliud sit quam mutuum virtuale. Aliud erit, si non recipiant nisi compensationem laboris sui et impensarum quas subeunt : vel si id habeatur tanquam pars eorum salarii, quod majus minusve sit pro majori vel minori cura quam adhibent ut citius tributa solvantur. Putamus etiam eos sæpe instituere cum ærario publico operationes quæ dicuntur cambiales (*opérations de Banque*) : tunc iis applicanda sunt quæ de his operationibus alibi dicimus.

Sed etiamsi admitteretur titulus legitimus quoad illos quæstores, extendi non posset ad eos qui mutuo dant iis quæstoribus pecuniæ summas quas ipsi tradant ærario publico. Lucrum enim mutuatarii non est titulus legitimus pro mutuante, ut alibi ostendimus. Ita olim docebat D. Richard : et S. Pœnitentiaria de eo casu interrogata, non aliam dedit quam responsionem generalem supra relatam (n° 1118, p. 287), remittendo nempe ad Encyclicam Benedicti XIV.

1307. III. De summis quas varii officiarii tenentur deponere, vulgo *des Cautionnements*. Multis officiariis, speciatim iis qui partem habent in administratione denariorum publicorum, imponitur obligatio deponendi quamdam pecuniæ summam, quam exigit Gubernium tanquam pignus pro sua securitate, et pro qua ipsis auctarium solvit. Jam vero illud auctarium videtur pro legitimo habendum. Nam 1°. mutuum non est ex eorum parte liberum, sed est onus ipsis impositum. Applicandum ergo quod supra diximus. 2°. Sors aliquo modo dici potest alienata, cum eam recuperare nequeant nisi renuntient officio suo. 3°. Addi forsan posset illud lucrum haberi posse tanquam partem stipendii quod Gubernium ipsis debet solvere.

Idem dicendum videtur, quamvis non applicetur tertia hæc ratio, de iis qui eidem obligationi subjiciuntur, etsi

non sint officiarii Gubernii. Tales sunt notarii, et ii qui dicuntur *Agents de change*, *Commissaires-Priseurs*, *Greffiers*, *Huissiers*, *etc.*: hi tenentur pariter summam deponere in securitatem eorum qui ad ipsorum ministerium recurrunt. Pro his valent duæ priores rationes.

Sed id non extendendum est ad eos qui his officiariis mutuo dant summas pecuniæ ab ipsis deponendas. Iis non applicantur eædem rationes, et merum mutuum efficiunt. Non possunt ergo lucrum percipere, nisi habeant titulum extrinsecum. Servant privilegium in eas summas : quæ primum quidem adhibentur in assecurationem mulctarum aut similium ad quæ condemnari possunt illi officiarii ratione sui muneris; sed postea ad restitutionem faciendam mutuantibus qui sic anteponuntur cæteris creditoribus : unde minori periculo subjiciuntur sub eo respectu quam mutuantes ordinarii.

1308. IV. De arcis nummariis quas vulgo dicunt *Caisses d'épargne*. Satis hodie nota est hujusmodi institutio, et in plerisque urbibus regni propagata, etsi ejus initium apud nos non retroascendat ante annum 1818, saltem ni fallimur[1]. Nostrum non est perpendere hujus commoda vel incommoda seu pericula in ordine ad ærarium publicum, ubi deponuntur hujusmodi summæ, quæ si instante quadam commotione publica simul repeterentur, exinde profecto non leve detrimentum pati posset fortuna publica. Sed certum est hanc institutionem valde utilem esse societati, quatenus favet famulis, opificibus et aliis, qui sic impelluntur ad parcimonias suas utiliter im-

[1] Prima quam noverimus approbatio occurrit in Edicto regio 29 julii 1818, quod respicit institutionem factam in urbe Parisiensi. Vid. *Bull. des lois*, 7e série, bull. 232, n° 4813, t. VII, p. 278 : ibi referuntur hujus statuta. Sed diu antea hæc institutio in pluribus aliis regionibus vigebat : dicitur incœpisse Hamburgi an. 1778, Oltemburgi et Bernæ an. 1787, Basileæ an. 1792, in Anglia an. 1798, in Germania an. 1801, etc.

pendendas, nedum eas in comessationes, ludos, etc. dissipent, quemadmodum nimis frequenter accidere solebat[1]. Quæstio est, an hujusmodi lucrandi via adhiberi possit tuta conscientia, absque ullo usuræ metu?

Si arcæ illæ expendantur juxta primævam institutionem, nullum putamus dubium moveri posse, etsi res ab initio non statim fuerit omnibus aperta. Etenim ab initio summæ illæ non adhibebantur ab administratoribus nisi ad emendos census publicos, quorum reditus distribuerentur inter pecuniarum collatores secundum contributionem uniuscujusque, adeo ut ex parte istorum sors esset vere alienata. Primum quidem emebantur nomine societatis ipsius (*de la caisse même*); sed quando talis evaserat summa ut posset ex ea obtineri census 50 fr., emebatur nomine deponentis. Postea declaratum est sufficere censum 10 francorum, per Edictum 30 octobr. 1822. *Bullet.*, 564, n° 13680, tom. XV, p. 484. Eatenus autem unicuique liberum erat pecuniam suam pro nutu suo aut certis quibusdam temporibus retrahere, quatenus obtinere poterat venditionem sui census; scilicet societas administratorum, sicut nomine collectivo vel proprio census emebat, ita et vendebat; unde cum unus e sociis pecuniam suam repetebat, alter ei subrogabatur, sicque retrahens pecuniam suam recuperabat ex venditione census, non ex restitutione capitalis. Itaque cum nullum esset mutuum, nec usura adesse poterat.

Sed postea cum multi retraherentur a deponendis pecuniis metu depressionis censuum publicorum, concessa est per Edictum 3 junii 1829 (8ᵉ ser., *Bullet.* 295, n° 11274, tom. X, p. 382) facultas deponendi has pecunias apud ærarium publicum, a quo solveretur auctarium 4 pro 100,

[1] Notiones varias circa hujus institutionis utilitatem et regimen exhibet D. DEVIE, episc. Bellicensis, *Manuel des Connoissances utiles aux ecclésiastiq.*, c. I, sect. III, §. VI, p. 49 et seq.

vel supra aut infra, pro circumstantiis : idemque confirmatum fuit per legem 5 junii 1835. Jam vero hæc mutatio videtur maximi momenti in ordine ad scopum nostrum : non enim jam præsto habemus emptionem censuum, sed mutuum factum ærario publico; quæ duo non parum differre ex dictis facile intelligitur. Attamen non videmus quod exinde mutata fuerit opinio theologorum, sive quod eam mutationem non adverterint, sive quod eam non sufficere existimaverint. In eo rerum statu, directa est ad S. Pœnitentiariam consultatio (in qua tamen hic status non exponitur) : « Canonicus J..... vicarius « generalis officialis diœcesis M.... solutionem sequentis « dubii ab Eminentia Vestra Rev^ma reverenter exposcit, « nempe : licetne in conscientia locare pecuniæ summam « ad argentariam, Gallice *Caisse d'épargne*, et percipere « sine titulo lucrum quatuor pro centum proveniens ex « pecuniæ summa sic locata, servata facultate repetendi « sortem ad arbitrium locantis? — Sacra Pœnitentiaria « dubio per oratorem proposito respondet prout jam alias « responsum fuit, scilicet in casu prout jacet nihil obstare. « Datum Romæ die 25 februarii 1836. A. F. DE RETZ, « S. Pœnit. regens. » Indicat D. LYONNET, p. 369, et post eum D. ROUSSELOT, *Theol. Moral. Sœttler*, t. III, p. 692, responsum S. Pœnitentiariæ in eodem sensu, datum 17 dec. 1832 ad parochum diœcesis Claromontanæ. Et ita in praxi satis receptum videtur. Eaque praxis confirmari potest ex simili institutione qualis Romæ viget. Ibi initium habuit an. 1836, prout exponit MORICHINI, *Degl' Istituti di pubblica carità in Roma*, l. II, c. XX, t. II, p. 154 et seq. Præcipua difficultas fuisse videtur quoad modum adhibendi summas a privatis depositas, ut colligi potest ex iis quæ dicuntur *ibid.*, p. 161 : Auctor supponit omnino opportunum esse medium in Anglia et in Gallia admissum, eas nempe deponendi in ærario pu-

blico, ut dicitur, *en Compte courant;* et indicat varia media Romæ adhibita, quorum nonnulla videntur non esse nisi merum mutuum factum viris ditissimis, vel cum hypotheca, cætera vero spectant ad census publicos, vel ad *actiones*, ut aiunt, quarumdam societatum assecurationis. Hic non inutile erit addere hanc institutionem fuisse commendatam tanquam valde utilem, non solum sub respectu, si ita loqui fas est, materiali, sed etiam in ordine ad religionem et bonos mores, in *Instructione* Romæ edita jussu Gregorii XVI, quam memorat *L'Ami de la Religion*, n° 3733, 6 avr. 1843, t. CXVII, p. 36, 37.

Tandem, ut ad Galliam nostram revertamur, per leges 31 martii 1837 et 22 junii 1845 ordinata fuit administratio pecuniarum depositarum : hæc administratio committitur arcæ quæ dicitur *Caisse des Dépôts et Consignations*, cujus relationes cum ærario publico ibidem determinantur, sive has pecunias ibi deponat, ut dicitur, *en Compte courant*, sive census publicos emat. Hæc omnia fuse exponere non est nostri instituti : sed ex aliquali eorum examine statim agnoscitur, non ita facile esse conciliare jura deponentium cum securitate ærarii publici, quæ non parum labefactaretur, si multi pecunias suas eodem tempore simul repeterent.

ART. 4. *De restitutione usurarum.*

1309. Semel stabilita usuræ injustitia, facile intelligitur eam inducere obligationem restituendi. Porro hanc injustitiam in decursu ostendimus : ipsi adversarii negare nequeunt, saltem a sæculo XIII impositam fuisse obligationem restituendi. ALEXANDER III, CAP. *Cum tu manifestos*, supponit hanc obligationem impositam fuisse in concilio Lateranensi III, an. 1179, quamvis ibi expresse non legatur. Hanc memorant deinde multa concilia, et tandem expresse eam declarat concilium œcumenicum

Lugdunense II, an. 1274. Idem occurrit in decretis SS. Pontificum. ALEXANDER III, CAP. *Tua nos*, IX, *de Usuris*, V, XIX, respondet : « Filii ad restituendas usuras « ea sunt districtione cogendi qua parentes sui, si vive- « rent, cogerentur : idipsum etiam contra hæredes extra- « neos exercendum. » Idem pluribus aliis in locis statutum occurrit.

Hinc sequitur hic applicanda esse principia generalia exposita in Tr. *de Justitia*. Restitutio facienda est iis qui usuras solverunt. Si agatur de iis qui absque causa a peccato excusante et nonnisi ad opes augendas mutuum petierunt, ex quo magnum lucrum consecuti usuras libenter solverunt, dicunt quidam auctores non ipsis faciendam esse restitutionem usurarum, quia per peccatum suum eas amittere meruerunt, sed faciendam esse pauperibus. Citant S. THOMAM, 2-2, q. LXII, art. V, ad II, ubi loquitur solum modo generali de casu quo datio est illicita et contra legem, et affert in exemplum simoniace accepta. Ita *Collat. Andegavens., Restitut.*, conf. III, quest. IV, p. 147; SAINTE-BEUVE, t. II, cas CXCI, p. 534. Verum alii melius et communius docent etiam in eo casu restitutionem fieri debere ipsis mutuatariis, quia nulla lege privantur suo jure, et privatorum non est pœnam adversus eos decernere : restitutio fieri non potest pauperibus, nisi in defectum dominorum et hæredum. Ita, licet timide, COLLET, n° 416, p. 364; *Collat. Parisiens.*, t. III, l. VI, conf. IV, §. 7, p. 415, quos citat et sequitur D. BOUVIER, p. 431. Addunt duo ultimi auctores, si constet mutuatarium qui usuras solvit eamdem pecuniam aliis sub majoribus usuris mutuavisse, ipsi non esse faciendam restitutionem, nisi prævideatur restituturus, sed iis in quos ultimate recidit damnum. Hæc decisio applicari posset præsertim si mutuatarius jam mortuus esset non peracta restitutione.

1310. His præmissis, explicandum habemus præcipue quinam ratione usurarum teneantur ad restitutionem : possunt in triplicem classem dividi; agendum habemus de ipsis usurariis; de eorum hæredibus aut causam habentibus; de cooperantibus ad usuram : indicabimus principia generalia, et paulo fusius exponemus quæ præsenti materiæ peculiaria esse possunt.

§. 1. *An et quatenus usurarius teneatur ad restitutionem.*

1311. Loquemur primum de usurario reali; deinde de usurario mentali, de quo speciales occurrunt difficultates.

I°. *De usurario* REALI. Post ea quæ hactenus dicta sunt, nullum superesse potest dubium quin teneatur ad restitutionem. Id diserte declarat BENEDICTUS XIV in sua *Encyclica*, §. 3, n° II.

Difficultas tamen moveri posset ex eo quod doceant multi theologi usurarium acquirere dominium usurarum. Ita inter alios DE LUGO, D. XXV, n° 206, asserens hanc esse sententiam satis communem. Illud igitur explicare operæ pretium erit.

1°. Qui eam sententiam tenent nihilominus docent adesse obligationem restituendi. Id apud eos certum esse testatur DE LUGO, n° 204 : unde aiunt usurarium non habere nisi dominium ligatum et solubile, quia tenetur reparare injustitiam quam admisit : proinde sub eo respectu nullius momenti est quæstio; ideo tantum expenditur, ut determinetur quatenus possit usurarius de re accepta disponere, et quid sentiendum de variis contractibus circa eam ab ipso initis.

2°. Qui docent dominium acquiri, in eo nituntur quod mutuatarius intendat illud transferre : porro, inquiunt, illa voluntas sufficit : idem dicendum ac de contractu inito ex metu; est rescindibilis, non vero ipso facto irritus. Ita DE LUGO, n° 206.

Sed longe probabilius est regulariter non transferri dominium. Nam ex hypothesi mutuatarius non intendit gratis dare, nec proinde vult plus juris in mutuantem transferre quam iste habeat vi mutui : porro vi mutui nullum habet, ex dictis. Vid. BILLUART, D. IV, art. VI, §. I, p. 275, ubi ait esse communem cum S. Thoma. Illud verum est etiam ex jure nostro civili. Nihil quidem statuit de lucro percepto vi mutui quod pro legitimo habet : sed statim ac pro injusto habetur, sive quia excedit taxationem legalem, sive quia non admittitur titulus legis, applicandum est principium generale juris nostri, juxta quod non sufficit ad transferendum dominium traditio facta a domino, sed requiritur causa justa; alioquin nullum producit effectum, ex art. 1131. Hinc qui rem indebitam accepit, tenetur eam restituere, ex art. 1376; qui ex errore eam solvit, potest eam repetere, ex art. 1377 : quæ indicant translatum non fuisse dominium. Videantur quæ de ea re diximus in Prælectionibus *de Justitia* (n° 1040). Sola difficultas esse potest quoad extraneos ad quos res illa transire potuit : de quo modo (n° 1324).

Dicimus *Regulariter*, quia quando agitur de *rebus primo usu consumptibilibus*, usurarius quodammodo acquirit dominium; quia cum parvi intersit domini an res eadem numerice ipsi reddatur, censetur consentire ut de ea pro nutu disponat, modo restituendi capax remaneat. Ita BILLUART, p. 277, post SYLVIUM, t. III, quæst. LXXVIII, art. III, q. III, p. 550; COLLET, n° 352, p. 347, et alii quos sequitur D. RICHARD. Supponit etiam TOULLIER, t. XI, n° 92, eum qui solvit rem indebitam servare tantum jus ad valorem seu quantitatem similem, si agatur de re fungibili. Quid inde sequatur quoad contractus circa illam rem initos, mox explicabimus.

1312. Quæstio præcipua est, *quatenus usurarius realis teneatur restituere*. Hic applicanda sunt principia circa

...ERT'S COLLEGE LIBRARY

possessorem rei alienæ, et injustum damnificatorem : plura sunt tamen quæ patiuntur difficultatem.

I. Si usurarius fuerit *bonæ fidei*, hæc statui possunt.

1°. Non tenetur restituere fructus perceptos ex re in usuram accepta. Nam vel agitur de re sterili in se, qualis est pecunia, vel de re frugifera. Si 1°., fructus sunt mere industriales, ut dictum est, ac proinde ad illum omnino pertinent, ut patet. Si 2°., applicandi sunt articuli 549, 550 codicis Civilis, ex quibus possessor bonæ fidei facit fructus suos. Vid. *de Justitia*, n° 1054.

2°. Tenetur restituere usuras perceptas, saltem quatenus inde factus est ditior, et nisi legitime præscripserit. Id quidam negant, quia, inquiunt, possessor bonæ fidei facit fructus suos : porro usuræ instar fructuum haberi possunt. Verum illud omnino rejiciendum putamus. Nam lex concedit quidem fructus rei alienæ possessori; sed usuræ haberi nequeunt ut fructus rei alienæ possessæ, ut patet; sunt contra res ipsamet aliena, in quam mera possessio nullum jus confert.

1313. Dicitur 1°. *Saltem quatenus factus est ditior*. Si non factus sit ditior, communiter eum a restitutione excusant theologi : tunc non tenetur ratione rei acceptæ, cum rem alienam supponatur non habere; nec ratione injustæ acceptionis, cum bona fide egerit. Ita triginta doctores Sorbonici, quorum decisionem refert et approbat *Collat. Paris.*, t. III, l. VI, conf. IV, §. 8, p. 418 et seq.; *Collat. Ambian.*, t. III, p. 517, apud quem testatur Sambovius hanc esse communem doctrinam theologorum, sive veterum, sive recentiorum.

Attamen adest quædam difficultas. Nam ex doctrina quam tradit POTHIER, *Usure*, n° 113, et ex jurisprudentia quam olim constantem fuisse testatur D. RICHARD, usuræ solutæ imputabantur pleno jure in sortem, et minuebatur debitum eadem proportione : unde sequitur mutuan-

tem, sive ex usuris factus fuisset ditior, sive non, non potuisse recipere totius sortis restitutionem, quia jam nonnisi hujus pars ipsi debebatur. Porro idem hodie locum habere dici posset. Nam eo instanti quo usuræ solvuntur mutuans fit earum debitor, cum eas debeat restituere; ergo dici potest pleno jure statim fieri compensationem, juxta dispositionem cod. Civilis, art. 1289 et seq. Illa quidem dispositio coram lege hic non applicaretur, cum usuræ habeantur ut debitæ; attamen subsistit principium generale. Revera docent jurisperiti, nixi art. 3 legis 3 sept. 1807, in casu usuræ quæ sit contra legem, nempe supra taxationem legalem, locum habere imputationem in sortem : quamvis non consentiant an ea imputatio fiat pleno jure et ipso solutionis die, adeo ut successive minui debeat etiam, proportione servata, auctarium lege permissum; an vero fiat tantummodo post petitionem mutuatarii et judicium quod illam admisit. In priori sensu admittunt CHARDON, *du Dol*, t. III, nis 504 et 554, et DUVERGIER, nº 303-305; illudque videtur omnino principiis consentaneum, siquidem debitum usuræ restituendæ sit omnino certum. Attamen in posteriori sensu stat communis jurisprudentia, cui adhæret TROPLONG, nº 397, quia ante judicium adest in gratiam mutuatoris titulus apparens : idque confirmat ex analogia cum dispositione articuli 1682 circa casum læsionis in venditione. Quidquid sit de modo imputationis, constat generatim eam locum habere. Applicanda nihilominus erit theologorum decisio quando agitur de restitutione facienda post solutionem sortis; tunc enim jam locum habere nequit imputatio, et semper expendendum erit an mutuatarius ditior evaserit. Et hæc est ratio juxta DUVERGIER, *ibid.*, p. 413, cur in lege 3 sept. 1807, art. 3, statuitur : « Le « prêteur sera condamné à restituer cet excédant s'il l'a « reçu, ou à souffrir la réduction sur le principal de la

« créance. » Locum etiam habebit decisio theologorum, si forte in usuram data fuerit res non fungibilis, quia in hujusmodi rebus locum non habet compensatio, ex art. 1291 (vid. supra, n° 428).

1314. Sed determinandum superest quatenus mutuans factus sit ditior. Ut illud determinetur, expendendum est an usuras adhuc habeat in se vel in æquivalenti; si non habeat, videndum an propriis rebus pepercerit.

1°. Si *usuras non habeat*, nec propriis rebus pepercerit, dici non potest ditior, ac proinde ad nihil tenetur. Censetur autem propriis rebus non pepercisse, non solum quando propter usuras fecit expensas quas alioquin facturus non fuisset, ut sæpe contingit quia expensæ proportionantur reditibus, sed etiam quando usuras expendit in usum qui alioquin locum nihilominus quidem habuisset, sed cui providisset per aliud lucrum legitime comparandum. Ita D. Bouvier, p. 421, post *Collat. Paris.*, t. III, l. VI, conf. IV, §. 8, p. 418 et seq., ubi citat decisionem triginta doctorum in eo sensu : idem cum Sambovio admittit *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 521.

2°. Si vero *usuras habeat* in se vel in æquivalenti, tenetur ad restitutionem. Quæstio tamen moveri potest, an non valeat, quemadmodum in casu præcedenti, ab illa obligatione se eximere, quando sublato errore, idem lucrum alia via sibi comparaturus fuisset? Ea ratio per se non sufficit ad eum excusandum a restitutione, quia semper verum est eum habere alienum : unde casus valde differt a præcedenti. Et revera si quis bona fide emisset equum furto sublatum, eumque locans lucrum fecisset, etsi æquale lucrum fuisset percepturus ex alio equo, non excusaretur tamen a lucro restituendo, quia est fructus rei alienæ : idem hic dicendum, cum lucrum sit ipsa res aliena. Ita Ballerini, t. II, *Vindiciæ*, c. X, n° 8, p. 61. Vid. etiam de Lugo, D. XXV, n° 181.

Sed adhuc moveri potest dubium, an non possit usuram retinere titulo lucri cessantis, eo quod propter mutuum lucro caruerit? et hæc est quæstio, quæ modo generali investigari potest, et quæ eo accuratius examen meretur, quod jam pluries nobis occurrerit, et quidem tanquam magni quoad praxim momenti (nis 1181, 1274).

1315. Quæritur ergo, an ille qui bona fide contractum usurarium iniit, vel titulo insufficienti nixus est ad percipiendum auctarium, pecuniam suam in usum fructuosum impensurus, vel alium contractum justum initurus, si prioris injustitiam cognovisset, vel etiam habens justum titulum cui inniti potuisset, possit lucrum perceptum retinere titulo lucri cessantis? Ista quæstio, ut patet, potest extendi ad omnes titulos : eo scilicet reducitur, utrum titulus existens, vel qui saltem extiturus fuisset, sed de quo contrahens non cogitavit, jus conferat directe vel indirecte ad lucrum retinendum? — Non concordant theologi. Affirmant plures auctores quos citat Collet, n° 361, p. 350 : iis assentitur de Lugo, n° 183, modo mutuans cognoverit onus ratione cujus poterat lucrum exigere, licet ignoraret aut non cogitaverit se reipsa exigere posse. Rationes ipsorum istæ sunt. 1°. Adest vere in eo casu lucrum cessans. Etenim ex una parte, mutuans impeditur mutui causa ab honesto lucro : ex altera parte, vult implicite ratione illius lucrum percipere, cum intendat lucrari meliori via qua potest, modo sit justa et honesta; siquidem non intendit lucrari vi mutui, nisi quia existimat illud esse licitum, et, si interrogaretur, sane responderet se intendere lucrum omnibus quibus potest viis; igitur ex ipsius parte adest consensus sufficiens; et cum, ut vidimus (n° 1172), necessarium non sit ut mutuatarius moneatur de titulo, nihil deest ut ratione lucri cessantis auctarium retineri possit. 2°. Nulla fit injustitia; non quidem materialis, cum a parte rei justus titulus existat;

non formalis, cum mutuans bona fide et justo animo procedat : ergo adesse nequit obligatio restituendi.

Alii contra negant in præfata hypothesi lucrum retineri posse. Ita Lessius, l. 2, c. 20, n° 104 et seq., qui excipit tamen casum quo mutuans intendit expresse lucrari omni meliori modo quo potest; Salmanticenses, c. III, n° 39; Billuart, art. VI, §. II, p. 282; Collet, n° 362, p. 350; Ballerini, cum aliqua tamen hæsitatione, t. II, *Vindiciæ*, c. X, n° 10, p. 62; S. Liguori, n° 773, et alii quos citat et sequitur D. Richard. Nituntur 1°. auctoritate SS. Pontificum et Conciliorum, a quibus præscripta est usurarum restitutio, absque distinctione, licet multis in casibus adesset bona fides et facilitas alio modo legitimo lucrandi : ea se præsertim moveri testatur Ballerini. Putamus tamen nimium non insistendum esse huic argumento negativo. 2°. Ex ratione. Nullus adest titulus vi cujus lucrum retineri possit : non vi mutui, ut constat ex dictis; non ratione bonæ fidei, ut mox ostensum est; non ratione contractus alioquin ineundi, siquidem quod non existit nullum producit effectum; non denique titulo lucri cessantis : in isto versatur præcipue difficultas; unde ulteriori probatione indiget. 1. Vera causa lucri cessantis non est mutuum, sed tantum ignorantia in qua versabatur mutuans. 2. Titulus ille non valet absque conventione, ut vidimus (n° 1172) : atqui hic nulla adfuit, ne implicita quidem. Non enim apparet quomodo dici possit voluntatem ferri in contractum de quo contrahens nullatenus cogitat : adest quidem intentio interpretativa, id est, mutuans vellet, si sciret; sed ea voluntas non sufficit ad efformandam conventionem, ut vidimus in parte I. Igitur existit quidem titulus, vi cujus posset mutuans convenire de auctario; sed ad illum non recurrit ex suo errore : contra reipsa percipit vi mutui, quod non potest esse titulus justus. Ita auctores citati.

Inter illas opiniones, hæc nobis statuenda viderentur, distinguendo varios ab invicem titulos quos respicere potest quæstio.

1°. Quando agitur de *lucro cessante*, si nihil aliud dici possit nisi quod mutuator, secluso errore, fuisset viam lucrandi legitimam adhibiturus, sed de illa propter errorem suum non cogitaverit, tunc dici nequit exstitisse titulum, sed solum exstiturum fuisse : cum ergo mutuatarius causa non sit cur non exstiterit, non putamus auctarium retineri posse a mutuatore. Si vero mutuator cogitaverit quidem de alia via, sed huic renuntiaverit propter suum errorem, non potest etiam auctarium retinere: est eadem ratio; mutuatarius non est causa lucri cessantis. Hæc duo vera sunt præsertim si non admittatur titulus destinationis lucrativæ (vid. n^is 1180, 1181). Hæc applicari possunt, proportione servata, quoad *damnum emergens*.

2°. Quando agitur de *periculo sortis*, si mutuator hujus existentiam non cognoverit, non potest auctarium retinere. Si vero cognoverit quidem periculum, sed non cogitaverit de lucro ratione illius exigendo, quia non existimabat se titulo extrinseco indigere, major adest difficultas: juxta DE LUGO, n° 183, dum mutuator scit quid ex parte sua det, nempe non solum mutuum, sed cum tali onere superaddito, et pretium exigit, non videtur exigere pretium pro solo mutuo in communi, sed pro mutuo hoc qualiter in his circumstantiis est; in toto autem hoc complexo, licet aliquid sit pro quo non potest auctarium exigere, aliquid est pro quo potest, nempe onus seu periculum : cum ergo ex parte sua velit ponere totum hoc complexum, videtur implicite velle pro toto hoc recipere sortem cum auctario; sicut si quis vendat equum cum suo fræno et aliis ornamentis 100 aureis, putans equum valere 90, poterit pretium retinere, licet postea compe-

riat equum non valere nisi 60, ornamenta autem 40, quia totum illud simul vendidit; ita in præsenti casu. Quamvis hæc probabilitate non careant, videtur tamen idem dicendum ac in priori casu. Ratio decisionis pro utroque desumenda est ex defectu conventionis : hanc omnino necessariam esse vidimus ubi *de Periculo* (n° 1186); porro hic nil aliud videmus quam voluntatem interpretativam, id est, inita fuisset conventio ratione periculi, si...., sed non inita est.

3°. Si admitteretur *titulus legis*, aliter de eo ratiocinandum esset ac de præcedentibus : tota enim vis illius desumenda esset ex parte legislatoris, independenter ab ulla conventione ex parte mutuatoris. Mutuator ergo qui de illo titulo non cogitasset quacumque ex causa, posset postea, eo detecto, vi illius auctarium retinere.

Cæterum in casibus variis in quibus mutuator ex defectu conventionis jus non habet ad auctarium retinendum, satis facile plerumque obtinere poterit condonationem mutuatarii : quamvis enim non fuerit vera causa cur mutuator lucrum non consequeretur per aliam viam, fuit saltem occasio; porro ita sæpe comparati sunt homines ut satis libenter compensent damnum cujus fuerunt occasio, præsertim quando exinde aliquod lucrum seu commodum ipsi perceperunt.

1316. Diximus 2°. *Nisi legitime præscripserit.* Quamvis enim circa usuras præscriptionem admitti posse neget Ballerini, t. II, *Vindiciæ*, c. X, n° 4, p. 59, idemque asseratur in *Collat. Ruthenens., de Justitia*, in-8°, p. 84, nullam videmus rationem cur usuræ non possent præscribi sicut alia debita. Duplici enim sensu concipitur hujusmodi præscriptionem invocari posse, vel tanquam medium se liberandi, vel tanquam medium acquirendi. Si 1°., cum alia non requiratur conditio quam tempus, et bona fides, potest utrumque adesse. Si 2°., sola difficultas

esse posset ex parte tituli; sed cum titulus sit simpliciter invalidus, non præcise vitiosus, ad præscriptionem debet sufficere. Hinc docebant olim jurisperiti non posse quidem per præscriptionem acquiri jus usuras percipiendi, quia reclamat perpetuo lex divina, posse tamen acquiri usuras jam perceptas, quia actio mutuatarii ad eas repetendas seu *condictio indebiti* perimitur elapsis triginta annis. Vid. DUNOD, *Tr. des Prescript.*, part. I, c. XII, p. 94, 95. Idem hodie dicendum putamus, quia licet lex de iis speciatim non loquatur, iis tamen applicatur dispositio generalis : et admittunt jurisperiti dari præscriptionem quoad usuras quæ fuerunt perceptæ contra legem, seu ultra taxationem legalem.

Ut autem determinetur quodnam requiratur spatium temporis, videndum an præscriptio spectetur ut medium acquirendi, an tantum ut medium se liberandi. Sub hoc ultimo respectu eam spectant jurisperiti, et aliter spectari nequit quando res in usuram accepta non possidetur, vel est mere fungibilis. In eo casu, cum lex nullum speciale tempus determinaverit, requiruntur triginta anni ad sensum articuli 2262. Distinguit quidem CHARDON, *du Dol*, t. III, n° 542 et seq., inter usuram palliatam et manifestam; et pro priori existimat hujus restitutionem obtineri debere per rescissionem conventionis sub qua involuta fuit, ideoque intra decem annos ad sensum articuli 1304. Verum existimamus in foro interno nec necessarium esse ut postuletur ea rescissio, quando satis constat lucrum quod perceptum fuit esse usurarium, nec proinde sufficere decennium ut a sua obligatione liberetur usurarius. Imo neque in foro externo admittendam esse hanc restrictionem docent DUVERGIER, n° 306, et TROPLONG, n^is 400, 401.

1317. Sed inquirendum superest, an præscriptio spectari possit etiam ut medium acquirendi, quando res ac-

cepta non est fungibilis, et præsertim si sit immobilis; ideoque an sufficere possit spatium triginta annis minus?

Si agatur *de re mobili*, videri posset applicandum esse art. 2279, ac proinde acquiri posse dominium post triennium, prout exposuimus in Compendio *de Justitia*, edit. II, n° 159. Sed potius dicendum articulum illum respicere casum quo possessor rem accepit a non domino, non vero casum quo accepit ab ipso domino, ut in eo de quo nunc agitur : tunc enim domino competit actio personalis in restitutionem seu indemnitatem; quæ cum nulla speciali lege limitata fuerit, extingui non potest nisi per præscriptionem generalem triginta annorum, prout diximus in Prælect. *de Justitia*, n° 452, et in eodem Compendio, n° 157 : ex quibus intelligetur id admitti etiam ab iis qui maximam extensionem tribuunt articulo 2279.

Sed si agatur *de bono immobili*, nihil obstare nobis videtur quin applicari possit præscriptio decem aut viginti annorum de qua art. 2265. Cæterum satis raro locus esse potest quæstioni, cum vix unquam usuræ solvantur per bonum immobile.

1318. II. Quoad usurarium *malæ fidei*, nulla est peculiaris difficultas. Debet restituere, non solum usuras quas recepit, sed et fructus naturales quos ex iis percepit, etiam in sententia eorum qui tenent eum acquisivisse rei acceptæ dominium, quia injuste acquisivit, et ideo non debet exinde lucrum percipere. Vid. *Collat. Ambian.*, t. III, p. 491 et seq.

1319. III. Quoad usurarium *dubiæ fidei*, dubium versari potest vel circa jus, si dubitet an usura sit iniqua, seu an talis contractus sit usurarius; vel circa factum, si dubitet an lucrum perceptum sit vi mutui, an ex donatione mutuatarii, seu alio titulo legitimo. Item vel dubium antecedit perceptionem usurarum, vel ei supervenit. In his omnibus casibus patet excutiendum esse dubium, si

possibile sit : quod si remaneat, quæstio solvenda est ex dictis in Tr. de *Justitia*, ubi *de Possessore dubiæ fidei*, et *de Damnificatore dubio*. Principium generale est, non posse rem retineri, quando dubium præcedit possessionem, posse vero quando possessioni jam incœptæ supervenit.

1320. II°. De *usurario* MENTALI. Non agitur hic de usura pure mentali, seu quæ ad effectum non transit, ut patet, sed de lucro percepto vi mutui, absque ullo pacto. Hanc usuram inducere obligationem restituendi constat, tum ex decisione URBANI III jam allata (n° 1141, p. 346), tum ex consensu theologorum. Sed explicandum habemus quomodo inducat : quod ut præstemus, in memoriam revocandum est eam usuram triplici ex parte se habere posse (n° 1160).

1°. Si usura mentalis versetur *ex utraque parte*, scilicet mutuantis et mutuatarii, adest obligatio restituendi. Usurarius retinere non potest titulo gratuito, cum neuter donationem intenderit, nec titulo oneroso, cum mutuum nullum jus transferat. Ergo, si unquam, in eo casu applicatur decisio Urbani III.

2°. Si usura mentalis versetur *ex parte mutuatarii* tantum, tenetur mutuans, quando illud detegit, restituere ut possessor bonæ fidei. Ratio est, quia lucrum retinere non potest titulo donationis, cum mutuatarius donare non intenderit; nec vi mutui, ut patet : ergo nullum jus habet.

3°. Si usura versetur *ex parte mutuantis* tantum, restituere tenetur ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu illa durat. Illud admittunt omnes, quia alioquin vellet detinere alienum vi mutui, quod est injustum. Quando errorem detegit, adhuc tenetur donec donationem acceptaverit, quia absque illa acceptatione donatio non valet, ut vidimus; ac proinde titulum non habet, cum requiratur utriusque partis consensus in eumdem contractum. Sed si donator non revocavit consensum et donationis capax

remanet, potest mutuans acceptare, et sic conjungentur duæ voluntates et perficietur donatio : secus vero, si donator revocavisset consensum, vel inhabilis ad donandum evasisset, ut ex principiis supra in parte I expositis facile deducitur.

Cæterum mirum videri non debet ex intentione mere interna determinari obligationem restituendi. Mera quidem intentio per se non inducit hujusmodi obligationem : potest vero inducere, quando influit in actum externum, ut in præsenti casu ; ex ea enim efficitur ut adsit vel non adsit contractus validus, et sic ut possit vel non possit retineri lucrum perceptum.

§. 2. *An et quatenus restituere teneantur usurarii hæredes, vel ejus causam habentes.*

1321. Plures hic comprehenduntur de quibus sigillatim dicendum, nempe de hæredibus naturalibus ; de legatariis aut donatariis ; de iis qui titulo oneroso contraxerunt cum usurario ; de uxore usurarii.

I°. *De hæredibus naturalibus.* Tenentur restituere ut ipsemet defunctus ; recipiunt enim sicut ejus bona, ita et ejus obligationes, ut dictum est in Tr. *de Justitia,* n^is^ 534 et 558. Idque expresse statuitur in jure canonico, speciatim ab ALEXANDRO III, ut jam retulimus (n° 1141, p. 345).

Sed 1°. *non tenentur* per se loquendo *ultra vires hæreditatis,* ut diximus *ibid.,* n° 563. Difficultas est solummodo quando non recurrerunt ad beneficium inventarii : quamvis enim asserat *Collat. Parisiens.,* t. III, l. VI, conf. IV, §. 3, p. 402, idem semper privilegium competere hæredibus quoad usuras ac si recurrissent ad beneficium inventarii, id nullo jure fundatur, nec ulli rationi aut auctoritati innixum videtur : SYLVIUS quem citat id nullatenus propugnat ; dicit eos cogendos esse in foro externo, sed putat non teneri in foro interno, q. LXXVIII, art. III,

q. VI, t. III, p. 553 : hæc est difficultas generalis, de qua diximus *ibid.*, nis 563 et 564.

2°. *Non tenentur* etiam *in solidum ; ibid.*, n° 567 : nisi vel rem alienam in specie habeant, quia *Res clamat domino;* quo in casu recursum habent erga cohæredes ad obtinendam compensationem : vel nisi hypotheca adsit, prout *ibidem* diximus.

Cæterum ut hæredes teneantur ad restitutionem, requiritur ut *vere et positive sciant*, lucrum fuisse perceptum absque titulo legitimo. Alioquin applicari debet axioma, *Nemo præsumitur malus, nisi probetur :* si enim sufficerent meræ suspiciones aut vani rumores, jam daretur locus nimiis anxietatibus ex parte omnium hæredum. Ita *Collat. Parisiens.*, t. III, l. I, in fine, 3e *Remarq.*, p. 37, quem citat et sequitur D. Bouvier, p. 423. Si graves occurrant rationes usuram præsumendi, eas mature expendat hæres: si peracto examine nihil vere probabile reperiat, securus maneat; si autem verum exsurgat dubium, tunc applicentur principia vel de possessore, vel de damnificatore dubio: sed ratio habeatur bonæ fidei in qua versari potuit ille de cujus hæreditate agitur; si enim in bona fide fuerit, etiamsi ipse hæres ab initio suæ possessionis versatus fuerit in dubio, poterit frui jure sui auctoris, ideoque ratiocinari quemadmodum in casu dubii possessioni jam initæ supervenientis. Illud non satis adverterunt quidam auctores. Vid. quæ diximus *de Justitia*, nis 1093 et seq., 1099, 1130.

1322. II° *De Legatariis.* Jam exposuimus supra (n° 576 et seq.) quatenus legatarii sive universales, sive titulo universali, sive titulo particulari, teneantur de debitis testatoris. Nihil peculiare in præsenti materia occurrit. Observabimus tantum, legatarium titulo particulari eatenus solum haberi posse ut liberum ab omni obligatione, quatenus cætera bona defuncti sufficiunt ad satisfacien-

dum tum reservationi legali, tum usuris restituendis, tum denique omnibus debitis.

1323. III°. *De Donatariis.* Qui per donationem inter vivos bona receperunt, ad nihil tenentur, quando donator tempore donationis bona habebat sufficientia ut usuras restitueret, si vellet. Tunc enim valide et absque ullius injuria donabat; et donatio semel valida est irrevocabilis, excepto casu reductionis, de quo diximus n° 534 et seq., et de quo hic non agitur. Sed si tempore donationis donator jam esset debitis suis solvendis impar, restituere tenetur donatarius, etiamsi non esset hujus impotentiæ conscius, prout jam in prima parte diximus, n^is 395, 396. Excipiendus tamen casus quo rem consumpserit nec ditior evaserit, quia tunc nullus superest restitutionis titulus. Ita *Collat. Parisiens.*, t. III, l. VI, conf. III, §. 13, p. 378, 379, et conf. IV, §. 3, p. 402.

1324. IV°. *De iis qui titulo oneroso contraxerunt cum usurario.* Eorum obligatio duplici ex parte spectari potest.

1°. Ratione *rei alienæ:* si nempe acceperint, etiam titulo oneroso, rem quam usurarius injuste obtinuerat, eam restituere tenentur, salvo suo recursu contra usurarium. Contractus enim, utpote de re aliena, non potuit hujus dominium transferre, ut ostendimus in Tr. *de Justitia,* n° 1040. Si usurarius fuerit bonæ fidei et rem vendiderit, adest difficultas specialis ex art. 1380, de qua supra (n° 672).

2°. Ratione *injustæ damnificationis.* Si per initos contractus etiam onerosos usurarius se imparem reddiderit restituendis usuris, qui scienter eos cum ipso iniit cooperatus est injustitiæ, ac proinde ad restitutionem tenetur. In eo casu versari possunt caupones, mercatores, etc., qui usurario quem norunt imparem suis debitis vendunt objecta ad comessationes, ebrietates, luxum, etc. Aliud dicendum si statum ejus bene perspectum non habeant,

aut si ea tantum suppeditent quæ ad strictam ejus sustentationem sunt necessaria. Ex eodem principio judicari potest quid de eo qui filiam usurarii in uxorem accepit, vel qui filios ejus habet in suo collegio, an possit recipere dotem, pensionem, etc.

Extra hos duos casus, ad nihil tenentur qui cum usurario titulo oneroso contraxerunt. Ita SYLVIUS, q. LXXVIII, art. III, quær. 2, t. III, p. 547, et post eum *Collat. Parisiens.*, t. III, l. VI, conf. IV, §. 4, p. 404 et seq. : utrumque citat et sequitur D. BOUVIER, p. 424, 425.

1325. V°. *De uxore usurarii.* Sub duplici pariter respectu considerari potest uxoris obligatio : ratione cooperationis ad usuras, et ratione communitatis bonorum.

1°. Si fuerit *usurarum mariti particeps*, ei suadendo, vel in ejus determinationem influendo, aut efficaciter cooperando in sensu quem mox explicabimus, tenebitur cum ipso ad restitutionem in solidum, juxta principia generalia : curare igitur debebit ut restitutio, si non fiat a marito, fiat ex suis bonis etiam propriis; per suam enim cooperationem contraxit obligationem personalem.

2°. Si vero non fuerit particeps, non tenetur ad restitutionem ex propriis bonis : sed teneri potest *quatenus partem habet in communitate* ad quam devolvuntur summæ per usuram perceptæ. Si nempe marito superstes sit et dimidiam partem communitatis accipiat, dimidiam partem usurarum restituere tenetur, quia hoc est onus annexum communitati seu bonis : sed ad alteram partem non tenetur; hæc obligatio incumbit iis qui alteram dimidiam partem bonorum recipiunt. Si vero timeat uxor ne ante suum maritum usurarium moriatur, dicunt multi eam debere testamentum condere quo medietatem usurarum restituat, ne hæc medietas ipsius nomine ad ejus hæredes transeat, qui forte non restituent. Ita PONTAS, v° *Usure*, cas XLV, quem citat et sequitur D. BOUVIER, p. 426 : qui tamen eam

excusat, si nonnisi difficillime testamentum valens condere, v. g., quia scribere nescit, et maritum vel liberos timet, hortetur fortiter suos hæredes ad hanc restitutionem; quia si hi non restituant, creditores non videntur id imputare posse uxori quæ habuit rationes sufficientes non recurrendi ad medium efficacius. Ita etiam LOGEROT, p. 163.

§. 3. *De cooperantibus ad usuram.*

1326. Qui injuste cooperantur usuræ debent restituere in defectum usurarii, ut patet. Ut autem dignoscatur quandonam cooperentur injuste, C. DE LUGO, n° 214, et *Collat. Ambianens.*, t. IV, p. 502, hanc tradunt regulam, quam approbat D. RICHARD. Illi, et quidem soli, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur, qui ita efficaciter cooperantur ut circa talem cooperationem mutuatarius sit graviter invitus. Ratio est, quia exinde dijudicandum an adsit injuria, necne. Usurarius peccat, quia licet mutuatario placeat quod ipsi mutuet, ipsi tamen displicet quod usuras exigat : aliorum autem cooperantium actiones non ita ei displicent. Sic qui cooperantur ex parte ipsius mutuatarii et in ejus gratiam, sane injustitiam erga eum non committunt; si restituere tenerentur, contra ipsum recursum haberent, quod repugnat. Igitur in casibus peculiaribus videndum an cooperatio sit efficax, et an sit invito domino.

1327. Hinc 1°. qui usurario *suadent* ut usuras exigat, vel illum *determinant* asserendo id esse licitum, tenentur ad restitutionem in ejus defectum. Si tamen consilium sit necessarium ut velit mutuare, quia non mutuaret sine usuris, non est invitus mutuatarius, quia primo loco optat mutuum, ideoque illi gratum est quod inducas usurarium ad mutuandum etiam sub usuris, quando consilium non est causa quod non mutuet gratis. Ita DE LUGO, n° 216.

1328. Hinc 2°. quoad eos qui *pecuniam dant usurario* ad usuras exercendas, multi dicunt ipsos incurrere onus restituendi, quia sunt usuræ participes. Attamen censent DE LUGO, D. XXV, n° 217, S. LIGUORI, l. 3, n° 786, cum aliis pluribus quos sequitur D. RICHARD, deponentem pecuniam non peccare contra justitiam, nisi usuram suadeat. Mutuatarius enim nedum illud ægre ferat, contra gaudet quod usurarius pecuniam in promptu habeat ut possit ei mutuare : porro deponens subministrat facilitatem mutuandi, sed non concurrit ad usuras; igitur injuriam non infert mutuatario. Attamen peccat contra charitatem, præbendo usurario materiam peccandi, nisi justa causa excusetur, ut observat BILLUART, diss. IV, art. VII, p. 291, et admittunt etiam illi qui non imponunt obligationem restituendi.

1329. Hinc 3°. *advocati* qui patrocinium usurariis præbent, *judices* qui mutuatarios ad solvendas usuras cogunt ultra taxationem legis, peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem; sunt enim causæ damni positivæ, efficaces, et injustæ. Si vero stent intra determinationem legis, communiter eos excusant theologi hodierni. Quamvis enim in pluribus conciliis, speciatim in concilio Viennensi (n° 1132), latæ sint pœnæ ecclesiasticæ, et ipsa excommunicatio contra communitatum rectores, consiliarios, officiales, etc., qui usuras solvere cogunt, satis receptum videtur his non attingi legislatores civiles qui lucrum ex mutuo permittunt, quia evidens non est quod non habeant causam sufficientem permittendi saltem in foro externo : hoc autem posito, excusari debent ii qui concurrunt tantum ad exsecutionem earum legum, quam declinare nequeunt, cum leges ab ipsis non pendeant.

1330. Hinc 4°. quoad *notarios* qui conficiunt contractus usurarios, videndum an conficiant juxta taxam legis, an

supra. Si 1°., non tenentur ad restitutionem : tum quia non tenentur scrutari, an mutuans habeat justum titulum, tum quia etiamsi cognoscerent non habere, ipsi habent rationem sufficientem agendi juxta legem. Si 2°., graviter peccant; sed ut dignoscatur an peccent contra justitiam, rursus distinguendum est. Vel efficiunt contractum in forma aperte usuraria, vel aliquomodo dissimulant. In priori casu, docent theologi eos non teneri ad restitutionem, quia tunc non sunt causa efficax damni, siquidem ratione talis scripti mutuatarius non cogetur solvere usuras. Ita DE LUGO, D. XLI, n° 20, ubi ait convenire inter omnes; SYLVIUS, q. LXXVIII, art. III, quær. VI, t. III, p. 554; BILLUART, p. 288; *Collat. Ambianens.*, t. III, p. 504, et alii. Excipiunt casum quo ex illo contractu nihilominus cogendus esset mutuatarius, quia licet tunc damnum oriatur præsertim ex malitia judicis, nihilominus verum est notarium huic cooperari. Ita ex sententia communi DE LUGO, *ibid.*, n° 21. Merito etiam excipit *Collat. Ambianens., ibid.*, casum quo mutuatarius illo contractu ligatum se crederet : tunc enim etiam notarius concurret ad damnum. In posteriori casu, id est, quando in scripto palliatur usura, rursus distinguendum, an ibi concurrat mutuatarius, necne. Si concurrat mutuatarius, adeo ut ex ejus consensu talis conficiatur contractus, non committitur erga eum injustitia, cum scienti et volenti non fiat injuria : applicatur principium ab initio expositum; mutuatarius est invitus quoad mutuantem, non vero quoad notarium. Si vero non concurrat mutuatarius nec consentiat, tunc adest injustitia, seu participatio ad injustitiam mutuantis. Ita communiter auctores mox citati, quibus addi possunt HABERT, c. XIV, q. 24°, p. 332; ANTOINE, q. XXI, p. 72; COLLET, n° 413, p. 362.

1331. Hinc 5°. quoad *famulos*, distinguunt theologi. Satis communiter docent eos qui nomine usurariorum

quærunt qui pecunia indigeant, qui ineunt contractus usurarios, usuras solvere cogunt, etc., teneri ad restitutionem. Attamen observat *Collat. Ambianens.*, p. 508, licet injustitiæ participent, vix mutuatarios intendere ut contrahant obligationem restituendi; saltem eos esse ita dispositos, ut facile ipsis condonent, servato recursu in dominos. Id saltem certum est de iis qui nonnisi remote concurrunt, v. g., pecuniam tradendam numerando, solutionem usurarum simpliciter accipiendo, in libros rationum inscribendo, etc.; a fortiori id dicendum de iis qui agunt ex parte mutuatarii, v. g., mutuatores quærendo, etc.

1332. Hinc 6°. si quis *domum suam locet usurario* ut tali cognito, dicunt non pauci eum incurrere onus restituendi, quia medium suppeditat quo artem usurariam exerceat, sicque cooperatur ad ejus usuras sicut ille qui præbet instrumenta actionis injustæ. Ita Sylvius, *ibid.*, p. 554; *Collat. Parisiens.*, t. III, l. VI, conf. IV, §. 6, p. 415, quos sequitur D. Bouvier, p. 428, quando usuræ sunt manifestæ. Verum nobis videtur cum de Lugo, D. XXV, n° 222, quem sequitur D. Richard, nimis remotam esse cooperationem, ut inducat obligationem restituendi; nisi forte usurarius exinde facilitatem peculiarem exercendi usuras obtineret : ita Vogler, n° 320. Cæterum pluribus conciliorum sæculi XIII et SS. Pontificum decretis vetitum erat ne domus locarentur usurariis manifestis : ita speciatim in concilio Lugdunensi II. Sed illæ prohibitiones erant tantum positivæ, nec ubique fuerunt in usu, aut saltem in desuetudinem abierunt.

1333. Hinc 7°. si usurarius creditori suo assignet solutionem petendam ab eo qui usuræ nomine tantumdem ei debet, censet Lessius, l. 2, c. 20, dub. 24, creditorem non posse repetere, quia non majus habet jus quam usurarius, qui nullum habebat, ac proinde nonnisi injuste

exigeret. Verum existimat DE LUGO, D. XXV, n° 227, hic applicari posse quod dicitur de famulis. Si solvere cogat, vel repetat ut aliquid sibi debitum, incurret onus restituendi. Sed si agat nomine usurarii, pecuniam repetens a mutuatario qui ei solvat quemadmodum solvisset usurario, nullam committit injustitiam : parvi refert mutuatarii an ipsi mutuanti solvat, an ejus delegato, et iste censetur recipere pro delegante, et deinde ab ipso delegante mutuo accipere, sicque vere non possidet alienum.

1334. *Nota.* Theologi, postquam locuti sunt de restitutione usurarum, agere solent *de Pœnis usurariorum.* Pauca nobis sufficiant.

I. *Ex jure ecclesiastico.* Multæ in SS. Canonibus decernuntur pœnæ contra usurarios. Decem enumerat DE LUGO, D. XXV, n° 238 et seq. Istæ sunt præcipuæ. 1°. Declarantur infames; quæ infamia transiit a jure civili ad jus canonicum, et tamen ex communi doctorum sententia, juxta de Lugo, n° 241, non restringitur ad usuras lege civili prohibitas. 2°. Ratione hujus infamiæ sunt irregulares ad officia et beneficia. 3°. Non sunt admittendi ad communionem altaris, imo nec ad oblationes in Ecclesia faciendas. Observat tamen COLLET, n° 423, p. 365, eos non esse ex toto excommunicatos ex jure communi, licet particularibus locorum statutis sæpe excommunicentur; in multis enim conciliis particularibus statutum fuit ut singulis dominicis declararentur excommunicati, illudque in multis diœcesibus fuerat in ipsa formula pronai insertum. Plura in eo sensu citat aut indicat PAGÈS, t. II, p. 471 et seq. 4°. Privandi sunt sepultura ecclesiastica.

Sed advertunt auctores varias hujusmodi pœnas non infligi nisi usurariis notoriis. Quid autem per illam notorietatem intelligendum sit, et qualis requiratur, pertinet ad Tr. *de Censuris.* Cæterum facile intelligitur hodie vix locum esse applicandi in praxi has pœnas.

II. *Ex jure civili.* Si usura non sit supra taxationem legalem, facile intelligitur ex dictis nullam hodie pœnam incurri. Sed si mutuans non stet intra limites hujus taxationis, tunc ex art. 3 legis 3 septembr. 1807 cogi debet ad restituendum quod ultra percepit, et ex art. 4 : « Tout « individu qui sera prévenu de se livrer habituellement à « l'usure, sera traduit devant le tribunal correctionnel, « et, en cas de conviction, condamné à une amende qui « ne pourra excéder la moitié des capitaux qu'il aura « prêtés à usure. S'il résulte de la procédure qu'il y a eu « escroquerie de la part du prêteur, il sera condamné, « outre l'amende ci-dessus, à un emprisonnement qui ne « pourra excéder deux ans. » Igitur ad incurrendas pœnas lege sancitas non sufficit factum usuræ immodicæ, sed requiritur consuetudo, *l'habitude.* Quandonam autem hæc sufficienter adsit, relinquitur arbitrio judicum : lex satis indicat, inquit Chardon, *du Dol,* t. III, n° 499, non sufficere duo facta, quia consuetudo plus dicit quam simplex relapsus, qui in sensu legum dicitur simpliciter *Récidive,* ut observat Petit, *Tr. de l'Usure,* p. 143; si quatuor facta occurrerent temporibus non nimio intervallo distantibus, jam juxta eumdem dici posset consuetudo; *ibid.,* p. 144. Ut autem constet de hujusmodi factis non requiruntur probationes ordinariæ obligationum, quales antea assignavimus (n° 458); sed sufficere potest probatio testimonialis, imo et variæ præsumptiones. Ita contra quosdam strenue propugnat Chardon, n° 520 et seq., et testatur Troplong, n° 405, in eo sensu afferri posse doctrinam jurisperitorum, et praxim tribunalium.

Art. 5. *De statu præsenti controversiæ circa usuram, et de regulis in praxi servandis.*

1335. Ex iis quæ in toto capite diximus, tum in exponenda controversiæ historia, tum in ea discutienda, intel-

ligi potest de tribus præcipue moveri quæstionem; nempe de auctario percepto 1°. ex mutuo consumptionis stricte sumpto; 2°. ex mutuo quod dicunt negotiationis; 3°. vi legis civilis. Porro circa hæc tria, ex iis quæ attulimus ista concludere posse nobis videmur.

Circa I^um^, id est, *lucrum ex mutuo consumptionis* stricte sumpto, ostensum est 1°. illius absolutam prohibitionem pertinere ad doctrinam præsentem Ecclesiæ, quæ nobis exhibetur in Encyclica Benedicti XIV, cujus auctoritatem et sensum comprobavimus; 2°. eamdem esse doctrinam Ecclesiæ saltem a sæculo XIII : ita enim docuerunt non solum theologi, sed Concilia et SS. Pontifices; et quidem tam aperte ut illud agnoscere cogantur plures ex ipsismet adversariis.

His autem duobus semel positis, ulterius progredimur; et hæc consectaria exinde naturaliter deducimus.

Hinc 1. sequitur non aliud docuisse SS. Patres et Concilia priorum sæculorum, quæ proinde merito in confirmationem nostræ assertionis attulimus. Etenim omnino repugnat ut Ecclesiæ doctrina mutata fuerit circa punctum tanti momenti, quod adeo proxime morum informationem respicit; hujusmodi mutatio conciliari nequit cum infallibilitate Ecclesiæ, et apostolicitate quæ ei necessario competit, non minus ratione doctrinæ, quam ratione ministerii.

Hinc 2. sequitur testimonia Scripturæ Sacræ intelligenda esse sensu a nobis allato. Ecclesia enim, ad quam pertinet Scripturam interpretari, manifeste ea nititur ad suam doctrinam stabiliendam. Sic corroborantur variæ probationes a nobis adductæ.

Hinc 3. sequitur non ita mirum esse quod sic pronuntiaverit BOSSUET, prop. v, p. 676 : « La doctrine qui dit « que l'usure, selon la notion qui en a été donnée, est « défendue, dans la loi nouvelle, à tous les hommes en- « vers tous les hommes, est de foi. La raison est, qu'elle

« est fondée sur l'esprit de la loi nouvelle, reconnu par « tous les chrétiens, et sur des passages formels de l'Écri- « ture, entendus en ce sens unanimement par tous les « Pères et par toute la Tradition, ce qui est la vraie règle « de la foi reconnue dans le concile de Trente; et enfin « sur des décisions expresses des conciles, même univer- « sels, et des Papes, reçues de toute l'Église avec toutes « les circonstances qui accompagnent la condamnation « des hérésies, et jusqu'à dire que ceux qui défendront « opiniâtrément cette erreur seront traités comme héré- « tiques. Aussi n'y a-t-il que ceux qui ont méprisé la « tradition et les décrets de l'Église qui ont combattu cette « doctrine.... Tous les théologiens catholiques qui ont « écrit de cette matière, reconnoissent unanimement que « ce qui a été ici assuré est de la foi. »

Hinc 4. intelligi potest quid sentiendum de libro D. La Luzerne, qui adeo manifeste contradicit doctrinæ præsenti Ecclesiæ, arma subministrat ei qui vellet auctoritatem illius et infallibilitatem subvertere, et plura continet, nempe de doctrina vigente a sæculo XIII, quæ abunde sufficiunt ut cætera plane confutentur, ea scilicet quæ asserit de doctrina priorum sæculorum.

Hinc 5. intelligi potest pariter quid sentiendum de libro Mastrofini. Si ipsam hujus doctrinam inspiciamus, ex iis quæ passim ex eo attulimus potest lector, ni fallimur, judicium suum sufficienter efformare. Quid vero, si attendamus ad ejus conclusionem, quam exhibet l. III, c. VII et VIII, ubi conatur ostendere totam disputationem de usura esse meram logomachiam seu controversiam de nomine, in eo sensu quod impugnatores et defensores usuræ verum ex utraque parte dicant, sed sub diverso respectu (nis 646, 654, etc.), unde deducit (nº 675) præfigi posse controversiæ hanc epigraphen : *Concordia discors?* Si ad id attendamus, non solum mirabimur po-

tuisse auctorem serio asserere a tam multis et præclaris scriptoribus tam multa fuisse prolata circa meram logomachiam, sed et supponemus eum non animadvertisse hæc verba Benedicti XIV, episcopos alloquentis in sua *Encyclica*, §. 10 : *Vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus qui dictitant de usuris, hoc tempore, quæstionem institui quæ solo nomine contineatur.*

1336. Circa II^um^, id est, *lucrum ex mutuo* quod dicunt *negotiationis*, ex iis quæ attulimus concludendum existimamus quæstionis solutionem repetendam esse potissimum ex Benedicto XIV. Porro nobis videtur, ex una parte pro certa habendam esse auctoritatem illius Encyclicæ; ex altera, solide adstrui ex ea Encyclica, attenta præsertim expositione ab ipso auctore allata, prohibitionem lucri ex mutuo negotiationis percepti. Ut ergo attingamus scopum quem in præsenti articulo intendimus, videndum erit an quidquam occurrat quod vel auctoritatem Encyclicæ labefactet, vel ostendat eam in alio sensu explicandam esse; aut saltem aliquid ex quo deduci possit hæc duo non esse ita clara et aperta, ut utrumque, vel saltem alterutrum, non possit bona fide, et salvo obsequio Ecclesiæ debito, in dubium revocari.

1337. Circa III^um^, id est, *auctarium perceptum vi legis*, satis patet ex modo quo quæstionem exposuimus et solvimus, nos eam non habere tanquam definitam. Et revera ex una parte, hunc titulum admittunt non pauci theologi catholici, et quidem ex argumentis non spernendis; ex altera, qui hunc rejiciunt nullam afferunt definitionem certam et generalem, nullamque rationem quæ cum majori vel minori probabilitate solvi non possit. Unde jamdiu docuimus hic controversiam versari intra limites merarum opinionum : quanto magis nunc, post responsiones Romanas de quibus mox!

1338. His tribus positis, exponendum superest quid

ex variis Responsis Romanis, de quibus ab initio locuti sumus (n° 1118), concludi possit aut debeat, sive quoad ipsam controversiam theorice spectatam, sive quoad agendi rationem in praxi tenendam. Ut autem illud melius perspiciatur, expedit ut præ oculis habeantur illa Responsa; ea igitur accurate colligemus in *Appendice* ad calcem capitis ultimi; iis præmittemus Encyclicam Benedicti XIV et varia Responsa quæ eam subsecuta sunt, ut sic quasi uno intuitu conspici possint documenta recentiora Sedis Apostolicæ, quibus potissimum nos dirigi expedit ad solutionem hujus *immensæ* quæstionis, ut eam vocat D. Alois. Fransoni, archiepiscopus Taurinensis in opusculo a nobis memorato (n° 1118, p. 288). Speramus id eo magis jucundum et utile fore lectoribus, quod ex una parte nullibi occurrant universa hæc documenta sic sub uno intuitu proposita; et ex altera, quædam hic legantur parum adhuc nota, et etiam omnino inedita.

1339. Itaque postquam divulgata sunt Responsa Romana ab an. 1830 emissa, non in eodem sensu ab omnibus fuerunt intellecta, nec ex iis eadem consectaria omnes eduxerunt[1]. Quidam docuerunt aut docere visi

[1] *Non defuerunt imprudentes*, inquit D. Archiepiscopus Tolosanus, *Instr. cit.*, p. 2, 3, qui *dicere non dubitaverunt jam de usura actum esse, et ea de re nec in sacro pœnitentiæ tribunali interrogandos fideles, nec ad populum verba facienda, nec in hoc delinquentes corripiendos, nec inquietandas quæ feliciter indormiunt conscientias.* Porro, subdit Illustr. Præsul, *quanta inde malorum labes sit oritura, facile ab omnibus intelligitur.* Quidam *haud consentanea constanti Ecclesiæ doctrinæ S. Pœnitentiariæ decreta arbitrantes, eo usque processerunt, ut illos non puduerit in Romanas Congregationes vehementius invehi*; horum *ardentiorem et imprudentem zelum cohibere* voluit Illustr. Præsul. Tandem *hæretici.... felicem arbitrati sunt occasionem se nactos esse catholicam Ecclesiam arguendi, non sibimetipsi in doctrina constitisse.* « Plures « ad nos directæ sunt epistolæ, inquit idem Præsul, p. 4, *Nota*, « quibus recentiores Romani Pontifices arguuntur tanquam amplec« tentes tandem Calvini, Salmasii, Molinæi, Grotii, de mutuo et usura

sunt cum iis jam stare non posse antiquam, seu, ut vocant, rigidam et severiorem doctrinam circa usuram; et, iis admissis, Encyclicam Benedicti XIV jam exhiberi non posse ut judicium dogmaticum Ecclesiæ a quo vel minimum recedere non liceat. Alii exinde argumentum eduxerunt in gratiam probabilismi, existimantes ea Responsa cum probabiliorismo neutiquam conciliari posse[1]. Alii alio sensu intellexerunt, et quidem non eodem omnes fine: inter eos enim qui ex iis gravioris momenti consectaria eduxerunt, quidam id intendebant ut exinde hæc consectaria firmarent et admittenda comprobarent; quidam vero contra, ut ex consectariis quæ omnino respuenda putabant ipsarum Responsionum vim et auctoritatem everterent, asserentes nempe iis omnino anteponendam esse doctrinam Benedicti XIV; quidam demum simpliciter asserentes non esse recedendum a Benedicti XIV doctrina, quia nihil ad id cogit, si hæc doctrina cum præfatis Responsis

« doctrinam. » Quasdam hujusmodi litteras et nos quoque conspeximus ad alios directas, sed quæ certe manu aliorum quam hæreticorum fuerant conscriptæ.

[1] Vid. *Lettres de M. l'abbé* Th. Gousset.... *à M. le curé de***....*, p. 142; *Diss. de Probabilismo*, Anicii, 1833, 20 pp. in-8°, p. 17, et *Tract. de Conscientia*, Anicii, 1834, 46 pp. in-8°, p. 40. Sic loquitur auctor duorum istorum opusculorum, tunc vicarius generalis Aniciensis, ex hinc parochus in diœcesi Sanflorensi: « Pro eadem doc- « trina (probabilismi) stetisse constat Fel. Rec. Pium papam VIII. Qui « fit etenim, ut iis non denegandam decreverit absolutionem, qui, vi « solius legis civilis, lucrum percipiunt ex mutuo? An forte legem « civilem justum reputabat titulum istiusmodi lucri percipiendi? Mi- « nime profecto, prout a teste et optime edocto et omni fide digno « accepimus; sed apprime noverat hunc titulum nunquam fuisse ab « Ecclesia solemni decreto proscriptum;.... quapropter opinionem « lucro legali, ex mutuo proficiscenti, faventem, probabilitate quadam, « saltem extrinseca, destitutam non existimabat, adeoque, etsi illam « minus probaret, tamen, donec a S. Sede supremo judicio damnata « esset, quominus in praxim deduceretur vetare sibi æquum non « videbatur. » Addere possemus pariter ex testimoniis fide dignis neque Gregorio XVI probatum fuisse legis civilis titulum.

conciliari possit; si autem conciliari nequeat, auctoritas judicii a prædicto S. Pontifice lati longe præstat Responsis quæ nullum judicium includunt, sed ad summum in futurum prænuntiant.

Inter hæc, non loquemur de iis Responsis in ordine ad probabilismum, de quo in præsenti non agitur; sed tantum in ordine ad controversiam de usura, et expendemus, 1°. utrum ex his infirmari possit auctoritas Encyclicæ Benedicti XIV circa usuram; 2°. utrum saltem infirmari possint argumenta quæ desumpsimus ex doctrina Benedicti XIV circa usuram; 3°. quonam sensu intelligenda sint præfata Responsa; 4°. demum quænam regulæ servandæ sint in delectu et applicatione variarum opinionum circa quæstiones ad usuram spectantes.

1340. I°. *Utrum ex novissimis Responsis Romanis infirmari possit auctoritas Encyclicæ Benedicti XIV circa usuram?*

Quidam, ut modo diximus, id affirmarunt aut affirmare visi sunt: seu potius, occasione horum Responsorum, Encyclicam labefactare conati sunt variis observationibus, etiam aliunde quam ex Responsis hisce desumptis, sed quarum discussionem ideo huc remisimus (n° 1127). Hæc igitur opponunt, quæ respiciunt primo Encyclicam; deinde Responsa præfata; tandem comparationem quam instituunt inter utrumque.

1°. *Quoad ipsam Encyclicam,* duplici modo, inquiunt, spectari potest. — 1. Si *in se* spectetur, haberi non debet necessario ut judicium dogmaticum et irrefragabile. In eo enim dignoscitur tale judicium, quod cum auctoritate definiat aliquam doctrinam, et Ecclesiæ proponat veritatem quæ sit admittenda, vel errorem qui sit rejiciendus. Porro nil tale occurrit in Encyclica. Primum non ad totam Ecclesiam, sed ad solos Italiæ ordinarios dirigitur. Deinde Benedictus XIV nihil definit; refert solummodo quædam puncta quæ unanimi consensu probaverunt cardinales,

theologi, et canonistæ quorum consilium postulaverat, et addit : *Adprobamus et confirmamus quæcumque in sententiis expositis continentur*. Jam vero talis approbatio multum differt a definitione dogmatica. Insuper cur ita confirmat? « Cum, inquit, scriptores plane omnes, theo-« logiæ et canonum professores, plura sacrarum littera-« rum testimonia, Pontificum decessorum nostrorum « decreta, Conciliorum et Patrum auctoritas, ad eas-« dem sententias comprobandas *pene conspirare videan-« tur*. » Hæc certe definitionem non sapiunt : non enim ex meris apparentiis seu probabilitatibus definitiones dogmaticas efformat Ecclesia. Tandem admonet quidem episcopos ut omnem sollicitudinem impendant *Ne quis in* suis *diœcesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere*, et *si quis parere detrectaverit, illum obnoxium et subjectum* declarat *pœnis per sacros canones in eos propositis qui mandata apostolica contempserint ac violaverint* : sed ibi non loquitur de definitione apostolica, sed de *mandato*, seu præcepto. Porro hæc duo valde differunt ab invicem : sic adest præceptum apostolicum ne quis loquatur contra Immaculatam Conceptionem B. M., et tamen nulla adest definitio; et non raro de rebus multo minus certis imperatur silentium, nempe ad vitandum scandalum, vel propter alia motiva. Hic insuper mandatum non respicit nisi diœceses Italiæ. Ex his omnibus concludunt Encyclicam habendam esse, aut saltem haberi posse, non ut definitionem dogmaticam, sed ut mandatum apostolicum, quo Sedes Apostolica tradere voluit regulas prudentiæ in praxi sequendas, ut præcaveretur malum quod alioquin occasione controversiæ in Italia exortæ potuisset vires magis acquirere et latius serpere.

2. Si ratio habeatur *eorum quæ Encyclicam subsecuta sunt*, omnibus notum est, et ex ipsa expositione historica quam ab initio texuimus satis manifestum, ab eo tempore

multa prodiisse scripta, multas prolatas fuisse sententias, quæ plus minusve aperte repugnant Encyclicæ : nonnulla quidem omnimodam ejus auctoritatem detrectant; plura autem eam detorquent ad sensus omnino extraneos, et a mente auctoris sat manifeste alienos : nec tamen Ecclesia opera illa damnavit, aut theologos illos e sinu suo repulit : ergo existimatum non est ea Encyclica contineri judicium solemne quod eludere nefas sit.

2°. *Quoad Responsa Congregationum Romanarum*, non minori præfulgent auctoritate ac ipsa Encyclica. Nam 1. plura ex ipsis eodem gaudent privilegio confirmationis apostolicæ ac sententiæ theologorum de quibus in Encyclica. 2. Plura ex iisdem in compendium redacta ab ipsis SS. Congregationibus, ad omnes interrogantes tanquam regula tuta et uniformis mittuntur, jussu ipsorum SS. Pontificum, non in Galliam tantum unde profectæ sunt priores consultationes, sed in Italiam et in omnes orbis catholici regiones. 3. Ubique summo plausu excepta fuerunt. Episcopi ea proponunt confessariis in praxi sequenda, aut saltem ea in suis diœcesibus applicari sinunt. Ergo in dubium revocari nequit eorum auctoritas. « Quelle autorité, inquit D. Boyer, *Défense....*, c. v, « art. 2, p. 63, faut-il accorder aux réponses du S. Office? « La plus grande qui puisse appartenir à la décision d'une « autorité ecclésiastique qui n'est pas l'Église univer- « selle : » quod postquam pluribus ostendit, tandem sic concludit : « On citeroit difficilement dans l'histoire eccléc- « siastique, des réponses ou décrétales des Papes dignes « de plus de respect, par l'autorité qui leur vient de l'im- « portance du sujet et de l'assentiment présumé des « Églises. » Hæc pluribus evolvit in alio opusculo, *Lettre à un théol. de Province*, art. 1, p. 9 et seq.

3°. His duobus positis, seu *comparatione instituta* inter Encyclicam et præfata Responsa, concludunt iidem auctores

non irrefragabilem esse Encyclicæ auctoritatem. 1. Quia si cum ea conciliari non possent Responsa Romana, ista prævalere deberent : aut saltem qui rerum cursum prout eveniunt perspectum habuerit, facile prænuntiare potest ea de facto in praxi prævalitura esse. 2. Idem ex ipsis Responsis educi a quibusdam sic exponit D. Boyer, *Lettre....*, art. II, §. 2, p. 22 : « Est-il bien vrai que « l'Encyclique *Vix pervenit* est avouée et reconnue par « tous comme une de ces bulles dogmatiques dont on ne « peut contredire le texte sans hérésie? Il y a de bons « esprits qui en doutent, et, sans me prononcer pour « eux, ils ne sont pas à mes yeux des pécheurs publics « indignes des sacrements. Voici sur ce point leur pro- « fession de foi. Ils déclarent ne pas connoître dans le « droit commun de décrétale plus respectable....; tou- « tefois ils croient pouvoir émettre avec modestie des « doutes sur son autorité irréfragable, pour les raisons « suivantes.... Parmi les consultations et les réponses du « S. Siége.... où la Bulle de Benoît XIV est si souvent « relatée et mise en cause, vous n'en trouvez pas une « où elle soit citée comme règle de foi; je crois y voir le « contraire. Le docteur Avvaro, partisan du prêt mitigé, « va au devant de l'objection prise de la Bulle de Be- « noît XIV; et entre autres réponses qu'il y fait, j'en « remarque une, c'est la troisième, où il suppose que « Benoît XIV n'a parlé dans cet acte que comme docteur « privé. Il est vrai que souvent Rome, dans sa réponse, « renvoie à cette Bulle; mais aussi où trouver une autorité « plus digne que celle-là d'être alléguée en théologie? Le « Saint Siége, dit-on, consulté sur l'autorité de cette « Bulle, en a dit qu'elle regarde toute l'Église. Mais s'il « la tient pour une Bulle dogmatique, pourquoi ne pas « le dire clairement à ceux qui l'interrogent sur ce point? » Hinc Ill. Archiepiscopus Tolosanus, *Instr. cit.*, p. 12, sic

loquitur : « Utrum litteræ encyclicæ *Vix pervenit*, conti-« neant judicium definitivum cui nemini liceat assensum « denegare? Istud absolute asserere abstinemus, ne forsan « eas prudentiæ et moderationis partes, quas supra ne-« cessarias diximus, deserere videamur. » Ergo, etc.

1341. Verum non putamus hæc omnia sufficere ut infirmetur auctoritas Encyclicæ. Quædam fuere jam præoccupata quando de ea sermonem habuimus (speciatim n° 1125). Cætera, ut speramus, corruent ex iis quæ nunc adjungemus.

1°. Quæ hic objiciuntur intacta relinquunt argumenta quæ desumpsimus tum ex opere *de Synodo diœcesana*, quod non æquiparamus quidem Encyclicæ, sed quod invictæ auctoritatis esse putamus quando auctor testatur quænam fuerit mens ipsius et intentio in Encyclica conscribenda; tum ex agendi ratione SS. Pontificum subsequentium, imo, dicere possumus, et totius Ecclesiæ quoad eam Encyclicam.

2°. Si ipsa Encyclica in se spectetur, satis manifestum videtur ea contineri, non legem disciplinæ, sed judicium dogmaticum, seu, ut forsan accuratius loquamur, dogmatico-morale : scilicet non agitur hic quidem præcise de veritate aut errore speculativis, quæ proponantur fidelibus velut objectum directum assensus intellectualis; sed tamen agitur de doctrina morum, seu de regula in praxi sequenda, et quidem non tanquam ex mera voluntate positiva Ecclesiæ deducta, sed ex jure divino et naturali per Scripturam et traditionem innotescentibus desumenda et de facto desumpta : id pariter ostensum est (n^is^ 1125 et 1126). Jam vero hoc semel perspecto, haud magni ponderis videbuntur quæ in contrarium afferuntur ex forma Encyclicæ. Quocumque enim modo, quacumque forma nobis innotescat doctrina Ecclesiæ, huic adhærere debemus : ex doctrina Ecclesiæ nobis præsto est interpretatio juris

naturalis et divini, cui omnino stare tenemur, independenter a formis quæ circa legum disciplinæ confectionem, promulgationem, etc., requiri possunt.

Cæterum haud ita difficile videtur explicare cur forma Encyclicæ diversa appareat ab ea quæ in plerisque judiciis dogmaticis SS. Pontificum solet adhiberi. Quicumque fuerit in perlegendo Benedicti XIV *Bullario* versatus, non ignorat eruditum Pontificem, etiam quando munus implet supremi *omnium christianorum doctoris*, non solere judicis instar breves proferre sententias, sed libenter de subjecta materia disserere, et quidem satis fuse, nec sine lectorum suorum lucro. Quid ergo mirum, si paululum recessisset a *forma* suorum prædecessorum? Sed insuper perpendamus peculiares Encyclicæ circumstantias. Occasione cujusdam contractus individui (quod non satis advertere videntur adversarii), exsurgit controversia, ob quam nonnullæ per Italiam disseminantur sententiæ quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ videntur. Malo mederi vult S. Pontifex pro suo apostolico munere : nec tamen intendit de peculiari contractu pronuntiare, cum plura ad id desint documenta; non intendit etiam, pro consueta Sedis Apostolicæ et sui ipsius speciatim moderatione, judicium ferre nominatim de auctoribus quibus tribui possunt illæ sententiæ. Quodnam igitur consilium suscipiet sapientissimus Pontifex? Illud ipsum *quo Sedes Apostolica semper uti consuevit :* rem totam explicat nonnullis cardinalibus, accitis etiam pluribus theologis et canonistis, quibus præcipit *ut certam de usuris doctrinam constituant;* deinde eorum sententias excipit, privatum studium suum confert in iis percurrendis; eas postremo adprobat et confirmat, non damnando quidem *auctores* sibi cognitos *quibus contrariæ sententiæ referri debent, qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam seu occasionem præbere videntur,* sed eos hisce verbis sufficienter perstringendo, et laudibus pro-

sequendo theologos qui defensionem veritatis susceperunt : tandem hæc omnia communicat ordinariis Italiæ, ut iis præsto sit norma quam sequantur in synodis celebrandis, ad populum verba faciendo, vel eum sacris doctrinis instruendo, et cujus ope reprimant qui contrarium docere auderent; addendo plures prudentiæ regulas et remedia opportuna ne turbatio in eorum diœcesibus concitetur, vel puritas sanæ doctrinæ corrumpatur. In his sane nil videmus nisi plane obvium et naturale, et ad attingendum scopum quem intendebat S. Pontifex idoneum, nempe ad tuendam sanam doctrinam et tradendas regulas morum circa usuras : nihil quoque unde concludi possit Encyclicam non esse judicium dogmaticum in sensu quo exposuimus.

Neque id magis concludendum ex quibusdam verbis in ea adhibitis, quæ satis facile explicari possunt.

1. Si Benedictus XIV loquatur de *mandato* apostolico, dici potest hanc esse vocem generalem, qua designari possunt quæcumque præcepta, sive dogmatica, sive disciplinaria; in ipso enim judicio dogmatico et præceptum includitur : hic autem eo potiori jure potuit adhiberi vox illa, quod non agatur, ut diximus, de judicio mere dogmatico, sed dogmatico-morali, et ad praxim spectante. Et revera in ipsis Responsis Romanis sæpius eadem vox adhibetur, *Dummodo parati sint stare mandatis;* ita in responso ad mulierem Lugdunensem (n° 1409); item de judice Ruthenensi (n° 1413); ad capitulum Locarnense (n° 1419); ad episcopum Vivariensem (n° 1423); ad episcopum Nicæensem (n° 1426) : dum in aliis sermo habetur de *S. Sedis definitiva decisione cui parati sint se subjicere*, ut in responso ad D. Denavit (n° 1415) : tandem in responso ad D. Gousset (n° 1414) utraque vox indistincte adhibetur.

2. Quoad illa verba, *Cum scriptores plane omnes*, Sacrarum Scripturarum testimonia, etc., *pene conspirare* VIDEAN-

TUR, quid vetat ne per hæc intelligatur : *On voit les écrivains, etc.*, quemadmodum vertit BLAZY, *Quest. neuves....*, p. 136, non vero, *les Écrivains paroissent?* vel, si id non placeat, dicendum erit verbum illud adhiberi, non quasi secundum apparentias tantum his testimoniis corroborentur sententiæ de quibus loquitur Benedictus XIV, sed quia ita concordant inter se ut videri possint *pene conspirare* ad comprobandas sententias, seu quasi ex compacto fuisse in earum confirmationem conscripta? Quidquid sit, non putamus per hujusmodi ratiunculas determinari debere auctoritatem et vim Encyclicæ, quæ multis aliis argumentis longe validioribus satis innotescunt.

1342. — 3°. Si transeamus ad Responsa Congregationum Romanarum, nihil in iis occurrit quod infirmet auctoritatem Encyclicæ. Etenim 1. quo magis extollitur eorum auctoritas, eo magis apertum efficitur ea non posse Benedicto XIV contradicere : nullatenus enim supponi potest SS. Pontifices qui a Benedicto XIV ad nostra usque tempora, modo ejus doctrinam ut agendi normam proposuerunt, modo has responsiones confirmarunt, sibi invicem adversari. Pro certo teneri potest noluisse has Congregationes a doctrina Benedicti XIV recedere : nobis perspectum est card. DE GREGORIO, Majorem Pœnitentiarium, cum accepisset consultationem in qua quærebatur an variæ illæ responsiones derogarent decisioni Benedicti XIV, nullatenus eam expendendam proponere voluisse, utpote S. Sedi injuriosam. 2. Nullibi declaratur in his Responsis, Encyclicæ Benedicti XIV non eam competere auctoritatem quam ei tribuimus, ut patet ex eorum inspectione; eatenus ergo ex iis aliquid tale concludi posset, quatenus aliquid decernerent quod cum Benedicti XIV doctrina conciliari non posset : porro mox ostendemus non ita esse; interim illud a priori concludere possumus, tum ex eo quod illa ipsa Responsa ali-

quando remittant ad Encyclicam Benedicti XIV, v. g., illud quod dirigitur ad capitulum Locarnense (n° 1419), tum ex expresso responso S. Officii ad parochum Augustodunensem (n° 1425), et Majoris Pœnitentiarii ad episcopum Bajocensem (n° 1424). Hinc Ill. Episcopus Bellicensis, quem nemo putavit voluisse auctoritati Responsorum detrahere, expresse ait : « Jamais la pensée ne nous est « venue d'affoiblir l'autorité de l'Encyclique.... L'Ency- « clique et les décisions méritent au même degré notre « respect et notre soumission ; parce qu'elles émanent de « la même autorité.... Les Congrégations du S. Office et « de la S. Pénitencerie, ainsi que les papes Pie VIII et « Grégoire XVI, ne se sont certainement pas mis en « contradiction avec Benoît XIV. » (*Circulaire....*, §. II, *Rit. de Belley*, t. I, p. 545, 546.)

1343. — 4°. Nihil etiam concludi potest ex iis quæ ex D. Boyer retulimus. Ex una parte, plura ibi occurrunt non satis accurata. Sic falso supponitur quæstionem esse, an Encyclica tali polleat auctoritate ut ei *absque hæresi* contradici non possit ; nemo id asseruit : nec etiam utrum sit *regula fidei ;* id etiam non asseritur, prout jam observavimus (n° 1125). Sic etiam prorsus immerito affirmatur, supponi in consultatione doctoris Avvaro Benedictum XIV in sua Encyclica non loqui nisi ut doctorem privatum : cuique enim legenti tertiam responsionem, quæ citatur, manifestum erit ibi non agi nisi de *Synodo*, dum in quarta responsione, quæ respicit Encyclicam, alia prorsus via initur, dicendo mutationem circumstantiarum aliquam induxisse variationem, non circa principia, sed circa eorum applicationem. Ex altera parte, non dicit D. Boyer se iis assentiri quorum opinionem exponit, et supponit eos magna nihilominus reverentia prosequi Encyclicam : « Ils « blâment ces théologiens hardis qui, loin de s'incliner « avec révérence devant une pareille décision, de s'effor-

« cer de l'expliquer, de la concilier avec leur doctrine, « n'en sont pas émus, ont l'air de s'inscrire en faux « contre elle comme s'ils n'avoient en tête qu'un théolo- « gien ordinaire. » (*Lettre....*, p. 22.)

1344. — 5°. Tandem operæ pretium est accurate exponere quænam sit mens Ill. Archiepiscopi Tolosani. Cur abstinet absolute asserere Encyclicam continere judicium definitivum? Quia Benedictus XIV non eam direxit ad universam Ecclesiam : « In quo non dubitandum, inquit, « p. 14, quin sapientissimus Pontifex consuetam ac pru- « dentem agendi rationem Ecclesiæ servare voluerit, quæ, « in quæstionibus dogmaticis, intra limites necessitate « erroris coercendi præscriptos sese continere solet; nec « mirum proinde cuiquam videri debet, si solis Italiæ « diœcesibus, morbo cui mederi statuerat laborantibus, « remedium quo erroris virus extingueretur propinave- « rit. » His autem prolatis, statim addit : « Quod si exci- « piatur, constitutio *Vix pervenit* tanta et solemnitate et « auctoritate pollet, ut ipsi definitionem indubitanter de « fide tantummodo præponere liceat. » Et postquam exposuit quomodo et qua auctoritate lata fuerit, sic concludit : « Ex his plane nobis colligendum videtur, quod donec « S. Sedes, aut Ecclesia in concilio œcumenico congre- « gata, novum et majori pollens auctoritate judicium « proferat, quæ res, ni fallor, nunquam fiet, constitutio, « de qua agitur, regula nostra esse debet in omnibus quæ « in ea apertissime definiuntur. » Igitur in mente Ill. Præsulis magna certe auctoritas superest Encyclicæ Benedicti XIV.

Quid vero sentiendum sit de eadem Encyclica, si conferatur cum Responsis Romanis de quibus nunc loquimur, sic exponere pergit, p. 14-16 : « Hujus constitu- « tionis auctoritati nullo modo æquiparari valet respon- « sionum S. Pœnitentiariæ auctoritas; præsertim cum

« ipsa S. Pœnitentiaria nequaquam ipsi contradicere « intendat, imo ad eam multoties circa quæstiones ad « usuram spectantes interrogata remiserit. Porro in plu- « ribus præcellit constitutionis Benedicti XIV auctoritas. « — Vere dogmaticum ac solemne judicium protulit in « sua constitutione Benedictus XIV; dum S. Pœnitentia- « ria nonnullas tantum agendi rationes tradit, juxta quas « prudenter sese gerere possint confessarii erga fideles, et « tantum abest ut judicium proprie dictum ferre præten- « derit, ut econtra supponat aliquando ferendum esse, « circa quæstiones de quibus interrogatur, judicium, cui « debent esse se subjicere parati illi quorum gratia con- « sulitur. — Benedictus XIV quinque articulos exponit, « approbat, confirmat tanquam veram continentes Eccle- « siæ doctrinam, communi SS. Patrum, conciliorum et « Sacræ ipsius Scripturæ testimonio comprobatam; ad- « monet episcopos ut omnem sollicitudinem impendant, « ne quis verbis aut scriptis, etc.... S. Pœnitentiaria nihil « definit, nihil prohibet, nihil præcipit; et ipsi satis est « si dicat : Non esse inquietandos fideles qui, bona fide « rem licitam præsumentes, mutuum dant lucrum inde « sperantes, dummodo obedire sint parati S. Sedis judi- « cio, si quod forte in posterum proferatur. — Bene- « dictus XIV suam constitutionem ad omnes Italiæ « archiepiscopos, episcopos et ordinarios dirigit : S. Pœ- « nitentiaria privatim responsa facit, vel simplicibus fide- « libus, vel alicui episcopo, a quibus separatim et variis « temporibus fuit interrogata. — Ergo ea est constitu- « tionis Benedicti XIV auctoritas, cui Pœnitentiariæ res- « ponsionum auctoritas æquipararı non possit, etiamsi « accedat episcoporum consensus; quippe qui earum na- « turam non mutaret, maxime cum multo major docto- « rum et episcoporum pars pro doctrina constitutionis « steterit : adeo ut dicere non vereamur, quod et ab ipsis

« Romanis theologis minime est inficiandum, nempe « adhuc tenendam esse constitutionis doctrinam, etsi « forte, quod absit, ipsi contradicerent S. Pœniten- « tiariæ decisiones. » Hactenus Ill. auctor, qui dicit *Si forte contradicerent*, quia hanc contradictionem non admittit, et postea pluribus explicat, n° IV, p. 21 et seq., *quomodo S. Pœnitentiariæ responsa cum doctrina Benedicti XIV stare possint*, prout infra referemus.

1345. II°. *Utrum ex Responsis Romanis infirmari possint argumenta quæ desumpsimus ex doctrina Benedicti XIV circa lucrum in mutuo perceptum?*

In his Responsis nihil directe definitur circa usuram : declaratur eos de quibus ibi agitur non esse inquietandos, *quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere;* quæ supponunt hic et nunc definitionem non dari, ut mox plenius ostendemus. Hinc tamen deducendum est, pro non definitis habendas esse quæstionem aut quæstiones circa quas declaratur non esse inquietandos confessarios aut pœnitentes : sic enim non responderetur circa quæstionem definitam, seu de qua nulla prorsus remaneret controversia. Sub eo igitur respectu videndum est num infirmentur ea quæ ex Benedicto XIV attulimus. Quod ut accurate præstemus, loquemur seorsim de tribus punctis quæ supra indicavimus (n° 1335).

I. Quoad lucrum *ex mutuo consumptionis stricte sumpto*, nihil videmus in Responsis Romanis quod ad illud referatur : in omnibus enim consultationibus agitur vel de titulo legis civilis, vel saltem *de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data ut ea ditescant*, ut fert consultatio episcopi Rhedonensis (n° 1411). Sola difficultas oriri posset ex responso ad capitulum Locarnense (n° 1419) : primo enim quærebatur an necessitas providendi congruæ canonicorum sustentationi possit esse titulus legitimus lucrum percipiendi in mutuo, et posito quod valeat ille

titulus, an extendi possit ad alia loca pia, ad pupillos, et miserabiles personas : quæ cum sint generalia, respicere possent etiam mutuum consumptionis. Sed advertendum est in tertio quæsito agi de lege civili, de consuetudine et de consensu populorum; in quarto autem de opinione ordinariorum et virorum commendabilium : cum ergo ad quatuor quæsita simul collective respondeat S. Congregatio, nihil ex illo responso concludi potest quoad lucrum quod perciperetur secluso titulo legis et consuetudinis. Ergo quoad mutuum consumptionis in se sumptum remanet controversia in eodem prorsus statu quo erat ante præfata Responsa, nihilque hic addendum habemus.

Hinc Ill. Episcopus Bellicensis expresse asserit semper indubium remanere quod non liceat lucrum exigere vi mutui; hanc doctrinam doceri ab omnibus theologis catholicis, qui exceptionem non admittunt nisi in casu damni emergentis, lucri cessantis, vel periculi extraordinarii sortis; hanc esse pariter doctrinam traditam a Benedicto XIV, quam in tuto reponere voluit per suam Encyclicam. (*Circulaire....*, §. III, *Rit. de Belley*, t. 1, p. 556, 557.)

1346. II. Quoad lucrum perceptum *vi legis civilis*, non putamus magnam pariter adesse posse difficultatem. Duo enim docuimus ea de re : 1°. hunc titulum versari intra limites opinionum quas admittere sinit Ecclesia; 2°. probabilius tamen non esse sufficientem. Jam vero sub priori respectu confirmantur ex Responsis Romanis, et sub posteriori non infirmantur ea quæ diximus.

1°. Ex iis Responsis deducitur propugnari posse titulum legis : illudque non tantum per viam consectarii ostendi potest, sed aperte dicitur. In pluribus ex iis Responsis declaratur, 1. *presbyteros qui contendunt licitum esse percipere auctarium solius vi legis principis.... non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit,*

cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento pœnitentiæ : ita ad D. Denavit (n° 1415), ad D. Gousset (n° 1414); 2. acquiescere posse hæredes illius qui hujusmodi lucrum percepit : ita de judice Ruthenensi (n° 1413); 3. confessarium qui fidelibus ab ipso consilium petentibus, *utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum præter titulum legis civilis, respondet eos non posse præfatum auctarium exigere, et denegat absolutionem sacramentalem si exigant,* item iis qui ita perceptum *nolunt restituere,* talem, inquam, confessarium *durius et severius se habere, quandoquidem ex dato a S. Pœnitentiaria responso liquet, fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos :* ita ad D. Denavit (n° 1420); 4. tandem *pœnitentes qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter posse nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato doleant, et parati sint stare mandatis S. Sedis :* ad episcop. Nicæensem (n° 1426). Jam vero hæc omnia stare non possent, si ageretur de opinione damnata, et quæ tuta conscientia admitti non posset.

2°. Ex iisdem Responsis deduci nequit titulum legis fuisse approbatum, adeo ut non amplius rejici possit ut minus probabilis. In iis enim omnibus quæ retulimus nihil tale occurrit; nullibi adest definitio in gratiam illius tituli. Sed insuper habemus testimonium Majoris Pœnitentiarii, qui rescribens ad episcopum Vivariensem (n° 1423), expresse ait S. Pœnitentiariam hanc quæstionem *haudquaquam voluisse definire,* ac proinde eos qui hujus tituli licitatem absolute docent in sacris concionibus, *potius propria quam S. Sedis placita proponere, et partes judicis sibi temere assumentes, privàta auctoritate definire quæstionem quam S. Sedes nondum voluit definire,* ideoque *horum*

agendi rationem minime probari posse. Idem deduci potest ex responsione ejusdem cardinalis approbantis expositionem datam ab episcopo Bajocensi (n° 1424). Addi possent quæ supra de Pio VIII et Gregorio XVI retulimus (n° 1339, *Note*).

Hinc Ill. Episcopus Bellicensis, *ibid.*, p. 549, sic loquitur : « Qu'on y fasse bien attention, nous ne disons pas « que le titre de la loi est légitime; nous ne disons pas « non plus qu'on a décidé à Rome que ce titre étoit légi- « time; nous disons seulement que les Congrégations et « deux Papes ne regardent pas cette opinion comme con- « damnée, et même qu'ils la regardent comme assez pro- « bable pour qu'on puisse être de bonne foi et exempt de « faute, etc. » Addit, p. 550, *Note :* « Nous étions alors « (in prima Ritualis editione, an. 1831) persuadé que le « titre de la loi n'étoit pas suffisant pour légitimer l'inté- « rêt.... Mais nous ne voulions assujettir personne à notre « opinion particulière, à laquelle nous tenons moins au- « jourd'hui. »

Hinc etiam Ill. Archiepiscopus Tolosanus, de eodem titulo loquens, ait, p. 24 : « Pro neganti potius stamus « sententia, quam tenent plurimi non rigidioris doctrinæ « theologi : » cui tamen, inquit, p. 26, « cum nullam « inusserit censuram Ecclesia, ab ea damnanda et nos « abstinere debemus. » Pro eadem vidimus stare pariter D. Bouvier, D. Kenrick (n° 1281), D. Gousset (n° 1277), quibus addi possent multi alii qui tamen non reluctantur Responsis Romanis.

1347. III. Superest dicendum de lucro percepto *ex mutuo negotiationis* dicto. Hic major adest difficultas, ut jam agnovimus (n° 1272) : quia ex una parte, satis aperta videtur decisio Benedicti XIV contra hujusmodi lucrum (n^is^ 1269, 1270); ex altera, satis solide probari videtur hanc quæstionem haberi non posse ut definitam.

1°. Id deducitur ex Responsis Romanis. In consultatione episcopi Rhedonensis (n° 1411) nulla fit mentio de titulo legis, sed agitur tantum de mutuo negotiationis : cum ergo responsum fuerit, *Non esse inquietandos confessarios* qui absolutionem dant pœnitentibus sequentibus opinionem tali mutuo faventem, intelligitur hanc opinionem non haberi ut damnatam. Insuper eadem consultatio inducit pœnitentes præfatos respondentes confessario, *Sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta :* porro nedum aliquid in contrarium exprimatur in responso, contra in compendio ejusdem consultationis per ipsas congregationes Romanas exarato (n° 1417) adducuntur pariter pœnitentes *objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede.* Tandem cum episcopus Vivariensis post longam expositionem postulasset, utrum *præfatum judicium* (ad episcopum Rhedonensem) *intelligendum sit separatim a titulo legis principis, et unice de mutuo negotiatoribus facto,* respondet S. Officium : *Provisum in decretis* 18 *augusti* 1830, *atque dentur decreta.* Ex his pro certo concludit Ill. Episcopus Bellicensis (*Circulaire....*, §. 11, *Rit. de Belley,* t. 1, p. 542 et seq.), opinionem faventem lucro ex mutuo negotiationis percepto Romæ non haberi, nec proinde habendam esse ut damnatam a Benedicti XIV Encyclica.

2°. Idem deducunt multi ex iis quæ subsecuta sunt Encyclicam. 1. Ait ipse Concina, in Præfat. sui *Commentarii* : « Simul ac in lucem prodiit Benedicti XIV « decretalis Epistola, mussitari cœptum, nihil in ea defi« nitum, declaratumque nihil.... Ulterius progressa res « est. Per Italiam circumferuntur calamo exaratæ apolo« giæ, in quibus vel ipsos manifestos errores approbatos « esse in decretali pontificia Epistola intrepide asseritur.» Ergo vel a principio manifestus non videbatur Encyclicæ

sensus. 2. Ut jam retulimus (n° 1115, p. 272, et n° 1116), Maffeius suam doctrinam in Encyclica invenit, et liber illius Romæ prodiit cum permissionibus ordinariis, et Benedicto XIV ipsi dicatus, an. 1746, post Encyclicam, licet ibi propugnet licitum esse lucrum ex mutuo negotiationis. 3. Postea plura vulgata sunt opera in eodem sensu, ut diximus *ibid.*, nec ea aut eorum auctores Ecclesia damnavit. Nostris ipsis temporibus Romæ prodiit opus Mastrofini, non solum cum permissionibus consuetis, sed cum honorificis approbationibus, primum quidem duorum S. Officii consultorum qui testantur se ex ejus lectione ad sententiam auctoris fuisse deductos, deinde plurium aliorum theologorum in tribus aut quatuor editionibus quæ primam subsecutæ sunt. 4. Satis notorium est in variis regionibus vigere praxim educendi lucrum e mutuo negotiationis, videntibus, nec reclamantibus, imo sæpe probantibus Ecclesiæ pastoribus : ita fertur de Germania, Anglia, Hybernia, America, etc.; et in multis Galliæ urbibus, aut etiam provinciis, jamdiu non desunt confessarii qui eamdem praxim tolerant, aut approbant. Inter eos etiam qui hoc lucrum illicitum reputant, non pauci doctrina commendabiles, et optime catholici, non condemnant eos qui aliter sentiunt. Prolata est in eo sensu Epistola D. Emery, in qua non solum ita opinatur, sed et opinionem suam pluribus factis et auctoritatibus gravissimi momenti adstruit[1] : et citari potuissent

[1] Eam epistolam prodidit, an. 1821, D. Faivre. *Réponse de M. Faivre aux lettres anonym. de M. V.... (Villecourt)*, p. 18, et post eum D. Baronnat, t. II, p. 209. Conscripta fuit 27 mai 1809, ad D. Aude, vicar. general. Mimatensem (pro districtu Vivariensi), et ex hinc parochum Turonii (de Tournon). « Si j'avois à enseigner et à donner « des conseils, j'enseignerois et je conseillerois conformément à la doc- « trine qui a été jusqu'à présent la plus commune en France; mais l'opi- « nion qui permet de tirer des intérêts d'un argent prêté et non aliéné, « dans le cas où le prêt est fait à une personne comme un banquier, un

multi præsules Gallicani, qui ita sentiebant ante responsiones Romanas, a fortiori postea. Hinc etiam ait Ill. Episcopus Bellicensis, *ibid.*, p. 562, 563, sibi jamdiu persuasum fuisse nimiam extensionem dari a multis Encyclicæ Benedicti XIV, quæ reprobat quidem lucrum perceptum vi mutui, sed non pronuntiat adesse mutuum quotiescumque pecunia traditur negotiatori, etc.

1348. Hæc omnia certe suo robore non carent. Quædam observare nobis satis erit. — 1°. Quidam sentiunt, nec omnino improbabiliter, omnia Responsa Romana intelligi posse de lucro percepto vi legis civilis. In omnibus enim fere consultationibus mentio fit de eo titulo : non ita quidem in consultatione episcopi Rhedonensis; sed duo ea de re observari possunt. 1. Non ignotum erat respondentibus, semper apud nos occurrere hunc titulum : cumque eorum scopus esset *normam proponere quam confessarii tuto sequerentur erga pœnitentes*, prout loquitur Major Pœnitentiarius ad episcopum Vivariensem (n° 1423), mirum non esset quod, ad solam praxim attendentes, consulto abstinuissent declarare quo præcise titulo praxis

« négociant, etc., qui ne l'emprunte que pour le faire valoir, est ap-
« puyée sur des raisons si spécieuses, et a pour elle aujourd'hui tant
« d'autorités, que je ne croirois pas devoir blâmer ni inquiéter ceux
« qui la suivroient de bonne foi dans la pratique, ni par conséquent
« obliger à la restitution des intérêts perçus. Les déportés ont trouvé
« cette dernière opinion régnante parmi les catholiques d'Allemagne,
« d'Angleterre, d'Irlande. Le Pape, consulté à Paris par un cardinal
« sur ce qu'il devoit répondre à ceux qui le consulteroient sur cet
« article, répondit qu'il falloit les adresser à leurs évêques. Ce qui
« montre que le Pape croyoit qu'il n'y a rien de décidé sur ce point. Le
« tribunal de la Rote à Rome décide conformément à cette dernière
« opinion. Un particulier m'a dit avoir fait consulter à Rome les six
« plus célèbres théologiens, qui se sont trouvés divisés de sentiments.
« L'autorisation que le Gouvernement donne aujourd'hui aux stipula-
« tions d'intérêt donnera encore une certaine force à cette opinion. »
Addit D. Faivre, p. 20 : « Je m'engage à produire l'original à tous
« ceux qui voudroient révoquer en doute l'authenticité de cette lettre. »

hæc niti possit. Sic etiam forsan explicaretur cur idem episcopus Vivariensis postulans *an præfatum judicium intelligendum sit separatim a titulo legis principis*, non aliam responsionem obtinuerit quam novam ejusdem judicii transmissionem (n° 1418) : sed postea Major Pœnitentiarius, ipsi explicans mentem SS. Congregationum, semper et unice loquitur de titulo legis (n° 1423). 2. Una cum responsione ad episcopum Rhedonensem missa sunt, ut dicimus (n° 1412), decreta Em. Cardinalium, in quibus semper mentio fit de titulo legis, et in ipsa responsione mentio fit de voto eorumdem cardinalium : nonne dici posset exinde explicari sensum ipsiusmet responsionis, et eam non ultra extendi necessario debere? Vid. Boulanger, *Réflexions*...., p. 272 et seq. Cæterum etiam admisso quod ibi agatur de mutuo negotiationis, advertendum est confessarios qui dicuntur non inquietandi admittere ut probabiliorem opinionem contrariam tali mutuo; ac proinde dici nequit in responso approbari opinionem huic faventem; ad summum sequitur eam non haberi ut damnatam.

2°. Quemadmodum Benedictus XIV abstinuit a proscribendis operibus quæ tuebantur sententias doctrinæ quam in sua Encyclica proposuit contrarias, ita potuit Ecclesia abstinere a proscribendis postea variis libris qui in eodem sensu prodierunt, quin exinde aliquid certo concludi possit : notum est enim damnatam fuisse ab Alexandro VII hanc propositionem xxvii : « Si liber sit « alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri pro- « babilis, dum non constet rejectam esse a Sede Aposto- « lica tanquam improbabilem. »

Neque etiam existimandum aliud omnino dicendum, si liber Romæ prodierit cum permissionibus et approbationibus ordinariis : sine ulla prorsus enim ratione asserunt quidam recentiores theologi, S. Pontificem dici posse

fidejussorem judicii censorum Romanorum[1]; multiplici siquidem exemplo constat varia opera eo modo Romæ edita fuisse nihilominus a S. Sede damnata.

[1] « Les Censeurs Romains, il ne faut pas l'oublier, sont les agents du « S. Pontife, nommés par lui-même, ou par son représentant immé- « diat; et l'on peut dire que le Pape est caution de leurs censures. » Leguntur hæc verba in præfatione plurium operum novissimis tempo- ribus editorum de administratione sacramenti Pœnitentiæ : *Le Prêtre sanctifié....*, p. 2; *Manuel des Confesseurs*, par M. J. Gaume, t. 1, p. xix, etc. Exinde multum etiam commendatur opus Mastrofini, ut diximus. De eo jam locuti sumus sub eo respectu (n° 1118, p. 289) : sed haud inutile erit hic afferre ipsa verba theologi cujusdam Romani, magni ponderis, quæ, etsi jamdiu et alia occasione conscripta, hic eo magis opportune venient, quod in iis agatur, tacito nomine, de alio opere ejusdem Mastrofini, nempe de *Metaphysica sublimiori* : « Que « prouve l'approbation donnée à Rome à la traduction de la *Défense* « *de l'Essai* de M. de Lamennais? — Elle prouve qu'il s'est trouvé à « Rome trois théologiens qui ont porté un jugement favorable sur cette « traduction, et rien de plus. Dans les pays étrangers on s'imagine « souvent que tout livre imprimé à Rome avec permission de la cen- « sure, est un livre approuvé à Rome, et par conséquent exempt de « toute erreur. On ne sait pas, ou on fait semblant de ne pas savoir, « qu'à Rome on condamne assez souvent des livres, mais qu'il est rare « qu'on en approuve. Une permission d'imprimer n'est nullement une « approbation de la doctrine contenue dans le livre. Il est vrai que « la permission d'imprimer ne s'accorde qu'après que le livre a été « examiné par deux ou trois censeurs; mais il faut remarquer 1°. que « ces censeurs dont le choix est souvent laissé à l'auteur (parmi un « certain nombre de personnes désignées à cet effet) peuvent ou être « prévenus en faveur d'un auteur, ou négligents à s'acquitter de leur « devoir, ou enfin se tromper dans le jugement qu'ils portent; 2°. que « tout ce que l'on demande des censeurs est de prononcer si, à leur « jugement, le livre ne renferme rien de contraire à la foi, ou aux « bonnes mœurs, ou à la sûreté de l'État : s'il plaît aux censeurs « d'ajouter des éloges, ils expriment leur opinion individuelle ou le « désir qu'ils ont de faire plaisir à l'auteur; 3°. que l'*Imprimatur* « donné par le maître du Sacré Palais, et par le cardinal-vicaire ou le « vice-gérant n'ajoute rien au jugement des censeurs qu'ils supposent « exact.

« De tout cela il suit évidemment qu'un livre imprimé à Rome avec « permission n'est nullement un livre approuvé à Rome, ou du moins « *approuvé de Rome;* et qu'il ne doit pas être regardé, par le seul « fait de la permission d'imprimer, comme exempt de toute erreur.

3°. Agnoscendum est magni roboris esse argumentum desumptum ex opinione et praxi in multis locis satis recepta, et a pastoribus admissa aut saltem tolerata. Non solum authenticam agnoscimus epistolam D. Emery citatam, sed et nobis constat ex pluribus aliis ejus epistolis hanc fuisse constantem ejus mentem et doctrinam[1] : sem-

« Autrement il faudroit dire que Rome approuve et déclare exempt « d'erreur le pour et le contre : car des auteurs soutenant des opinions « opposées font imprimer leurs ouvrages à Rome. La *Défense de « l'Essai* de M. de Lamennais a été imprimée à Rome avec permis- « sion, cela est incontestable; mais c'est un fait aussi certain qu'un « prêtre Romain (Bonelli) vient de faire imprimer à Rome avec per- « mission un livre où il soutient que le système de M. de Lamennais « est faux et dangereux : est-ce qu'en vertu de ces deux permissions, « Rome auroit déclaré à la fois, que le système de M. de Lamennais « est digne d'éloges, et que pourtant il est faux et dangereux?

« Mais du moins, dira-t-on, tout livre imprimé à Rome avec per- « mission est certainement un livre exempt de toute erreur perni- « cieuse. — On n'en a d'autres garants que les deux ou trois censeurs « qui ont examiné le livre, et qui sans doute ne sont pas infaillibles. « On pourroit faire une longue liste des ouvrages qui ont été imprimés « à Rome avec permission de la censure, et qui ensuite ont été mis à « l'Index. Mais sans vouloir entrer dans ces détails, je citerai un seul « fait récent et connu de tout Rome. Sous le pontificat de Pie VII, un « ouvrage a été publié à Rome avec permission bien en règle, dédié « au Pape qui avoit accepté la dédicace; et néanmoins cet ouvrage a « été ensuite dénoncé à la congrégation de l'Index où il a été examiné « avec soin. Preuve évidente qu'à Rome même on ne regarde pas la « permission d'imprimer, ni les marques de bienveillance accordées « par le S. Pontife comme l'approbation d'un ouvrage. Qui ignore que « Benoit XIV agréa l'hommage que lui fit Voltaire de sa tragédie de « *Mahomet?* En conclura-t-on que les principes contenus dans cette « tragédie ont été approuvés du S. Pontife? »

[1] Non ignoramus varia circa D. Emery doctrinam fuisse prolata judicia : quidam eum exhibuerunt ut lucro ex mutuo negotiationis faventem; aliis moderatio ejus a laxitate discrepare non videbatur; nonnulli eum arguebant quasi duplicem veluti doctrinam haberet, etc. Ideo non abs re erit mentem ejus paulo fusius exponere. Sic scribebat ad quemdam episcopum : « Voici ma façon de penser et d'agir sur le « point en question. Quand le prêt d'argent (je me sers du mot de *prêt* « pour abréger; car ce n'est peut-être pas le mot convenable), quand, « dis-je, le prêt a été fait à un négociant, à un banquier, à un entre-

per docuit licitum non esse lucrum ex mutuo negotiationis perceptum; sed docebat moderate, utpote qui existimaret contrariam opinionem sat gravibus momentis et auctori-

« preneur, à un acquéreur et à tout homme qui doit en faire un em-
« ploi fructueux, je suis depuis plus de trente ans en usage de ne point
« inquiéter le prêteur qui a stipulé des intérêts; quand on me consulte,
« je donne toujours le conseil de ne point prêter de la sorte, et j'in-
« dique les moyens, ou, pour mieux dire, une manière de parvenir à
« son but qui est constamment innocente, et qui peut servir assez
« communément. Mais je ne crois pas devoir inquiéter ceux qui ont
« prêté purement et simplement, et je ne les oblige point à rendre les
« intérêts perçus. Ma raison est que l'opinion qu'ils suivent est fondée
« sur des raisons plausibles et de fortes autorités. Je crois même pou-
« voir dire que c'est aujourd'hui l'opinion la plus commune dans les
« différentes Églises catholiques. Tous les prêtres déportés assurent
« qu'elle est l'opinion régnante en Allemagne, en Angleterre, en
« Irlande, dans les États-Unis, parmi les catholiques. Or de quel droit
« forcerois-je les autres à suivre mon opinion particulière, et à se dé-
« partir de leur opinion, d'une opinion qui, à leur yeux, doit être au
« moins aussi probable que la mienne? Il n'y a pas deux théologiens
« qui sur toutes les matières de la justice et de la restitution soient du
« même avis : l'un approuve quelquefois ce que l'autre condamne.
« Aucun théologien ne pourroit donc en confesser un autre, sans exiger
« l'abjuration de l'opinion, en matière de restitution, qui est contraire
« à sa propre opinion. — Je suis donc d'avis qu'il ne faut point
« inquiéter les personnes qui de bonne foi prêtent leur argent dans le
« cas proposé et en tirent l'intérêt ordinaire. Le cardinal de Bayanne
« m'a dit que le Pape interrogé par lui sur cette question n'avoit point
« voulu répondre, et lui avoit dit de conseiller aux personnes de
« s'adresser à leurs évêques. Un professeur du séminaire d'Aix m'a
« écrit qu'il avoit fait consulter les plus fameux théologiens de Rome,
« et qu'ils avoient été partagés de sentiment. Donc à Rome on ne croit
« pas que le pape Benoit XIV dans sa Lettre Encyclique ait prononcé
« sur cette question; donc à Rome même la question est problémа-
« tique; donc c'est une espèce de tyrannie à quelqu'un qui croit que
« les intérêts ne sont pas licites de forcer ceux qui les croient licites
« d'embrasser son opinion. Qu'il enseigne comme une opinion qu'il
« croit mieux fondée, que les intérêts sont illicites; qu'il ne conseille
« point aux personnes qui le consultent de percevoir les intérêts : il
« agit conséquemment; mais je crois que la justice et la prudence ne
« lui permettent pas d'inquiéter la conscience de ceux qui pensent
« différemment. Voilà mon sentiment et ma pratique. »

Nonnulla addemus ex aliis ejusdem epistolis, in quibus magis evolvit

tatibus niti, ut sibi fas non esset eos qui hanc tuerentur aut sequerentur, condemnare et ad restitutionem obligare post lucrum perceptum.

4°. His omnibus perpensis, dicendum reipsa videtur

quædam ex iis quæ hic, vel in *epist.* supra *cit.* breviter tantum indicat. Scribebat ad unum e directoribus seminarii Aqui-Sextiensis : « Il « y a près de quarante ans que je me suis occupé de la question du prêt « de commerce : j'ai toujours enseigné à Lyon conformément à la tra- « dition de S. S. et de ce séminaire ; c. à d., que j'ai combattu la légi- « timité de ce prêt, mais avec modération et croyant dès le commen- « cement que le sentiment contraire étoit appuyé sur des raisons assez « plausibles et des autorités assez graves pour que je ne crusse pas « devoir me permettre de le condamner et d'obliger à restitution ceux « qui l'auroient mis en pratique.... Plus je vais en avant, plus je crois « qu'il faut être très-réservé pour condamner ceux qui approuvent « cette manière de faire valoir son argent.... M. le card. de Bayanne « (longtemps auditeur de Rote) m'a dit qu'elle étoit autorisée par le « tribunal de la Rote.... Il m'ajoutoit que ce tribunal croyoit comme « les autres que tout prêt est essentiellement gratuit, mais que dans « le cas où on donnoit de l'argent à terme avec promesse de la part « du preneur de payer l'intérêt, il intervenoit une espèce de contrat « différent du prêt (qu'ils appellent *Cambio*, à ce qu'il me disoit) ; et « cela s'accorde avec une décision singulière envoyée par le Légat à « M^me^ de Champagny, épouse du Ministre. Je l'ai copiée sur la lettre « même du Légat ; la voici : *Chacun peut de son propre argent « acheter d'un négociant pour un temps déterminé le droit à une « pension convenable sur les fruits du commerce établi ou de l'in- « dustrie exercée par le preneur de fonds. Ce contrat diffère sub- « stantiellement du prêt, et il est permis à cause des conditions « auxquelles il est soumis de sa nature et par le droit.* » (Vid. supra n° 1218, p. 459.) — Et in epistola ad superiorem seminarii Vivarien- sis : « Je crois pouvoir dire, d'après les renseignements pris, que les « deux tiers des théologiens sont à présent favorables à l'opinion du « prêt de commerce. Ce n'est pas une raison de conclure que cette « opinion soit vraie. A S. Sulpice on n'a jamais soutenu cette opinion, « et moi-même je l'ai toujours combattue et je la combats encore. « Mais je ne pousse pas l'ardeur contre cette opinion jusqu'à me dis- « simuler qu'elle a pour elle des raisons très-plausibles et des autorités « très fortes ; qu'en conséquence il peut fort bien se rencontrer de la « part de ceux qui la soutiennent et qui la suivent dans la pratique « de la bonne foi et une ignorance invincible. J'ai vu autrefois une « lettre de M. Leschassier (4^e^ supér. de S. Sulpice) écrite à Lyon, où

habendum non esse tanquam ab Ecclesia certo damnatum lucrum perceptum in mutuo negotiationis. Pro inconcusso quidem haberi debet non posse percipi præcise vi mutui: sed propugnari potest ibi intervenire reipsa, aut saltem

« il décidoit qu'il ne falloit pas troubler ceux qui étoient sans inquié-
« tude sur ce sujet. »

Haud necessarium est indicare quantum hæc consentanea sint Responsis Romanis diu post mortem præclari viri (obiit 28 apr. 1811) emissis.

Data occasione, inutile forsan non erit hic referre articulos quosdam per Societatem presbyterorum S. Sulpitii constitutos, non sane per modum judicii doctrinalis (longe abest ab eorum mente tale jus sibi vindicare), sed instar regulæ quam in documentis suis sequantur: nullus est enim ordo regularis, nulla societas ecclesiastica, in quibus non possint, imo non soleant superiores aliquam hujusmodi normam inferioribus suis tradere. Pluries in lucem prodierunt præfati articuli, a quibusdam valde commendati, ab aliis satis dure impugnati. Penes lectorem esto judicium: quem rogatum tamen volumus ut advertat primum articulum principii instar exhiberi, ex quo cæteri deducuntur: favente Deo, ab eo principio nunquam deviabit Societas S. Sulpitii, quamvis locus esse possit diversa aliquatenus educendi consectaria, prout magis vel minus explicite doctrinam suam proponet Ecclesia.

Articles arrêtés dans l'assemblée générale des prêtres de la Compagnie de Saint-Sulpice, à Issy, séance du 9 septembre 1818.

« Art. I. La Compagnie a fait dans tous les temps, et elle ne cessera
« de faire profession du respect et de la soumission la plus sincère aux
« décrets des conciles, des Souverains Pontifes, et aux décisions et
« ordonnances de nosseigneurs les évêques; elle en fera toujours la
« base des leçons qu'elle donne à ses élèves. — II. Des motifs graves
« lui font déclarer aujourd'hui qu'elle a toujours porté et qu'elle con-
« tinuera de porter le même respect aux diverses définitions de l'Église
« contre l'usure, et notamment à la Lettre Encyclique de Benoît XIV,
« du 1er novembre 1745, développée par lui-même dans son traité *de*
« *Synodo diœcesana*, et aux décisions du clergé de France dans l'as-
« semblée de 1700. — III. Elle enseigne en conséquence, que l'intérêt
« non seulement du prêt en général, mais encore du prêt de com-
« merce et du prêt fait aux riches, est contraire aux lois naturelle,
« divine et ecclésiastique, quand ils ne sont pas accompagnés de quel-
« qu'un des titres extrinsèques au prêt, expliqués par les théologiens.
« — IV. Par suite de cette même doctrine, elle blâme ceux qui disent

intervenire posse alium contractum, qui quidem erit licitus, si sit in casu speciali possibilis et æquitati consentaneus, simulque vere et realiter intendatur a tradente pecuniam; qui saltem poterit esse e numero eorum quos

« qu'aujourd'hui la question de l'usure n'est plus qu'une question de « nom, attendu qu'on ne prête jamais son argent que l'on ne soit « autorisé à percevoir un intérêt modéré, soit parce qu'il se rencontre « toujours quelque titre extrinsèque au prêt, soit parce qu'on eût pu « faire un contrat d'un autre genre. — V. Par le même motif, elle « désapprouve aussi ceux de ses membres qui, s'écartant des routes « battues, ont enseigné, dans ces derniers temps, des opinions recon- « nues par les auteurs mêmes qui les ont soutenues, et par Benoît XIV, « comme pleines de péril, telles que la légitimité des trois contrats (*a*), et « des rentes rachetables des deux côtés (*b*); l'intention et la destination « lucratives (*c*), présentées comme un titre légitime de percevoir l'inté- « rêt (*d*). La Compagnie défend à tous ses membres, et notamment aux pro- « fesseurs de théologie, de soutenir ces sentiments en public ou en par- « ticulier, ou de donner des décisions en conséquence de ces opinions. « — VI. Dans le détail des questions relatives à l'usure, sur lesquelles « l'Église n'a pas prononcé, la Compagnie prend pour règle les senti- « ments qui se concilient le plus avec ses décisions incontestables, « évitant les deux extrêmes, d'un relâchement condamnable et d'une « sévérité non moins funeste. Elle s'attache à la règle plusieurs fois « donnée par Benoît XIV : *In eam descendant sententiam quam ratio « suadet et firmat auctoritas.* (Constit. *Apostolica constitutio*, data « anno Jubilæi, Bullarii, tom. III, n° XIX, §. 21.) — VII. Elle veut « que ses membres s'attachent inviolablement aux mêmes règles dans « l'enseignement sur toutes les autres questions de théologie morale, « se prémunissant sans cesse contre les opinions nouvelles et singu- « lières, et contre ce penchant vers tout ce qui est hardi et s'écarte des « idées reçues, qui fait l'esprit propre de ce siècle. — VIII. Elle veut « aussi que, dans la décision des questions spéculatives, ils s'abstien- « nent de traiter celles qui ne sont pas prochainement liées au dogme « catholique; celles surtout dont le but est d'expliquer la nature de nos « mystères, et dont le moindre mal est de faire perdre un temps pré- « cieux aux élèves; ils se borneront à les indiquer.

« (*a*) *Ad usum vero quod attinet, tuto poterit* (episcopus) *contrac- « tum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, « pro viribus impedire.* (*De Synodo diœces.*, lib. X, cap. VII, n° 6.) « — (*b*) *Eo magis deterrendi erunt fideles a contrahendis censibus « personalibus utrinque redimibilibus, qui certe majorem præ se « ferunt usuræ speciem, quam census reales ad certum tempus.*

Ecclesia absolute non damnavit. Hæc evolvit Ill. Archiepiscopus Tolosanus, qui sic conciliat Responsa S. Pœnitentiariæ cum Encyclica Benedicti XIV, p. 21 et seq.; idemque paucis indicari vidimus tum ab Ill. Episcopo Bellicenci, tum a D. Emery. Alii idem explicant ope alicujus distinctionis : distinguunt mutuum negotiationis simplex, et mutuum quod vocant compositum, quod meliori jure forsan diceretur restrictum seu stricte sumptum : prius locum habet eo ipso quo pecunia a mercatore accepta ab eo destinatur ad negotiationem; posterius vero, quando tradens pecuniam expresse stipulatur eam fore sic adhibendam. Jam vero, inquiunt, propugnari absolute potest mutuum posterius non cadere sub expressa condemnatione Encyclicæ Benedicti XIV, quia videtur non differre a contractu trino implicito.

Quidquid sit de variis hisce explicationibus, ultimate concludimus immotam quidem stare auctoritatem Encyclicæ Benedicti XIV. Quando autem quæritur utrum in ea absolute reprobetur lucrum ex mutuo negotiationis, quamvis stare etiam semper videantur argumenta quibus id adstruere conati sumus (n° 1269 et seq.), assentimur tamen iis observationibus, quas fusiori et vehementiori stylo proponit D. Boyer, *Défense....*, c. v, art. 3, p. 6 et seq., et *Lettre....*, §. 2, p. 20 : esto quod plane obvius sit et naturalis sensus quem Encyclicæ tribuimus; sed estne ita apertus et manifestus, ut nonnisi cum evidenti

« (*Ibid.*, cap. v, n° 4.) — (*c*) Par cette expression, *Intention et Destination lucratives*, on désigne l'opinion de ceux qui prétendent « que lorsqu'on a la volonté et l'occasion moralement prochaine de « faire valoir son argent par une voie licite distinguée du prêt, on peut « de soi-même choisir la voie du prêt comme plus commode, pour en « retirer un intérêt à titre d'indemnité. — (*d*, Lessius, après avoir dit « que ce dernier point lui semble probable spéculativement, ajoute : « *In praxi tamen, ob periculum palliandi usuras, non est facile admittenda.* (*De Justit. et Jure*, lib. II, cap. 20, dub. XI, n° 95.) »

mala fide negari possit, et quacumque probabilitate destituta judicari debeat quælibet interpretatio in contrarium? Non ita sentiunt multi doctores, qui reipsa aliter interpretantur; item multi qui in nostro sensu intelligunt, sed tantum ut probabilius. Jam vero Ecclesia ad quam pertinet determinare quid absolute definitum censeri debeat, quid adhuc disputationi relictum, eos omnes non habet ut suæ auctoritati rebelles, et opinionis damnatæ patronos. Ergo reipsa agnoscendum est quæstionem non esse omnino definitam.

1349. III°. *Quonam sensu intelligenda sint Responsa Romana circa lucrum in mutuo perceptum?*

Jam observavimus (n^is^ 1345, 1346), et ex mera inspectione Responsorum intelligitur, SS. Congregationes Romanas noluisse quidquam speculative definire circa lucrum ex mutuo : nedum huic lucro faveant, ut quidam opinati sunt, potiori forsan jure diceretur cum aliis quod huic adversentur; si enim ut in se licitum haberetur, non opus esset varias cautiones exigere de quibus loquuntur Responsa, et quæ mox exponentur : de re licita non dicitur simpliciter : *Non est inquietandus qui eam bona fide sequitur*, etc. Sed quidquid sit, ex epistola Majoris Pœnitentiarii ad episcopum Vivariensem, 7 martii 1835, aperte edocemur, *Quæ fuerint S. Pœnitentiariæ* (non aliud dicendum putamus de Congregatione S. Officii) *mens atque sententia in enuntiatis decretis edendis* : « S. igitur Pœnitentiaria « quæstionem a theologis agitatam de titulo illo ex lege « principis desumpto haudquaquam voluit definire; sed « solummodo normam proponere, quam confessarii tuto « sequerentur erga pœnitentes qui moderatum lucrum « lege principis statutum acciperent bona fide, paratique « essent stare mandatis S. Sedis. » (n° 1423). Quædam igitur observare nobis sufficiat, ut dirigantur confessarii in tuto sequenda norma sibi proposita.

I. Inter varia responsa quæ afferuntur duo sunt quæ nobis videntur explicanda *ex circumstantiis peculiaribus* in quibus aut pro quibus data sunt, et quæ proinde extendi non debent ad alios casus qui non essent prorsus similes.

1°. In casu *mulieris Lugdunensis*, ipsi promittuntur responsa ad propositos casus danda in tempore opportuno: quia nempe tunc in congregatione S. Officii instituebatur examen quæstionis generatim spectatæ (n° 1409). Hoc autem posito, facile explicatur responsio data. Norunt enim omnes, quando agitur de obligatione restituendi circa quam adest dubium cujus discussio tempus aliquod plus minusve diutinum exigit, nil obstare quin interim detur absolutio, modo pœnitens dispositum se ostendat ad obsequendum decisioni quæ ipsi dabitur.

2°. In responso de judice Ruthenensi (n° 1413) agitur *de hæredibus illius qui bona fide lucrum percepit*, et dicitur ut acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis. Hic etiam nobis videretur potuisse dari tale responsum independenter a variis opinionibus circa lucrum perceptum: quando enim aliquis, bona fide et conscientia rite efformata, secutus est aliquam opinionem probabilem, non existimamus ejus hæredes statim obligari posse ad restitutionem eo ipso quod ipsis dubia videatur, aut etiam minus probabilis, opinio sui auctoris; alioquin fieri posset ut et ille cui restitutio facta esset vicissim postea obligari deberet ad rem denuo reddendam, sicque locus daretur perpetuis variationibus in possessione bonorum: saltem illud ulteriori disquisitione indigeret, ideoque saltem differri potest restitutio in tali casu.

1350. II. In una parte responsi ad episcopum Rhedonensem agitur de pœnitente qui *non confitetur de lucro ex pecunia mutuo data percepto, qui videtur in bona fide*, et de quo *timetur ne admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset*, et dicitur non inquietandos confessarios

qui eum absolvunt nulla ea de re interrogatione facta, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc percipi istius modi lucrum. Porro, quæcumque admittatur opinio de lucro ipso, optime responderi potuit confessarium posse, imo et debere generatim loquendo talem pœnitentem non monere : id sequitur ex principiis quæ exponuntur in *Tr. de Pœnitentia.*

Dicimus tamen *Generatim loquendo*, quia principio generali quasdam restrictiones apponunt theologi accurati, quas indicat Benedictus XIV in sua constitutione *de Præparatione ad Jubilæum*, ad quam remisit Pius VI, archiepiscopo Viennensi respondens (n° 1405), v. g., in casu scandali, etc. Responsio autem præfata, quæ est omnino generalis, non impedit quin in praxi applicari possint ac debeant hujusmodi restrictiones, si quandoque iis locus sit.

1351. III. Quando agitur de pœnitentibus qui *consulunt aut saltem loquuntur de lucro quod percipiunt*, respondetur non esse inquietandos confessarios qui iis absolutionem impertiuntur; item nec inquietandos esse a confessario presbyteros qui tale lucrum percipere permittunt. Præcipua difficultas versatur circa hunc casum, et sedulo investigandum est quonam sensu intelligenda sint prædicta Responsa, et quousque extendantur.

1°. In variis illis Responsis supponitur eos de quibus agitur versari *in bona fide*. Etenim 1. in consultatione episcopi Rhedonensis (n° 1411) agitur de via quam confessarii se posse tenere *arbitrantur*, seu de qua habent conscientiam formatam, et ipsi illi confessarii bonam fidem in pœnitentibus supponunt, ut modo dicemus. 2. Quamvis in priori responso ad D. Denavit (n° 1415) expressa mentio non fieret de bona fide, constat ex responso posteriori (n° 1420) eam ibi supponi debuisse, cum dicatur : « Ex dato a S. Pœnitentiaria responso

« liquet fideles hujusmodi, *qui bona fide ita se gerunt*, non « esse inquietandos. » 3. Ex responso Maj. Pœnitentiarii mox citato (n° 1349) constat etiam varia S. Pœnitentiariæ decreta intelligi debere de iis qui lucrum accipiunt bona fide. 4. Demum in responso ad episcopum Atrebatensem (n° 1422) expresse dicitur : *In decretis S. Inquisitionis semper supponitur bona fides.* 5. Ipsa ratio satis dictat non posse absolutione dignos reputari eos qui non agerent bona fide, id est, cum conscientia sufficienter formata, ut mox evolvemus.

Exsurgit tamen aliqua difficultas ex responso ad episcopum Nicæensem (n° 1426) : hic quæsierat, « An « pœnitentes qui moderatum lucrum solo legis titulo ex « mutuo, dubia vel mala fide, perceperunt, absolvi sacra- « mentaliter possent nullo imposito restitutionis onere, « dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem pec- « cato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint « standi mandatis S. Sedis? » Responsum autem fuit a S. Officio : *Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis?* Observat Ill. Episcopus Bellicensis (*Circulaire,....* post decis. XVII, *Rituel*, p. 541), idem jam fuisse responsum doctori Avvaro (n° 1421), cujus secunda quæstio similem casum respiciebat, et cui S. Pœnitentiaria transmisit solummodo Responsa jam data. Exinde sequi videretur etiam extra casum bonæ fidei applicanda esse Responsa Romana.

Verum hæc omnia conciliari possunt. 1. Ex ipso responso quod objicitur patet pœnitentes contritos esse debere de peccato patrato ob dubiam vel malam fidem : ergo non potuissent absolvi quamdiu in ea dubia vel mala fide permansissent. 2. Quod hic supponitur quoad ipsam actionem lucrum percipiendi, debet pariter applicari quoad lucri percepti restitutionem. Profecto sensus responsionis non est absolvi posse pœnitentes qui restitutio-

nem omittunt cum dubia aut mala fide, id est, existimantes eam deberi, aut saltem de eo dubitantes : ergo intelligenda est de iis qui in dubia aut mala fide lucrum percipientes, non tamen existimabant deberi restitutionem, ut de viris præsertim indoctis supponi potest; vel de iis qui, post lucrum perceptum, malam aut dubiam fidem deposuerunt, et nunc persuasum habent non esse restituendum : quo posito, facile intelligitur eamdem dari debuisse decisionem circa lucri restitutionem ac circa perceptionem; et quidem independenter a mala fide præcedenti, quia mala fides nihil confert ad obligationem restituendi in se spectatam, id est, non inducit per se solam restituendi obligationem alias non existentem.

1352. Præcipua difficultas esse poterit ad discernendum in praxi quandonam adsit sufficienter illa bona fides, seu cui motivo inniti debeat. In consultatione episcopi Rhedonensis supponitur pœnitentem qui a confessario deterretur a suo proposito, et nihilominus perseverat in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, objicere, *Sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta;* in compendio autem consultationis transmisso a Congregatione S. Officii (n° 1417) non allegatur nisi posterius motivum, nempe *Sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede.* Illud profecto non est multum exigere. Verum existimamus semper supponi quod ex illis vel aliis motivis reipsa pœnitens sibi efformaverit conscientiam saltem practice, adeo ut non agat nisi cum persuasione de honestate suæ actionis : illud est enim principium generale adeo constans, ut necesse visum non fuerit illud exprimere in responsis tanta brevitate concinnatis. Duplicis generis potest esse illa persuasio : vel negativa, quia nempe agens nihil audivit unde suspicetur malitiam suæ actionis; vel positiva, quia si dubium ea de

re in mente illius exortum sit, sublatum est, saltem practice, per aliqua motiva, quæ quidem diversa esse possunt pro diversitate personarum et circumstantiarum. Uno verbo, standum putamus principiis generalibus de efformatione conscientiæ, quæ fusius exponere non est præsentis loci, sed pertinet ad Tr. *de Conscientia*.

1353. — 2°. De *dispositione standi mandatis S. Sedis*, seu se subjiciendi decisioni definitivæ S. Sedis. Hæc dispositio enuntiatur in variis responsis tanquam conditio, *Dummodo parati sint*, etc. Et reipsa nisi adesset, jam difficile supponi posset bona fides de qua mox loquebamur.

Attamen cum postulasset Episcopus Vivariensis (n° 1423) : « Utrum clausula, *Modo sint parati stare* « *mandatis S. Sedis*, sit exprimenda in publicis concioni- « bus, » observat Ill. Episcopus Bellicencis (*Circulaire....*, post decis. XVI, *Rituel*, p. 538), Card. de Gregorio non respondere huic quæstioni : « Son Éminence n'en parle pas, « sans doute, parce que cette condition est de droit, et « que tout bon catholique doit être dans cette disposi- « tion. » Sed observabimus satis huic quæstioni respondisse Em. Cardinalem, quando loquens de iis qui in sacris concionibus absolute docent licitum esse lucrum...., *reticitis enuntiatis conditionibus*, ait *horum agendi rationem probari minime posse*.

His non obstantibus, ait D. BOUVIER, t. VI, p. 467 : « Cum nulla sit ratio judicandi restitutionem aliquando « præscribendam esse, arbitramur pœnitentes in bona « fide existentes de hoc non esse interrogandos, si præ- « videatur eos admonitos non futuros esse paratos man- « dato S. Sedis obtemperare, quia tunc monitio ad nihil « prodesset et multum obesset. » Sed illud nobis videtur magnam pati difficultatem, sive quia sic extenduntur responsa SS. Congregationum ultra eorum terminos, sive quia, deficiente illa conditione, non facile concipitur quo-

modo supponi possit bona fides essentialiter requisita ut pœnitens possit absolvi. Agnoscimus tamen magna opus esse prudentia : recurrendum hic etiam ad principia generalia de agendi ratione tenenda a confessario quoad informationem conscientiæ sui pœnitentis.

1354. — 3°. Declaratur in iis responsis *inquietandos non esse* confessarios, aut pœnitentes de quibus agitur : alibi dicitur ut *acquiescant*. Operæ pretium est indicare quisnam sit præcise sensus, quænam vis eorum verborum.

1. Quærebat episcopus Rhedonensis, post expositam agendi rationem confessariorum qui absolutionem non denegant pœnitenti lucrum percipienti cum conditionibus assignatis : « 1°. Utrum possit horum confessariorum « agendi rationem probare? 2°. Utrum alios confessarios « rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hor- « tari ut istorum rationem sequantur? » Et responsum fuit : *Ad* I, *Non esse inquietandos*. *Ad* II, *Provisum in primo*. Observare possumus non dici, prout postulabatur, priores confessarios approbari posse, sed tantum non esse inquietandos, seu conscientiæ suæ relinquendos. Secundum autem responsum in sensu affirmativo intelligit D. Bouvier, p. 465, id est, in eo sensu quod possit episcopus hortari confessarios rigidiores ut priorum agendi rationem sequantur. Ita etiam Ill. Episcopus Bellicensis, §. II, *Rituel*, p. 544. Sed nobis non constat de legitimitate consequentiæ : cum enim priores non dicantur probandi, sed tantum non inquietandi, si quis posteriores hortetur ad eos imitandos, jam ultra id quod continetur in primo progreditur.

2. Quando agitur de presbyteris qui docent legem esse titulum legitimum, vel de fidelibus qui lucrum percipiunt ex solo titulo legis, sequitur ex responsis S. Pœnitentiariæ ad D. Denavit (n^is^ 1415 et 1420), non solum non inquietandum esse confessarium qui iis absolutionem im-

pertitur, sed et durius et severius se habiturum esse eum qui hanc denegaret. Sed observandum est hanc decisionem non dari modo prorsus absoluto, sed ex verbis subsequentibus satis restringi ad pœnitentes qui sunt in conditionibus mox assignatis, nempe bona fide, etc.: unde dici potest agendi rationem consulentis improbari propter suam generalitatem. Vid. Blazy, *Quest. neuves*, p. 82 et seq. Ex responso autem ad episcopum Nicæensem (n° 1426), qui lucrum ex simili titulo perceperunt, possunt absolvi etiam non imposito restitutionis onere, dummodo doleant de peccato, et parati sint stare mandatis.

3. In responso ad capitulum Locarnense (n° 1419) dicitur *Non esse inquietandos, et acquiescant*: quæ ultima vox videri potest aliquid addere prioribus, et significare canonicos de quibus agitur posse secura conscientia in sua agendi ratione perseverare. Sed non videmus per hæc aliquid notabile addi : canonici consulentes non solum allegaverant necessitatem, et legem ac consuetudinem, sed et auctoritatem ordinarii et plurium virorum prudentia et pietate commendabilium, qui approbabant contractus de quibus proponebatur quæstio; non mirum quod respondeatur, *Acquiescant*.

1355. — 4°. His omnibus expositis, duo concludi posse videntur, quibus exhibeatur veluti summarium practicum omnium Responsorum Romanorum.

1. Si staremus litteræ Responsorum, discrimen reponi posset inter lucrum perceptum simpliciter ex mutuo negotiationis, et perceptum vi legis civilis.

De priori non agitur nisi ad summum in responso ad episcopum Rhedonensem. Porro contra litteram hujus responsi non iret qui diceret, non inquietandos quidem confessarios qui, opinionem huic lucro contrariam habentes ut probabiliorem tantum, dant absolutionem iis qui alteram bona fide sequi volunt, sed neque inquie-

tandos etiam confessarios rigidiores qui, pro certa habentes suam opinionem, denegant absolutionem : nihil enim est in verbis responsi quod obstet quin hæc duo simul dicantur : etenim verba illa, *Non inquietandos*, non referuntur ad eos qui lucrum ex mutuo negotiationis percipiunt, sed ad confessarios qui ipsis absolutionem impertiuntur. Et revera quemadmodum fuerunt multi confessarii eam tenentes viam quam indicat episcopus Rhedonensis, ita nemo nescit multos fuisse quibus videbatur lucrum ex mutuo negotiationis tam aperte reprobari a Benedicto XIV, ut tolerari non posse crederent, et satis durum esset dicere eos qui ita sentiebant et agebant, bona certe fide, debuisse inquietari. Dicimus *Ad summum in responso ad episcopum Rhedonensem*, quia in omnibus aliis responsis mentio fit de titulo legis civilis; et istud etiam responsum a quibusdam in eodem sensu sumitur, ut supra exposuimus (n° 1348).

De posteriori autem *lucro*, id est, *percepto vi legis civilis*, non eadem interpretatio seu restrictio afferri potest. Etenim expresse declaratum est non esse inquietandos eos qui lucrum percipiunt vi hujus tituli, et durius severiusque agere eum qui ipsis denegaret absolutionem. Ergo non solum impertiri potest, sed et debet absolutio, positis conditionibus jam explicatis.

Diximus *Si staremus litteræ responsorum*, quia inhærendo menti respondentium, et per viam indirectam seu reflexam, deducemur ad asserendum eodem modo ratiocinandum esse, non quidem in theoria (vid. n° 1336, 1337), sed in praxi, de utroque casu. Etenim ex Responso ad episcopum Rhedonensem licet habere opinionem contrariam lucro ex mutuo negotiationis tanquam probabiliorem tantum, ita ut non judicentur indigni absolutione qui aliam tenent aut sequuntur : atqui, hoc posito, concludi potest ex principiis generalibus, non solum posse,

sed et debere iis impertiri absolutionem; nam indigni non sunt absolutione qui sequuntur opinionem quæ non fuit damnata ab Ecclesia, qualis est ea de qua loquimur. Ergo quamvis admitti possit longe minus dubium esse circa mutuum negotiationis quam circa titulum legis, in praxi tamen non sunt inquietandi qui lucrum in alterutro casu percipiunt bona fide, et parati stare mandatis S. Sedis.

2. Ad hoc ergo practice reducuntur Responsa Romana: inquietandi non sunt qui lucrum ex mutuo percipiunt bona fide, id est, cum conscientia sufficienter efformata, et cum dispositione se subjiciendi judicio S. Sedis, si interveniat. Sive ergo ille qui lucrum percipit admittat mutuum negotiationis, sive dicat mutatas esse circumstantias temporum et exinde induci variationem quoad applicationem principiorum, sive recurrat ad titulum legis, vel consuetudinem generalem, vel ultroneum ac mutuum omnium consensum, sive ad alia hujusmodi, non est inquietandus. Pariter sive ex perpensa per semet-ipsum quæstione, sive ex auctoritate eorum qui hanc sententiam tuentur, sive ex eorum exemplo qui hanc sequuntur, sive alio quocumque modo, conscientiam formatam habeat, modo vere sit in bona fide, non est inquietandus. Tandem quæcumque sit opinio ipsius confessarii circa legitimitatem lucri in se spectatam, sive eam admittat, sive rejiciat, non debet ideo pœnitentem inquietare : SS. Congregationes Romanæ liberum omnino ipsi relinquunt judicium speculativum de quæstione in se sumpta, sed ipsi tradunt regulam quam in praxi sequi debet; unde quamcumque opinionem speculative teneat, non potest eam aliis imponere tanquam legem quam necessario sequi teneantur.

Sed nihil videmus in iis responsis unde concludere possimus confessarium, qui ipse non admittit sententiam lucro faventem, posse informare conscientiam pœnitentis

qui informatam non haberet. Vid. BOULANGER, *Réflexions....*, p. 296. Agnoscendum est tamen hæc Responsa paulatim apud ipsos fideles divulgata, a pastoribus et confessariis libenter accepta et ad praxim deducta in sensu plerumque satis lato, facile influere posse ad efformandam in fidelibus eam persuasionem, quod hodie liceat lucrum ex mutuo percipere, sicque ipsos constituere in statu bonæ fidei.

1356. IV°. *De regulis servandis in delectu et applicatione variarum opinionum circa quæstiones ad usuram spectantes.*

Hic ob oculos ponere intendimus quasdam regulas, quarum plures suppeditat BENEDICTUS XIV; aliæ vel colliguntur ex variis documentis quæ Benedictum XIV subsecuta sunt, vel necessariæ videntur ut recta eorum documentorum interpretatio et applicatio fiat.

I. Quando agitur de efformanda sibi opinione circa quæstiones de usuris, *ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe* abstinendum est, juxta consilium BENEDICTI XIV, §. 8, nempe a nimia severitate, sicut a nimia indulgentia. Qui scopus ut obtineatur, præsto sit regula *ibid.* tradita : « Suis privatis opinionibus ne nimis adhæ-« reant; sed plures scriptores examinent qui magis inter « cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant quas « tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelli-« gent. » Eamdem regulam inculcat idem Pontifex in sua Constitutione 26 junii 1749, *de Præparat. ad Jubil.*, §. 21, ubi observat hanc non circumscribi solis rei usurariæ limitibus, sed ea omnia complecti quæ ad rectum animarum regimen conferre possunt. Hujus regulæ fusior explicatio spectat ad Tr. *de Conscientia*. In præsenti adnotare sufficiat, hanc regulam optime congruere cum Responsis Romanis : S. enim Congregatio Inquisitionis quoad nonnulla quæsita respondet canonicis Locarnensibus

(n° 1419), *Consulant Encyclicam Benedicti XIV et probatos auctores;* S. autem Pœnitentiaria, postquam ad episcopum Atrebatensem respondit, quibusdam dubiis ab eo propositis satis provisum per decreta quæ ipsi transmittuntur, addit : *In reliquis consulat probatos auctores, aut adeat peritos theologos :* ex quibus intelligitur in hac materia, sicut in aliis de quibus non pronuntiavit Ecclesia, sequendam esse sententiam probatorum et peritorum theologorum, seu standum esse regulæ consuetæ.

1357. II. Qui juxta hanc regulam opinionem suam efformavit, debet eam nonnisi moderate tueri et proponere, abstinendo omnino ab injuriis et conviciis in contrariam sententiam, si præsertim ratione et præstantium virorum testimoniis minime careat. Ita pariter Benedictus XIV, §. 8. Facile intelligitur monitum illud per Responsa Romana magis ac magis inculcari iis qui rigidiorem sententiam sectantur. Sed neque excidere debet ex memoria eorum qui stant pro benigniori : « Les partisans « de l'opinion qui regardent l'intérêt légal comme légi- « time, inquit Ill. Episcopus Bellicensis, §. III, p. 555, « doivent cependant respecter l'opinion de ceux qui « pensent le contraire, et avec d'autant plus de raison « que cette dernière opinion trouve de très-solides fonde- « ments dans les SS. Pères, dans les décisions des théo- « logiens, dans les écrits des jurisconsultes et dans la « raison. » A fortiori idem dicendum est de iis qui ultra progrediuntur, et ipsum mutuum negotiationis propugnant, quorum tamen nonnullos ab ea regula multum deviasse agnoscit et conqueritur La Luzerne, t. I, p. V.

1358. III. Si ille qui efformatam opinionem habet, ab aliquo consulatur, non potest respondere nisi secundum suam opinionem. Illud contra quosdam probabilistas probatur in Tr. *de Conscientia.* Si ergo stet pro sententia rigidiori, nihil occurrit in Responsis Romanis ex quo

possit aliter respondere quam juxta mentem suam et secundum id quod tanquam veritatem habet: sed ex iis Responsis patet eum non posse obligare consulentem seu pœnitentem ad sequendam opinionem quam ipsi proponit. Imo poterit, et etiam aliquando debebit, præsertim si consulens non sit omnino indoctus, non ipsi pure et simpliciter respondere, sed dicere tantum id sibi videri probabilius ob tales rationes; addendo non deesse qui aliter sentiant, et quidem gravibus momentis innixi, quorum opinionem sequi poterit, si coram Deo judicet eam prævalere debere, vel indicando Responsa S. Sedis, quatenus possunt applicari statui in quo versatur consulens. Jam vero non desunt qui putent in plerisque casibus consulentem ex his Responsis sibi efformaturum esse conscientiam practice certam. Ita inter alios D. Boyer, *Lettre....*, §. 3, p. 25 et seq. Equidem, inquit, si consulens versaretur in vero dubio, ipsi respondendum esset : Si dubitas, ne lucrum percipias, quia Responsa S. Sedis supponunt bonam fidem, quæ cum dubio stare nequit. Sed subdit, plerumque non adesse verum dubium : est quasi dubium quod vocari posset reverentiale; scilicet plerique fideles omnino inclinantur ad judicandum licitum esse lucrum ex mutuo dato diviti qui ex pecunia accepta majus ipse lucrum consequetur; si audiant illud a gravibus doctoribus reprobari, imo et ab ipsa Ecclesia, profecto, si sint timoratæ conscientiæ, hærebunt et manebunt quasi ancipites : sed si in eo statu audiant quid ferant Responsa Romana, mox dubium deponent, et conscientiam suam efformabunt. Cæterum si perseveret dubium, sequenda erunt quæ modo diximus : « Si les « doutes ne finissent pas, si cette autorité ne les apaise « pas, je ne balancerai pas à lui dire (au consultant) : « Vous doutez, ne prêtez pas.... Les décisions émanées « de Rome sur le prêt présupposent la bonne foi, et la

« bonne foi est un repos de l'âme incompatible avec votre « doute.... Si cet homme presse davantage (celui qu'il « consulte et qu'on suppose être pour l'opinion sévère), « et va jusqu'à lui dire : Je demande votre avis et ne veux « avoir d'autre règle, nul doute qu'il ne doive lui ré- « pondre catégoriquement : Je suis pour l'opinion sé- « vère. » P. 26 et 30.

1359. IV. Demum pastor, confessarius, et alii quibus cura incumbit fideles dirigendi in viam salutis, hæc circa lucrum ex mutuo advertere debent.

1°. « Neminem id saltem latere potest, quod multis in « casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri « succurrere, ipso præsertim Domino edocente : *Volenti « mutuari a te ne avertaris.* » Verba sunt Benedicti XIV, §. 3, n° v. Quousque extendatur illud præceptum, antea exposuimus (n° 1037). Agnoscunt mitioris etiam sententiæ patroni ad casum quo urget præceptum charitatis non esse applicanda quæ ipsi docent de legitimitate lucri ex mutuo percipiendi.

2°. Agnoscunt etiam omnes, regulas in Responsis Romanis traditas non spectare ad lucrum supra taxationem legalem perceptum. Ut enim observat Ill. Episcopus Bellicensis, §. II, p. 552, ex una parte tunc non applicatur titulus legis civilis; et ex altera, etiam quando adest alius titulus, princeps jus habet taxandi auctarium, ad præcavendas ruinosas usurariorum vexationes, et huic taxationi standum est, prout diximus antea (nis 294, 295). Quamvis aliqua forsan admitti posset exceptio in casu quodam peculiari, stat tamen regula generalis, ut observat idem auctor, p. 554 : « Cette règle est toute dans l'intérêt de « l'ordre, dans l'intérêt des lois, dans l'intérêt des pauvres, « et dans l'intérêt de la société et du bien public. » Addi potest vix posse supponi bonam fidem contra taxationem legis, cui standum esse est persuasio communis.

Ex his intelligi potest monitum istud Ill. Archiepiscopi Tolosani, p. 30 : « Non obstantibus.... S. Pœnitentiariæ « responsis, omnem sollicitudinem impendant pastores et « confessarii, ut gravissimis verbis insectentur usuræ cri- « men, utpote coram Deo et hominibus odibile, caritati « et justitiæ adversum, turpis avaritiæ fœtum, quod pau- « peres, et ipsos etiam divites, in ruinam et innúmera « mala præcipites impellit. » Modus id ad praxim deducendi multum pendere debet a locorum et personarum circumstantiis.

3°. Si ille qui vult pecuniam suam collocare et lucrum ex ea educere, habeat titulum legitimum, instruendus est et ita dirigendus ut suo titulo utatur : sic enim omnino securus esse poterit. Pariter si possit contractum aliquem certo justum inire, id ei omnino suadendum est, eum admonendo ut contractum instituendum antea declaret, et conditiones explicet, prout monet Benedictus XIV, §. 9 : hæc magnopere conferunt, inquit, ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos.

4°. Quando locus est applicandi Responsa Romana, cavere debet confessarius ne desint conditiones in iis expressæ; quæ paucissimis quidem verbis enuntiantur, sed quæ eo ipso sunt attente ponderandæ, et juxta principia generalia explicandæ : nec enim intendunt SS. Congregationes Romanæ ab iis principiis recedere, quamvis non semper necessarium judicent ea explicite indicare.

5°. Observare solent benignioris sententiæ patroni contra rigidiores, non pertinere ad privatum definire quæstionem quam nondum definivit Ecclesia; item injustitiæ committendæ periculo se exponere eum qui obligat ad restitutionem ob lucrum perceptum, quod non constat esse usurarium. Illud libenter agnoscimus; sed optamus simul ne e memoria excidat, non minus judicis partes sibi assumere eum qui absolute pronuntiat lucrum esse

licitum, quam qui pronuntiat esse prohibitum (vid. Resp. Card. DE GREGORIO, n° 1423); item non minus injustitiæ periculo se exponere eum qui impedit restitutionem forte debitam mutuatario, quam qui præcipit restitutionem forte non debitam.

CAPUT XIV.

DE CONTRACTIBUS ACCESSORIIS, SEU DE ACCESSORIIS CONTRACTUUM.

1360. Per contractus accessorios, ut diximus ab initio (n° 10), illi intelliguntur qui supponunt contractum principalem cui accedunt, et a quo aliquatenus pendent. Hi tendunt præsertim ad assecurandam exsecutionem contractus principalis. Sunt quædam alia media quæ adhibentur ad promovendam eamdem exsecutionem, et quæ vel a sola lege oriri possunt, vel saltem ab ea sæpe oriuntur : quo in casu proprie dici nequeunt contractus accessorii, sed vocantur accessoria contractuum. Ex conventione partium oriuntur fidejussio (*le cautionnement*), et pignus (*le nantissement*) : ex conventione aliquando, sæpe autem ex lege, ortum ducunt hypotheca, et apprehensio corporis (*la contrainte par corps*) : ex sola lege, expropriatio coacta. De his omnibus sigillatim quædam dicemus, prout ad scopum nostrum interest : sed pleraque, utpote ad forum externum præsertim spectantia, remittemus ad jurisperitos.

ART. 1. *De fidejussione*, Gallice *du Cautionnement*[1].

1361. I°. Fidejussio DEFINIRI potest : *Contractus quo unus vel plures in se suscipiunt alienam obligationem adim-*

[1] De eo contractu nuper tractatum seu commentarium codicis Civilis edidit TROPLONG : ab initio, n° 1-13, hujus originem, et ea quæ de eo in Jure Romano occurrunt, satis fuse exponit.

plendam, si debitor principalis eam non impleverit. Ita quoad substantiam art. 2011 cod. Civilis. Licitum esse hunc contractum quidam olim negaverunt, sed paucissimi : nitebantur quibusdam S. Scripturæ textibus, *Proverb.* XXII, 26, XXVII, 13, etc., in quibus dantur tantum consilia prudentiæ, ne quis temere et leviter se subjiciat pro extraneo obligationibus quæ in ipsum plerumque recident : sed alibi commendatur fidejussio tanquam actus benevolentiæ et misericordiæ, *S. Luc*, X, 35; *Philem.*, 19. Vid. TROPLONG, n° 26.

1362. Ex hac definitione intelligitur fidejussionem non esse nisi contractum *accessorium*. Unde

Sequitur 1°., si obligatio principalis irrita sit, irritam esse et fidejussionem, quæ stare non potest nisi cum obligatione valida; art. 2012. Attamen si obligatio principalis elidi possit tantum per exceptionem personalem obligati, v. g., in casu minoris, iniri potest fidejussio; *ibid.* Utrum hæc dispositio applicari possit obligationibus uxorum jam vidimus (n° 201). Id negat GRENIER, *Tr. des Hypothèq.*, t. I, n° 55, p. 114, 115 : quia cum nullitas fundetur quadam honestate publica, prout diximus (n° 200), non potest haberi ut exceptio mere personalis. Attamen BATTUR, licet hoc nullitatis principium admittens, strenue rejicit consectarium, et propugnat validitatem fidejussionis : *Privilég. et Hypothèq.*, t. II, n° 271, p. 159. Ait TROPLONG, *Cautionnement*, n° 82, id hodie explorati juris esse. Dicunt pariter auctores fidejussioni sufficere obligationem mere naturalem, ut jam antea observavimus (n° 179). Sed si obligatio principalis sit sine causa, seu ex causa falsa aut illicita, vel de re extra commercium posita aut legibus seu bonis moribus contraria, irrita est fidejussio. Hinc agnoscunt jurisperiti vim non habere fidejussionem debiti ex ludo vel sponsione orti. Quamvis enim admitti possit ex antea dictis (n° 939) obligatio na-

turalis, ita ut non possit solutum repeti, attamen, ut observat DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 252, cum ideo denegetur quælibet actio quia *turpitudo ex utraque parte versatur*, satis patet creditorem qui debitum non recepit non magis habere actionem contra fidejussorem quam contra ipsum debitorem.

Sequitur 2°. fidejussionem non posse extendi ultra obligationem principalem, nec iniri sub conditionibus magis onerosis; si tamen ultra extendatur, non est ideo irrita, sed reductibilis ad mensuram obligationis principalis : art. 2013. Ita intelligendus est ille articulus, ut possit quidem fidejussor *magis* se obligare quam obligetur debitor principalis, sed *non in majus*, prout loquuntur auctores. Scilicet potest fidejussor se obligare dato pignore, licet debitor obligetur tantum ex mero chirographo; tunc strictior est obligatio, sed non magis extensa. Non potest autem se obligare sub conditionibus magis onerosis; quod quidem quintuplici præsertim modo accideret : *re* seu *quantitate*, si se obligaret ad majorem summam persolvendam; *tempore*, si debitum esset ad terminum, fidejussio autem absoluta; *loco*, si fidejussor solvere teneretur in loco ubi majores expensas faciendas haberet; *conditione*, si debitum esset conditionatum, fidejussio autem absoluta, vel si debitum esset sub duabus conditionibus conjunctim, fidejussio autem sub duabus item conditionibus, sed divisim, ita ut una tantum impleta fidejussor obligaretur; tandem *modo*, si debitum esset de una re tantum, fidejussio vero de una re vel altera alternatim. Vid. DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 254, 255. Observat BOILEUX, ad art. 2013, ultimum exemplum allatum non esse extra controversiam : si enim obligatio alternativa sit magis onerosa quatenus re una pereunte non liberatur debitor, ex altera parte est minus onerosa quatenus potest debitor se liberare per traditio-

nem alterutrius rei. Sed facile intelligitur posse fidejussionem non attingere nisi partem debiti, vel iniri sub conditionibus minus onerosis : ita idem art. 2013.

Sequitur 3°. per fidejussionem non tolli obligationem principalem : non liberatur debitor quia alius pro eo fidejussit, sed hic tantum accedit, ut eo securior fiat creditor. Si ergo dixerim me obligationem Petri in me recipere, ita ut is plane liberetur, non erit hæc fidejussio, sed, ut aiebant jurisperiti Romani, *expromissio*. Hinc dicunt iidem susceptionem obligationis alienæ in fidejussione fieri sine *novatione*. Vid. supra, n° 420, 421.

1363. Si vero nunc quæratur qualis præcise contractus sit fidejussio, est 1°. contractus *unilateralis*, cum solus fidejussor directe obligetur : et quidem, sive ineatur postulante aut saltem conscio debitore, quo casu est effectus mandati, sive ineatur eo inscio, ac proinde sit erga eum merus quasi-contractus negotiorum gestionis, initur plerumque *titulo gratuito* erga debitorem ; utrum autem aliter se res habere possit, id est, utrum possit fidejussor lucrum aliquod percipere pro fidejussione, infra expendemus (n° 1369). 2°. Est contractus *non solemnis* : nulli formæ speciali subjicitur. Attamen debet fieri verbis expressis : non in eo sensu quod sint quædam verba, ut dicitur, sacramentalia ; sed quia non præsumitur, nec debet extendi ultra verborum limites : art. 2015. Hinc clare exprimi debet reipsa suscipi obligationem debitoris principalis : si enim aliquem tibi commendaverim, dicens esse virum probum, cui secure pecunia mutuari possit, vel suadens ut cum eo negotium ineas, etc., non ideo fidejussorem illius me constituo. Pariter si quis se obliget ad obtinendum ut aliquis tale quid faciat, aut ratihabeat, non est fidejussor, sed hunc vocat Troplong, n° 29, *Porte-Fort*, de quo art. 1120, et nos supra (n° 239). Discrimen inter utrumque fuse exponit idem auctor, n° 30

et seq. Cæterum ut advertit, n° 138 et seq., ad determinandum sensum verborum multum inserviunt circumstantiæ. 3°. Est contractus *consensualis*, ut per se intelligitur.

1364. II°. Quotuplex *sit fidejussio*. Contractus ille, sicut quilibet alii, efformari potest per liberum consensum partium : sæpe tamen oritur ex obligatione debitori imposita præbendi fidejussorem; quæ quidem obligatio exsurgit vel ex conventione, vel ex lege, vel ex sententia judicis. Hinc triplex fidejussionis species : *conventionalis*, quæ locum habet quando debitor se obligavit ad habendum fidejussorem; *legalis*, quam lex ipsa dari præcipit, v. g., in art. 120 quoad bona absentium, in art. 601 quoad usufructuarium; et *judicialis*, quæ præcipitur a judice, v. g., quando alicui adjudicantur provisorie quædam bona sub onere dandi fidejussorem obligationis ea reddendi, si opus sit, art. 135 et 155 cod. Judicialis.

In eo differunt tres illæ fidejussionis species, quod 1°. ille qui obligatur ex lege vel sententia judicis ad præbendum fidejussorem, possit, si non inveniat, ejus loco tradere pignus ad securitatem debiti; art. 2041. Illud autem non admittitur quoad fidejussionem conventionalem : quia, ut observat Delvincourt, t. III, *Notes*, p. 256, creditoris interest habere fidejussorem potius quam pignus, quod custodire tenetur, quod aliquando potest subripi, etc.; ac proinde qui contraxit cum pacto obtinendi fidejussoris non debet cogi ad recipiendum pignus : debitoris erat non se obligare ultra id quod præstare poterat. 2°. Quædam exiguntur dotes in fidejussore judiciario, et quædam onera illi imponuntur, quæ non pertinent ad alios fidejussores, ut in decursu videbitur. Eam rationem afferunt jurisperiti, quod strictiora debeant esse vincula quibus assecuretur exsecutio obligationum quæ oriuntur ex sententia judicis.

1365. III°. QUINAM *possint esse fidejussores.* Ut quis possit esse fidejussor, requiritur 1°. ut sit *ad contrahendum habilis :* alioquin non posset suscipere in se obligationem, ut patet. Hinc minor, etiam emancipatus, non potest fidejubere; cum non possit etiam pro seipso mutuum accipere, art. 483, a fortiori non potest fidejubere pro alio. Hinc pariter fidejubere nequit uxor sine auctoritate mariti. Olim absolute prohibebatur uxori fidejubere : cum vero codex Civilis hanc prohibitionem non innovaverit, nil obstat hodie quin fidejubeat cum consensu mariti. Vid. PIGEAU, p. 540 ; DURANTON, t. XVIII, n° 309; TROPLONG, n° 184 et seq. Cæterum incapacitas minoris, aut uxoris, non extenditur ad casum quo commercium exercent. 2°. Requiritur ut *domicilium* habeat in territorio Curiæ regiæ loci in quo fidejussio dari debet; art. 2018 et 2040. Ita statutum fuit ne difficilius foret creditori jus suum prosequi. Quis autem sit ille locus, an domicilium debitoris, an creditoris, non constat : solutio pendere videtur ex circumstantiis. Vid. TROPLONG, n° 191 et seq. 3°. Ut habeat *bona sufficientia* ad assecurandum debitum pro quo fidejubet; art. 2018 et 2040 : alioquin non obtineretur scopus fidejussionis. Bona autem non habentur ut sufficientia, nisi sint immobilia, excepto tamen casu commercii vel debiti modici; et nisi sint a lite immunia, nec nimis difficilis discussionis ob distantiam loci in quo sita sunt : art. 2019 et 2040. Ideo excluduntur bona mobilia, quia facilius alienari possunt, nec possunt in hypothecam dari. Quandonam autem bona censeri debeant nimis difficilis discussionis determinare, pertinet ad judicem.

Dotes illæ fidejussoris ita requiruntur, ut si fidejussor iis polleret quando acceptatus fuit a creditore, sive voluntarie, sive coram judice, et postea eas amittat, novus fidejussor constituendus sit; excepto tantum casu quo

priorem fidejussorem creditor ipse nominatim requisierat: art. 2020. In ultimo isto casu, creditor sibi ipsi imputare debet : sed extra hunc casum, cum fidejussor oblatus fuerit a debitore, nec potuerit creditor hunc repudiare utpote tunc prædictum dotibus requisitis, æquum non est ut sua securitate privetur.

Observandum superest 1°. creditorem qui voluntarie acceptavit fidejussorem variis his dotibus non præditum, non posse alium exigere, modo non fuerit a debitore deceptus : sibi imputare debet. Hinc art. 2020 supponit fidejussorem quando constitutus fuit habuisse dotes requisitas, nec nisi postea eas amisisse. 2°. Quando agitur de fidejussione judiciaria, præter dotes indicatas requiritur ut fidejussor possit esse obnoxius apprehensioni corporis; art. 2040. Attamen ex art. 2060-5°. cod. Civ., et ex art. 519 cod. Judic. colligunt auctores fidejussorem non esse ipso jure obnoxium, sed posse solummodo recusari a creditore si nolit apprehensioni se subjicere. DELVINCOURT, *Notes*, p. 256, 257; DURANTON, n° 329, p. 339.

Cæterum in foro conscientiæ qui fidejussores se constituunt, cum sint solvendi incapaces, præsertim si dubitent an principalis debitor solvere queat, graviter peccant; ac proinde, si creditor ex ista fidejussionis larva damnum aliquod patiatur, illud reparare tenentur. Ita, et merito, D. BOUVIER, p. 369.

1366. IV°. De EFFECTIBUS *fidejussionis*. Possunt illi effectus sub triplici respectu considerari : inter creditorem et fidejussorem; inter debitorem et fidejussorem; inter varios fidejussores, si plures sint.

I. *Inter fidejussorem et creditorem*. Duplex onus imponitur fidejussori, simulque duplex beneficium seu remedium juris ipsi conceditur. Quod nunc breviter exponendum est.

1°. Non solvente debitore, *solvere tenetur fidejussor*,

Hæc est ipsa contractus natura. Et quidem fidejussio indefinita obligationis principalis includit omnia debiti accessoria; art. 2016. Fidejussoris autem obligationes transeunt ad ejus hæredes, excepta nihilominus apprehensione corporis; art. 2017.

Cum tamen fidejussor non teneatur nisi in defectum debitoris, antequam creditor adeat fidejussorem tenetur debitorem constituere in mora, quod facere potest etiam sine actu judiciario, seu potius requiritur ut constet eum non satisfecisse : alioquin a fidejussore repelli posset. Vid. Duranton, n° 331 ; Troplong, n° 232. Sed semel ac probatur debitorem non solvisse, adiri potest fidejussor, cui solummodo conceditur *beneficium ordinis*, seu *excussionis*. Scilicet potest postulare ut prius excutiantur debitoris facultates, ut constet eum solvendo imparem esse : nisi tamen huic beneficio renuntiaverit, vel nisi se obligaverit in solidum cum debitore, quo in casu applicantur quæ dicta sunt de debitis in solidum; art. 2021. Ne tamen hoc beneficium fidejussori concessum fiat creditori nimis nocivum, fidejussor qui eo vult uti, debet illud proponere *a limine litis*, ut aiunt jurisperiti (*sur les premières poursuites*) ; et simul indicare creditori bona discutienda, et subministrare expensas in ea discussione faciendas : ea autem indicatio respicere nequit bona sita extra territorium ejusdem Curiæ regiæ; vel litigiosa; vel extra possessionem debitoris posita, licet debito per hypothecam oppignerata : ita art. 2022, 2023. Quando hæc præstitit fidejussor, si creditor contra debitorem non agat, et ideo iste fiat solvendo impar, liberatur fidejussor juxta proportionem bonorum quæ indicavit; art. 2024.

Advertendum est hoc discussionis beneficium non competere fidejussori judiciario ; art. 2042. Non habet locum etiam in materia commercii, seu inter mercatores : ita omnes auctores, ait Troplong, n° 233.

1367. — 2°. Quando plures sunt fidejussores pro eodem debito, *unusquisque tenetur ad totum debitum;* art. 2025. Idem statuebatur in jure Romano. Ait Delvincourt, *Notes*, p. 257, 258, nullam sibi occurrere solidam hujus dispositionis rationem : quando singuli seorsim fidejusserunt, concipi potest eos voluisse se obligare quoad totum debitum ; sed si simul fidejusserint, nec tamen in solidum, non videtur cur debitum non inter eos divideretur, quemadmodum ex art. 1202 dividitur inter plures debitores principales, quando adsunt. Juxta Troplong, n° 282 et seq., dispositio fundatur in ipsa natura fidejussionis : quilibet fidejussor se subjicit obligationi debitoris principalis, ac proinde obligatur sicut ille ad totum. Quidquid sit, stante dispositione legis, quilibet fidejussor censetur eam cognoscere, ac proinde illi se subjicere. Advertit pariter Delvincourt, *ibid.*, et consentiunt plures alii, non ideo fidejussores teneri in solidum : *Aliud est*, inquiunt, *teneri in totum, aliud teneri totaliter;* unde dicunt fidejussoribus istis non applicari articulos 1205, 1206, 1207 cod. Civilis. Sed juxta Troplong, n° 290 et seq., adest in mente legum vera solidaritas; quæ non differt a solidaritate ordinaria nisi ratione facultatis concessæ per art. 2026.

Scilicet ex illo articulo, ad temperandum præcedentis dispositionis rigorem, inductum est *beneficium divisionis;* id est, potest unusquisque fidejussor, nisi huic beneficio renuntiaverit, exigere ut creditor dividat suam actionem, et eam restringat ad partem uniuscujusque : si tamen eo tempore sint quidam fidejussores solvendo impares, fidejussor qui divisionem postulavit tenetur pro iis, proportione servata; secus, si nonnisi post divisionem facti sint impares : art. 2026. Hinc intelligitur facultatem divisionis non omnino tollere solidaritatem, cum fieri non possit nisi inter fidejussores solvendo pares, et isti teneantur pro

iis qui sunt impares : sed semel facta divisione, sublata est solidaritas, nec potest reviviscere. TROPLONG, nis 294, 308-310. Pariter si ipse creditor voluntarie actionem suam diviserit, non potest postea hanc divisionem retractare, quamvis, etiam ante admissam divisionem, quidam fidejussores forent solvendo impares; art. 2027.

1368. II. *Inter fidejussorem et debitorem principalem.* Jura fidejussoris spectari possunt sive antequam solverit, sive postquam ipse debitum solvit.

1°. *Antequam solverit,* potest profecto fidejussor invigilare, et elicere circa bona debitoris actus, ut aiunt, conservatorios, quibus assecuretur sive solutio debiti, sive proprius recursus si ipse solvere cogatur. Potest, etiam antequam solverit, agere contra debitorem, et ipsum cogere ad solvendum, in quinque casibus : 1. si ipse solutionis causa in jus vocetur; 2. si debitor bonis cesserit, vel sit in statu decoctionis; 3. quando debitor se obligavit ad exhibendam liberationem intra certum quoddam tempus, etiamsi postea prorogationem obtinuerit; 4. quando debiti terminus elapsus est, pariter etiamsi prorogatio concessa fuerit; 5. post decennium, quando debito principali nullus terminus assignatus est, nisi tamen hoc talis sit naturæ ut non possit exstingui ante quoddam tempus, ut tutela : art. 2032, 2039.

2°. *Postquam solvit* fidejussor, 1. recursum habet contra principalem debitorem, pro ipsa summa soluta, pro interesse, pro impensis quas pertulit post monitum debitorem principalem, et pro damnis, si adfuerint; art. 2028 : sive fidejussor habeatur ut mandatarius debitoris, sive ut ejus negotiorum gestor, habet, ex principiis generalibus, art. 1375, 1999, suum recursum. Sed cum ille recursus non extendatur ad impensas quas ex culpa sua subiit, non comprehendit eas quas pertulit ante monitum debitorem. Quando plures debitores tenebantur in solidum,

ipse fidejussor recursum habet contra unumquemque pro summa totali; art. 2030. Sed si solverit non monito debitore principali, et iste solverit secunda vice, vel si solverit quando potuisset debitor obtinere ut debitum declararetur exstinctum, non habet recursum contra debitorem, sed solum contra creditorem, a quo poterit solutum repetere; art. 2031.

2. Subrogatur omnibus juribus quæ habebat creditor contra debitorem; art. 2029. Id sequitur ex principio generali quod statuit art. 1251; et ideo inutile evadit beneficium *cedendarum actionum*, quod concedebatur in jure Romano. Dupin, *ad Recitat.* Heineccii, §. 882; Troplong, n° 355-361.

1369. Inquirendum superest : *Utrum possit fidejussor* aliquid stipulari, seu *lucrum aliquod a debitore percipere pro fidejussione?* — Ordinarie, ut ab initio diximus (n° 1363), nullum pretium exigitur pro fidejussione. Nihil tamen obstat, inquit Duranton, n° 300, quin fidejussor stipuletur aliquid sibi a debitore principali solvendum : illudque ordinarie fit, quando aliquis cum Gubernio paciscens pro præstandis quibusdam mercibus vel operis, alterum invenit qui, pro ipso fidejubens, bona pleruinque immobilia subministrat in quæ hypothecam acquirit Gubernium; tunc iste fidejussor jus stipulatur ad quoddam auctarium, vel ad partem lucri. Ita etiam Delvincourt, *Notes*, p. 251. Nec videtur coram jure civili ullam esse posse difficultatem.

Sed inter theologos non ita omnino constat, quia nonnulli existimant fidejussionem esse quoddam veluti mutuum virtuale; ac proinde usurarium fore lucrum quod exinde perciperetur. Ita post S. Antoninum et plures canonistas *Coliat. Parisiens., de Usura*, t. I, l. VI, conf. II, §. 7, p. 372; Juenin, *Cas de consc.*, t. II, tr. XIII, c. II, p. 263, et t. III, tr. XVI, c. IV, §. VI, p. 55. Aliud

tamen sentiunt de eo qui fidejubet ad preces creditoris : in eo casu non est mutuum sive explicitum, sive implicitum, sed contractus assecurationis, a quo extra hunc casum prorsus distinguitur fidejussio (vid. TROPLONG, nis 35, 36); nil proinde obstat quin aliquid a creditore exigat.

Sed plerique alii in conventione de qua agimus non agnoscunt mutuum usurarium, quamvis inter se non omnino consentiant tum circa rationem suæ decisionis, tum circa illius extensionem.

Scilicet 1°. supponi potest fidejussorem *exponi periculo*, non solum ne ipse solvere cogatur, sed etiam ne postea a debitore summam solutam recuperare non possit. In eo casu, si dicatur fidejussionem æquivalere mutuo, dicendum erit ibi adesse periculum sortis; et quæstio solvenda erit ex iis quæ diximus ubi de hoc titulo in mutuo : ideoque juxta opinionem hodie satis receptam (nis 1185 et 1187) poterit fidejussor aliquid exigere.

2°. Supponi potest esse periculum ne fidejussor, ad solvendum, aliquod *damnum pati*, aut *lucrum amittere* cogatur. Tunc etiam eum posse aliquid exigere debent admittere fere omnes; cum, ut vidimus, admittant periculum damni emergentis esse titulum in mutuo aliquid ultra sortem percipiendi.

3°. Supponi potest aliud periculum non esse nisi solvendi loco debitoris. Tunc est præcipua difficultas, et hunc præsertim casum respicit controversia mox indicata. Porro, ut diximus, plerique theologi affirmant aliquid exigi posse. Ita plures, quos citat et sequitur MOLINA, t. II, D. CCCXIX, n° 1, dicens esse communem doctorum sententiam; HABERT, c. XIV, q. 5°., p. 326, ubi testatur ita sentire veteres theologos communiter, et plures ex recentioribus, e quibus allegat Fagnanum et Sylvium; ANTOINE, t. IV, c. X, quæst. III, p. 123; *Collat. Ambian.*, t. IV, p. 232; S. LIGUORI, testans esse com-

mune, l. 3, n° 912; nec omnino dissentit COLLET, c. x, n° 21, p. 608. His duobus nituntur. 1. Non potest hic adesse usura, quia non adest mutuum : nihil tradit hic et nunc fidejussor, sed tantum se obligat ad postea tribuendum; porro sine traditione non est contractus mutui, qui est realis (n^is 1019 et 1029). 2. Onus quod in se suscipit fidejussor, solvendi nempe loco debitoris, est vere pretio æstimabile in communi hominum æstimatione. Illudque adeo verum est, ut juxta multos theologos, et speciatim juxta eos quos hic impugnamus, si mutuo tradens alicui pecuniam onus ipsi imponat ut ipse postea vice sua mutuum sibi tradat, pactum illud sit usurarium. Vid. quæ diximus ubi *de Usura* (n° 1163).

4°. Demum supponi potest non esse periculum ne fidejussor solvere cogatur, sed illi perspectum esse quod debitor principalis sit omnino par solvendo. In eo casu ait Covarruvias apud Molinam, n° 2, item alii quibus assentitur P. ANTOINE, p. 124, et D. BOUVIER, p. 370, eum nihil posse exigere; quia tunc obligatio quam suscipit, nullum affert onus pretio compensabile : aitque COLLET, n° 21, p. 608, satis communiter ita docere auctores. Nihilominus dicit Molina sibi placere sententiam communem, quæ universim quod dictum est affirmat; tametsi parum admodum licitum sit accipere, quando nullum timetur periculum. Inter hæc, libenter diceremus cum Collet, thesim istam ex circumstantiis facti definiendam esse. Usu apud viros bonæ frugis receptum est, subdit idem auctor, ut fidejussor nihil unquam exigat, nisi de aliquo propter periculum damni emersuri pretio convenerit. Dici tamen potest satis rarum esse ut nullum omnino subeatur periculum, cum nonnisi ratione periculi vulgo exigatur fidejussor, et veluti quoddam proverbium receptum sit : *Qui cautionne, paye.*

1370. III. *Inter varios fidejussores.* Nihil obstat quin

eadem obligatio fidejubeatur a pluribus, vel conjunctim, vel divisim : tunc hi vocantur *Cofidejussores*. Aliquando etiam aliquis fidejubet pro ipso fidejussore : ille vocatur Gallice *Certificateur de caution*.

1°. Inter cofidejussores ex natura rei nullus existit contractus aut quasi-contractus. Quando tamen unus totum debitum solvit, inde exsurgit quasi-contractus, quatenus nemo debet cum damno alterius ditescere; ille recursum habet contra cæteros, secundum uniuscujusque partem : art. 2033. Sed cum ille recursus ideo competat quia solutio cæteris fidejussoribus profuit, requiritur ut ea solutio facta fuerit tempore opportuno, id est, in uno e casibus in quibus fidejussor agere poterat contra debitorem etiam ante solutionem, et qui enumerantur art. 2032; *ibid.* Requiritur etiam ut monuerit debitorem principalem in sensu articuli 2031 : si enim recursum non habeat contra debitorem, non habebit contra cofidejussores. DURANTON, n° 366.

2°. Si fidejussor fidejussoris solverit, contra istum habet recursum seu ejus juribus subrogatur, et non tantum contra debitorem principalem. Vid. DURANTON, n° 370.

1371. IV°. *Quomodo* EXSTINGUATUR *fidejussio*. Fidejussio exstingui potest duplici modo, scilicet vel directe, vel indirecte.

1°. *Indirecte*, quando exstinguitur debitum principale, sine quo, ut ab initio dictum est, non subsistit fidejussio.

Hinc 1. fidejussor potest opponere creditori omnes exceptiones quæ pertinent ad debitorem principalem, et quæ ipsi debito inhærent; sed non potest opponere eas quæ sunt mere personales debitori, ut jam dictum est : art. 2036. Ad priorem speciem pertinet exceptio desumpta ex vi, vel dolo, etc.; ad posteriorem, desumpta ex minoritate.

Hinc 2. quando creditor voluntarie acceptavit bonum

immobile aut aliud quodcumque in solutionem debiti principalis, liberatur fidejussor, etsi postea creditor evincatur; art. 2038. Obligatio semel exstincta non debet reviviscere quoad fidejussorem, qui se judicans liberatum sibi non consuluit. TROPLONG, n° 580-582.

2°. *Directe* exstinguitur fidejussio, 1. ex variis causis quæ generatim exstinguunt obligationes; art. 2034. Illæ causæ enumerantur art. 1234 : eas hic breviter recenset PIGEAU, p. 552, 553. In eo quod spectat ad confusionem, si debitor principalis et fidejussor fiant alter alterius hæres, non ideo exstinguitur actio creditoris contra fidejussorem fidejussoris; art. 2035. Ita expresse statutum fuit, quia aliud admittebatur in jure Romano, sed ex mera subtilitate, inquit DELVINCOURT, *Notes*, p. 264.

2. Exstinguitur etiam quando ex facto creditoris impossibilis evadit subrogatio fidejussoris in illius jura, hypothecas et privilegia; art. 2037. Ratio est, quia æquum non est ut fidejussor obligatus remaneat erga creditorem qui eum spoliat jure quo frui debet in compensationem oneris in se suscepti, et speciatim quia semel indûcto beneficio discussionis, de quo supra, creditor tenetur servare fidejussori actiones et jura ex quibus ea discussio ipsi prodesse potest. Hanc esse veram causam principii art. 2037 sanciti probat TROPLONG, n° 533-551.

ART. 2. *De Pignore*, Gallice *du Nantissement*.

1372. Pignus, quod Gallice vocamus *Nantissement*, definitur in codice Civili, art. 2071 : *Contractus quo debitor rem aliquam creditori suo tradit in securitatem debiti.*

Dicitur 1°. *Contractus* : et quidem 1. *accessorius*, ut jam diximus, et facile intelligitur; 2. *realis*, quia non perficitur, ut mox videbimus, nisi per rei traditionem; 3. *onerosus*, quia non initur præcise in favorem alterutrius, sed creditor suam securitatem intendit, debitor vero facilitatem

differendi solutionem; 4. *commutativus,* non aleatorius; et quidem commutativus *imperfectus*, quia sola obligatio directa ex eo orta non respicit nisi creditorem, qui tenetur, debito soluto, pignus reddere; obligationes vero quæ attingere possunt eum qui pignus tradit sunt tantum indirectæ et incidentes; 5. *non solemnis,* quia non præscribitur specialis forma, et quæ exiguntur respiciunt probationem tantum. Vid. POTHIER, *Contr. de Bienfais.*, tom. II, *Nantissement*, n° 13-17. — 2°. *Quo debitor,* quia ab illo pignus reipsa plerumque traditur : sed tamen pignus tradi potest ab alio quam debitore, ex art. 2077 : unde verba definitionis non sunt in toto rigore sumenda, vel dicendum cum Pothier, *Quo debitor vel alter in ejus gratiam....* 3°. *Rem aliquam*, quia potest esse vel res mobilis, vel immobilis, ex art. 2072 : in priori casu, contractus retinet nomen pignoris, Gallice *Gage;* in posteriori, dicitur *Antichresis*. Sed advertendum in antichresi prout apud nos existit non esse verum pignus, quia nullum jus reale, nullum privilegium in rem confertur; solummodo percipiuntur fructus in compensationem debiti. Ita DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 437. Saltem constat hoc esse discrimen magni momenti inter pignus et antichresim : pignus ex re immobili esset potius hypotheca quam antichresis, ut intelligetur ex dicendis in art. seq. Possunt tradi in pignus jura incorporea, v. g., credita (*des créances*) : id aperte supponit art. 2075. 4°. *Traditi,* quia contractus ille non perficitur nisi per traditionem rei : antea potest esse conventio valida de dando pignore, sed non est contractus pignoris. Vid. POTHIER, n[is] 8, 9. Imo non stat privilegium in rem traditam nisi quatenus hæc permanet in possessione creditoris; art. 2076. In hoc differt pignus ab hypotheca, in qua res non traditur creditori, sed remanet penes debitorem. 5°. *Creditori suo,* quia ita fit plerumque; sed fieri potest

ut tradatur tertiæ personæ, ex conventione inter creditorem et debitorem, ex art. 2076 : tunc illa tertia persona habetur ut mandatarius creditoris. 6°. *In securitatem debiti*, quia hic est finis pignoris; non transfertur rei dominium, sed assecuratur debitum, vel per privilegium creditori concessum, si agatur de pignore, vel quia percipit creditor fructus in compensationem debiti, quando agitur de antichresi, ut fusius mox exponemus.

His præmissis, agemus seorsim de simplici pignore, et de antichresi.

§. 1. *De simplici pignore.*

1373. Generatim omnia bona debitoris sunt pignus commune creditorum, ex art. 2092 et 2093, quatenus nempe possunt creditores obtinere ut vendantur hæc bona, quorum pretium sibi tribuatur juxta debitam proportionem. Sed in sensu magis stricto jus pignoris efficit ut creditori competat facultas, non solum obtinendi venditionem rei oppigneratæ, sed sibi hujus pretium vindicandi præ cæteris creditoribus ejusdem debitoris. Tale jus apud nos confertur quoad res immobiles per privilegium aut hypothecam de quibus in art. seq., et quoad res mobiles per contractum pignoris, cujus regulæ nunc assignandæ sunt. Illæ regulæ respiciunt 1°. jura creditoris; 2°. illius obligationes; 3°. obligationes debitoris.

I°. De JURIBUS CREDITORIS. Illa jura sub duplici respectu considerari possunt : 1°. quoad debitum; 2°. quoad rem oppigneratam.

I. *In ordine ad debitum*. Creditor jus habet in pretium rei præ cæteris creditoribus; art. 2073. Unde quamvis ut valeat contractus pignoris inter contrahentes nulla specialis forma requiratur, cum tamen facile damnum inferri posset cæteris creditoribus, nisi via fraudi et deceptioni præcluderetur, ideo ut valeat contractus erga

cæteros, plura requiruntur, art. 2074. — 1°. Requiritur ut scripto constet de contractu, quando superat 150 fr.; et quidem ut constet authentice, nempe per actum publicum, vel per actum privatum in tabulas publicas relatum (*enregistré*) : alioquin facile posset debitor uni e creditoribus præ cæteris favere, supponendo contractum pignoris jamdiu initum (*par une antidate*). Ex hoc motivo legis deducunt jurisperiti non requiri inscriptionem, quando de tempore initi contractus satis constat per alteram viam, ad sensum articuli 1328, v. g., quia qui subscripsit mortuus est. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 442, et PIGEAU, p. 559; quibus tamen contradicit DURANTON, t. XVIII, n° 514, existimans hic omnia verba legis rigorose sumenda esse. 2°. Requiritur ut in scripto illo authentico enuntietur summa debita : alioquin privilegium ultra extendi posset, cum damno cæterorum creditorum. 3°. Ut pariter enuntientur natura et species rei in pignus traditæ, ut dignoscatur ejus valor : ne detur etiam locus collusioni inter debitorem et creditorem contra cæteros creditores. 4°. Quando traduntur in pignus jura incorporea mobilia, requiritur insuper ut traditio intimetur (*soit signifiée*) debitori crediti dati in pignus; art. 2075 : ne scilicet ille debitor solvat creditori suo cum damno illius cui pignus datum est. Iste non potest quidem immediate recipere solutionem, nisi mandatum acceperit a suo debitore; sed potest obstare ne solutio alteri fiat, nisi sibi satisfactum fuerit. Cæterum non sufficit ea intimatio, nisi titulus juris incorporei traditus fuerit creditori, in sensu articuli 2076. Vid. DELVINCOURT, *Notes*, p. 442.

1374. II. *In ordine ad rem oppigneratam*, creditor habet jus eam detinendi, usque ad integram solutionem.

Dicitur 1°. *Detinendi* : hoc tantum jus ipsi competit; unde non potest ea uti, nec vendere, sed potest tantum obtinere a judice ut res vel sibi tribuatur in solutionem

juxta peritorum æstimationem, vel vendatur auctione publica : conventio qua creditori concederetur facultas rem sibi tribuendi, vel de ea disponendi aliter quam juxta formam indicatam, irrita declaratur. Ita art. 2078. Ratio est, quia alioquin creditor facile extorqueret a debitore pignus nimii valoris, sicque de eo disponens perciperet usuram immodicam. Cæterum jus illius est jus *in re :* potest eam sibi vindicare erga dominum; quoad alios, ad quos devenire posset, cum agatur de re mobili, applicandi sunt art. 2279, 2280. Vid. DELVINCOURT, *Notes*, p. 439. Igitur usque ad expropriationem debitoris, servat dominium pignoris, quod non est penes creditorem nisi veluti depositum quo assecuretur solutio; art. 2079. Et quidem illud depositum est indivisibile, non obstante divisibilitate debiti in cujus securitatem datur : id est, si unus ex hæredibus debitoris partem suam debiti solverit, non ideo potest partem pignoris repetere, donec integrum debitum solutum fuerit; vice versa, si unus ex hæredibus creditoris partem suam receperit, non ideo potest pignus restituere : art. 2083.

Dicitur 2°. *Usque ad integram solutionem*, quia nisi detentor pignoris eo abutatur, non potest debitor hujus restitutionem postulare, donec satisfecerit debito principali, et ejus accessoriis; art. 2082. Imo si idem debitor erga eumdem creditorem contraxerit post traditionem pignoris novum debitum, cujus solutio obtigerit (*devenue exigible*) ante solutionem prioris debiti pro quo pignus datum fuerat, creditor potest pignus detinere donec sibi satisfactum fuerit pro utroque debito, etiamsi nulla speciali stipulatione pignus affixum fuerit posteriori debito; *ibidem :* censetur debitor ideo non exegisse pignus pro posteriori debito quia innixus est pignori quod jam præ manibus habebat. Sed articulus non applicatur nisi novum debitum sit personale debitori erga creditorem : si enim

oriretur ex cessione ab aliquo facta creditori, ex successione, etc., tunc pignus huic non applicaretur, quia cessor non potuit transferre jus quod non habebat. Vid. DURANTON, n° 546 et seq.

1375. II°. De OBLIGATIONIBUS CREDITORIS. Creditori qui pignus detinet istæ imponuntur obligationes. 1°. Debet in re servanda invigilare tanquam bonus paterfamilias, adeo ut teneatur de interitu aut deterioratione rei quæ ex ejus negligentia orirentur. Ita statuit art. 2080, et jam de hoc diximus in parte I (n° 282, p. 370). Imo si re oppignerata abutatur, potest debitor hujus restitutionem postulare, ut supponit art. 2082. — 2°. Si res oppignerata sit frugifera, v. g., si sit creditum jus conferens ad auctarium, debitor tenetur fructus imputare primum super auctario quod ipsi deberi potest, deinde super ipso debito principali. Ita art. 2081; ex quo intelligitur per ipsam pignoris traditionem non conferri creditori jus percipiendi fructus vel auctarium, ut alio loco diximus (n° 1224). 3°. Debet rem reddere statim ac accepit solutionem debiti in cujus securitatem tradita fuerat. Statim enim cessat ratio pignus detinendi.

Quid vero, si debitor rem reliquerit per triginta annos penes creditorem, et ipse creditor per totum illud tempus non postulaverit solutionem debiti, istud debitum eritne præscriptum, ita ut possit debitor repetere pignus, et non solvere debitum? — Negat DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 443, quia pignoris possessio per creditorem est quasi reclamatio perpetua, in ipsius gratiam, nec proinde currit per totum illud tempus præscriptio. Ita etiam PIGEAU, p. 566; DURANTON, n° 553.

1376. III°. De OBLIGATIONIBUS DEBITORIS. Debet solvere creditori impensas necessarias aut utiles quas fecit ad conservationem rei; art. 2080. Illud autem adest discrimen inter utrasque, quod impensas necessarias semper

debeat, licet res perierit, modo absque culpa creditoris; non debeat autem utiles, nisi quatenus ex iis auctus est valor rei. DELVINCOURT, *Notes*, p. 440; DURANTON, n° 542.

Si res in pignus tradita damnum aliquod intulerit creditori, dicunt pariter auctores debitorem teneri illud reparare.

1377. *Nota.* Regulæ ex jure civili in præsenti paragrapho statutæ non applicantur in materiis commercialibus, nec domibus quæ dicuntur *Maisons de prêt sur gage*, aliter *Monts de Piété*. Ita art. 2084. De iis quæ spectant ad commercium, vid. cod. Comm. art. 93, 190, 196 : de Montibus Pietatis jam antea diximus (n° 1237 et seq.).

Insuper per decretum 17 martii 1808, cujus dispositiones per decennium vigere debebant, variæ cautiones longe strictiores præscriptæ fuerant erga Judæos, utpote ad injustitiam et usuram valde proclives. Vid. DELVINCOURT, *Notes*, p. 438.

§. 2. *De antichresi.*

1378. Antichresis, qualis vigebat apud Romanos, erat pactum quo creditori tradebatur res cujus fructus perciperet *in usuras*, prout dicitur l. 11, §. 1, ff, xx, 1, *De Pignor. et Hypothec.*, id est, tanquam in compensationem auctarii summæ ipsi debitæ. Sed nostra jurisprudentia, inquit POTHIER, *Nantissement*, n° 20, hanc conventionem reprobavit, non solum in mutuo, sed etiam in censu. Hodie etiam qui percipit fructus debet eos imputare primum super auctarium si debeatur, deinde super ipsam sortem; art. 2085. Nec alium scopum habet antichresis, quæ ideo dicitur, art. 2072, pignus in re immobili, quamvis, ut diximus (n° 1372), non sit pignus stricte dictum, a quo differt non solum quia locum non habet nisi in immobilibus, sed quia non confert jus in ipsa re, nec privilegium creditori, ut mox dicemus.

Contractus antichresis debet fieri scripto; art. 2085. Sed scriptura exigitur tantum ad probationem, non vero ad solemnitatem : nec requiritur ut constet de tempore, seu ut habeat, juxta receptum loquendi modum, *une date certaine;* sive quia vim non habet erga extraneos, sive quia per traditionem completur. Ita saltem DELVINCOURT, t. III, p. 219, et *Notes*, p. 444, cui tamen non omnes concordant, ut ex infra dicendis intelligetur.

De hujusmodi contractu hæc notare sufficiet.

I. *De jure creditoris*. 1°. Per antichresim creditor acquirit tantum facultatem *percipiendi fructus* rei traditæ usque ad integram solutionem; sed sub onere ut quotannis illi fructus imputentur vel in auctarium si debeatur, vel in sortem : art. 2085 et 2087. Si stipulata sit compensatio inter fructus et auctarium, vel totaliter vel usque ad certam concurrentiam, hæc conventio exsecutioni mandari debet sicut quælibet conventio lege non prohibita; art. 2089. Olim hujusmodi conventio non admittebatur, quia favere poterat contractibus usurariis : sed quando sancitus fuit art. 2089, nondum facta fuerat taxatio auctarii, sed ex art. 1907 relinquebatur liberæ contrahentium determinationi; hinc explicatur art. 2089. Sed ex lege 3 sept. 1807 auctarium non potest exigi ultra 5 pro 100 : unde si fructus antichresis hanc taxationem superarent, esset reductioni locus; solummodo ex præsenti articulo concludi potest judicium ferendum fore ex æquo et bono, quia non potest semper attingi rigorosa æqualitas. Ita DELVINCOURT, *Notes*, p. 445; DURANTON, n^is^ 556, 557; vid. supra, n° 1290.

2°. Non potest iniri pactum ut res fiat creditoris ob defectum solutionis adveniente termino; potest solum tunc *postulare expropriationem* per vias legales : art. 2088. Quidam putabant per hunc articulum non excludi pactum vi cujus posset creditor rem vendere, ut dicitur, *à*

l'amiable, vel per auctionem publicam coram notario, vel etiam obtinere ut sibi tribueretur juxta peritorum æstimationem quemadmodum pro pignore permittit art. 2078. Sed aliud sentiebant DELVINCOURT, *Notes*, p. 444 et 445, et DURANTON, n° 567 : et in eo sensu statuit novus art. 742 cod. Judicialis reformatus per legem 2 junii 1841.

1379. II. *De obligationibus creditoris.* Tenetur creditor, nisi aliter conventum fuerit, solvere tributa, et cætera onera annua rei in antichresim traditæ; item providere ejus conservationi, et præstare reparationes necessarias et utiles; sed varias illas expensas compensare potest cum fructibus : art. 2086.

Si tamen velit creditor ab his oneribus se eximere, potest, nisi aliter conventum fuerit, debitorem cogere ad recipiendam restitutionem rei; art. 2087. Sed ex ipsis verbis articuli intelligitur valere pactum quo creditor se obligaret ad rem retinendam usque ad integram solutionem.

1380. III. *De effectibus antichresis erga extraneos.* Quæcumque de antichresi statuuntur non obstant juribus quæ extranei habere possunt circa rem in antichresim traditam; art. 2091. Satis intelligitur eos qui jus aliquod habebant in rem, v. g., privilegium aut hypothecam, antequam traderetur in antichresim, non eo spoliari; siquidem ne per ipsam quidem rei alienationem illud amitterent. Unde creditor qui rem accepit his non præfertur, nisi ipse habeat jura aut hypothecas, quibus uti poterit suo ordine et quemadmodum quilibet alius creditor, prout statuit idem art. 2091.

Sed si agatur de creditoribus quorum jus ortum est post constitutam antichresim, quidam existimant iis pariter applicari art. 2091, ac proinde, si sint hypothecarii, posse eos uti jure suo non obstante antichresi : dispositio enim articuli, si ad solos creditores anteriores referretur, fuisset omnino supervacanea. Ita DELVIN-

COURT, p. 210, et *Notes*, p. 444, qui illud extendit ad ipsos creditores mere chirographarios : juxta ipsum, qui rem in antichresim habet facit quidem fructus suos statim atque eos percepit sine oppositione; sed antequam fuerint percepti, possent alii creditores postulare ut inter omnes dividerentur, absque ullo ipsius privilegio, quia antichresis non confert ullum jus in re. — Verum contradicunt multi alii, inter quos DURANTON, n° 560, qui pro certo tenet antichresim vim suam servare contra alios creditores qui hypothecam non obtinuerunt nisi post constitutam antichresim, et contra mere chirographarios. Etenim 1. ex art. 2071 et 2072 invicem collatis patet antichresim conferre securitatem creditori : porro nullam conferret in sententia quam hic impugnamus. 2. Merus boni alicujus conductor non potest, ex art. 1743, deturbari ab eo qui bonum acquisivit, nisi fuerit aliter conventum; ergo a fortiori nec ille qui habet antichresim. 3. Si antichresis vim nullam haberet erga extraneos, supervacaneum fuisset exigere scripturam, quæ non est inter ipsos contrahentes necessaria. Dicendum ergo videtur eum qui recepit antichresim non habere quidem privilegium in sensu quem exponemus in art. seq., sed habere jus *retentionis* quo spoliari nequit a suo debitore donec totum debitum solutum fuerit.

ART. 3. *De Hypotheca.*

1381. Ut creditorum securitati consuleretur, inductus est contractus pignoris, ut dictum est in art. præcedenti. Sed cum pignus supponat rei traditionem (n° 1372), debitori profecto molestissimum foret possessionem bonorum immobilium abdicare in manus creditoris, qui aliunde, temporanea tantum possessione fruens, bona illa sæpe negligeret cum magno agriculturæ detrimento. Hinc paulatim eo deventum est ut posset debitor bonum suum

oppignerare, creditori conferendo jus reale, nec tamen possessionem dimittendo : quod præstat hypotheca, quæ e jure Græco in jus Romanum transiens primævum nomen retinuit.

Dicunt plures jurisperiti, inter omnes materias de quibus agitur in jure civili istam esse maximi momenti, utpote quæ spectet ad fortunam omnium civium, et ex qua pendeant omnes transactiones sociales et commerciales. Vid. TROPLONG, *Hypothèques*, Præfat., p. 1. Quidquid sit de tali assertione, quam nostrum non est discutere, pro comperto habemus hanc materiam non tanti interesse ad scopum quem in præsenti tractatu intendimus; non enim nisi modo satis remoto ad forum conscientiæ attinet; est præsertim pro foro civili, et jurisperitorum propria, potius quam theologorum. Unde mirum non videbitur, si nos eam paucis expediamus : satis erit notiones generales indicare, nec necessarium adæquatæ investigationi incumbere.

Agnoscunt pariter jurisperiti valde arduam esse legislatori hanc materiam : cum enim agatur de conciliandis tum juribus, tum utilitate sive debitoris, sive creditoris, facile evenit ut dum uni vult lex favere, alteri nimium noceat. Hinc mirum non est quod multi postulaverint ut circa hanc codicis Civilis partem aliqua reformatio induceretur. Nec frustra : jam enim exquisitæ sunt, et typis vulgatæ observationes Tribunalium, necnon et Facultatum juris circa varia puncta quibus applicanda videri potest hæc reformatio[1]. Sperandum profecto rem ad felicem exitum fore perducendam. Interim standum dispositionibus legis nunc vigentis. Eas paucis exponemus : agemus 1°. de de-

[1] *Documents relatifs au Régime Hypothécaire et aux réformes qui ont été proposées, publiés par ordre du Garde des Sceaux, etc.*, 3 vol. in-8°, 1844. Vid. de hoc opere *Revue de Législat. et de Jurispr.*, oct. et nov. 1844, t. v (XXI de la collect.), p. 197 et 298; et janv. 1845, t. I (nouvelle série), p. 24.

finitione et natura hypothecæ; 2°. de variis speciebus; 3°. de effectibus; 4°. de exstinctione.

1382. I°. *De* DEFINITIONE *et* NATURA *hypothecæ.* Vox illa, *Hypotheca,* quæ primum designabat conventionem qua res oppigneratur creditori absque traditione, postea indicavit rem ipsam oppigneratam, et tandem nunc magis peculiariter applicatur ipsi juri quo res illa attingitur. Sub eo respectu definiri potest : *Jus reale et indivisibile in bonum immobile ad solutionem debiti obligatum.* Ita art. 2114 cod. Civilis. Hæc definitio convenit cuilibet hypothecæ, etiam ei quæ oritur ex lege vel ex sententia judicis. Sed observant quidam jurisperiti non esse omnino adæquatam, quia non indicat finem hypothecæ, qui in eo situs est ut possit creditor obtinere rei obligatæ venditionem judiciariam, et ex ejus pretio solutionem recipere.

Dicitur 1°. *Jus reale,* seu *in re,* non in eo sensu quod sit fractio proprietatis, siquidem per eam non restringitur jus domini, ut diximus in *Prælect., de Justitia,* n° 602, sed in eo sensu quod sit rei annexum, ita ut eam sequatur ad cujuscumque manus transeat, prout expresse dicitur in eodem art. 2114; sicque rei istius possessor obligatus evadat. Illud tamen superest discrimen inter primum debitorem et rei hypothecatæ possessorem, quod iste, cum non teneatur nisi ratione rei, liberari possit eam relinquendo; at non ita ille, qui obligatur etiam personaliter. 2°. *Et indivisibile.* Ita art. 2114 : quod sub duplici sensu verum est : 1. *Passive,* seu *ratione rei* quam afficit hypotheca : hæc est *tota in toto, et tota in qualibet parte,* aiunt jurisperiti; unde si debitor rem dividat et pluribus vendat, poterit creditor agere contra quamlibet partem, et ex ea exigere solutionem totius debiti, si sufficiat. Ita docent jurisperiti, et judicant tribunalia. 2. *Active,* seu *ratione debiti* : res subjecta hypothecæ attingitur per quamlibet partem debiti; ita ut, si debitum dividatur inter

plures creditoris hæredes, possit quilibet jus suum vindicare contra rem integram. 3°. *In bonum immobile :* quia sola bona immobilia possunt dari in hypothecam : nempe ea quæ sunt immobilia vel ex natura sua, vel ex sua destinatione utpote accessoria boni immobilis, ad sensum articuli 524; item eorum omnium usufructus quamdiu perdurat : ita art. 2118. Sed non possunt attingi per hypothecam bona mobilia : *Meubles n'ont pas de suite par hypothèque;* art. 2119. Igitur si mobilia dimoveantur a bono immobili cujus erant accessorium, jam non subjacent hypothecæ. Declarat tamen art. 2120 nihil innovari quoad naves, quæ licet habeantur ut bonum mobile ex art. 190 codicis Commercii, subjiciuntur tamen cuidam hypothecæ ex art. 196 ejusdem codicis. 4°. *Ad solutionem debiti obligatum,* quia res hypothecæ subjicitur ad securitatem debiti, quatenus juri creditoris respondet obligatio ex parte rei; quod quidem duplici modo evenit : 1. quia si debitor rem vendat, iste creditor solvitur ante alios, secundum ordinem suæ hypothecæ; 2. quia potest solutionem ex illa re obtinere, ad cujuscumque manus transierit : quomodo obtineat, in decursu exponetur.

1383. II°. *De* VARIIS SPECIEBUS *hypothecæ.* Est vel legalis, vel judiciaria, vel conventionalis; art. 2116.

I. *De hypotheca legali.* Ea est quæ ex ipsa lege oritur; art. 2117. Quamvis omnis hypotheca vim suam habeat a lege, et locum habere nequeat nisi in casibus et juxta formas lege determinatas, ut statuitur art. 2115, proindeque semper dici possit legalis, eo tamen nomine designatur ea quæ ex sola lege oritur absque ulla conventione aut sententia judicis. Differt a privilegio, de quo antea locuti sumus (n° 385), in eo quod privilegium desumatur ex qualitate causæ seu debiti, dum hypotheca legalis desumitur ex qualitate personæ seu creditoris. Triplici classi personarum lex hypothecam confert; art. 2121.

1°. *Uxor* habet hypothecam in bona mariti pro sua dote, pro conventionibus matrimonialibus, pro successionibus aut donationibus quas recipit durante matrimonio, pro indemnitate debitorum quæ contraxit cum suo marito, etc.; art. 2121 et 2135.

2°. *Minores* et *interdicti* habent hypothecam in bona tutoris, pro ejus gestione; art. 2121 et 2135.

3°. *Gubernium, municipia*, et *instituta publica* habent hypothecam in bona quæstorum et administratorum reddendæ rationi obnoxiorum (*des receveurs et administrateurs comptables*); art. 2121.

Hæc hypotheca legalis extenditur ad omnia bona debitoris, etiam ei supervenientia post exortam hypothecam, cum quibusdam tamen modificationibus per ipsam legem determinatis; art. 2122. Illæ modificationes exprimuntur art. 2140, 2145 et 2161.

Hypotheca uxoris et minorum non indiget inscriptione: ipsa lex determinat a quo tempore ordinem conferat; art. 2135. Sed nihil tale statuit quoad hypothecam Gubernii, etc.; unde hæc remanet intra terminos juris communis. Quamvis autem hypothecæ uxoris et minorum effectum obtineant etiam erga extraneos absque inscriptione, cum tamen istorum intersit eas cognoscere ne a maritis aut tutoribus decipiantur, lex providet earum publicitati per varia media quæ indicantur art. 2136-2139: sed si his non obstantibus locum non habuerit inscriptio, hypotheca nihilominus effectum suum producit.

1384. II. *De hypotheca judiciaria.* Ea est quæ oritur ex judicio, vel actibus judiciariis, quales sunt agnitio vel verificatio facta in judicio, etc.; art. 2123. Hæc hypotheca attingit pariter bona tum præsentia, tum futura; *ibid.* Lex voluit providere exsecutioni judiciorum. Sed illa efficacitas multum imminuitur per necessitatem inscriptionis, ut observat DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 295.

1385. III. *De hypotheca conventionali.* Ea est quæ oritur ex conventione inter debitorem et creditorem inita. Definiri potest : *Contractus accessorius* et *solemnis,* quo una persona *capax alienandi obstringit* bona *ad se nunc pertinentia* et *specialiter designata,* in assecurationem *obligationis determinatæ.*

Dicitur 1°. contractus *Accessorius,* quia necessario supponit obligationem principalem. Hinc si obligatio principalis irrita sit, irrita est et hypotheca. Ea occasione, agunt jurisperiti de hypothecis quæ dicuntur *præposteræ,* id est, quæ conceduntur antequam existat obligatio principalis; nec inter se omnino concordant : vid. Delvincourt, *Notes,* p. 298, 299; Battur, *Privil. et Hypoth.,* t. II, n° 283; Troplong, *Hypothèq.,* t. II, n° 478-480. — 2°. *Solemnis,* quia hypotheca non potest concedi nisi per actum authenticum; scilicet coram notario initum; art. 2127. Non requiritur ut debitum in cujus securitatem datur hypotheca contractum fuerit per actum authenticum, sed ut ipsa constitutio hypothecæ fiat per talem actum. 3°. Quo una persona *Capax alienandi,* quia hypotheca est quædam alienatio, ac proinde requiritur ut ille qui hypothecam constituit possit alienare bonum super quo illam constituit; art. 2124. Hinc bona minorum, interdictorum, et absentium non possunt subjici hypothecæ nisi ob causas et juxta formas lege determinatas; art. 2126. Hinc ex eadem causa qui non habent nisi jus resolubile, vel conditionatum, non nisi hypothecam resolubilem vel conditionatam dare possunt; art. 2125. — 4°. *Obstringit,* quia ut exsurgat hypotheca requiritur concessio expressa debitoris. Olim quilibet actus authenticus inducebat hypothecam, etiam absque ulla mentione expressa. Sed hodie requiritur conventio explicita : alioquin non obtineretur ea specialitas de qua mox loquemur, et quæ unum est ex principiis constitu-

tivis regiminis nostri hypothecarii. 5°. Bona *Ad se nunc pertinentia*, et *Specialiter designata*. Ex jure Romano et Gallico veteri hypotheca attingere poterat et plerumque attingebat omnia bona debitoris, etiam bona futura. Sed aliter statuit jus hodiernum : et hæc est una e præcipuis innovationibus circa præsentem materiam. Voluit legislator specialitatem hypothecæ, ut, posita ejus inscriptione de qua infra, obtineretur ejus publicitas. Itaque 1. non valet hypotheca conventionalis, nisi in actu hujus constitutivo speciatim declaretur natura et situs cujuslibet boni hypothecæ subjecti; art. 2129. Hanc dispositionem, quam ut maximi momenti quidam habent, alii nimis absolutam existimant, et in praxi nimis difficilem, ideoque hanc abrogari, aut saltem restringi postulant. Vid. TROPLONG, t. II, n° 514 ; *Documents....*, t. I, p. 64-69 ; t. III, p. 312 et seq., et speciatim p. 324 et seq. 2. Non possunt dari in hypothecam bona futura ; art. 2129. Quomodo enim hæc possent speciatim designari? Attamen aliqua restrictio apponitur art. 2130 et 2131, quando nempe bona præsentia sunt insufficientia ad securitatem debiti. 6°. In assecurationem *Obligationis determinatæ*, quia exigit art. 2132 ut in ipso actu exprimatur summa certa et determinata ; si debitum sit conditionatum, vel indeterminatum, debet declarari valor æstimativus, cujus reductionem obtinere poterit debitor, si locus sit. Ideo ita præscribitur, ut qui volunt cum debitore contrahere possint agnoscere quantum graventur ejus bona.

1386. III°. *De* EFFECTIBUS *hypothecæ*. Duo sunt præcipui, quorum unus est in ordine ad cæteros creditores, alter in ordine ad detentores boni hypothecæ subjecti.

I. *In ordine ad cæteros creditores*. Hypotheca privilegium confert : sed requiritur inscriptio. Hæc est præcipua juris hodierni innovatio. Scilicet ad consulendum securitati eorum qui cum aliquo negotium habent, visum est

magni referre ut dignoscere possint quibusnam oneribus graventur hujus bona : quod ut obtineatur, sancita fuit hypothecarum publicitas. Hæc autem publicitas habetur posita inscriptione apud conservatorem hypothecarum, qui earum indicem tradit iis quorum interest. Statuitur ergo varias hypothecas, iis tantum exceptis quas ipsa lex confert uxori et minoribus et de quibus art. 2135, ordinem non consequi nisi a die inscriptionis; art. 2134.

Primis temporibus quæ subsecuta sunt hanc dispositionem, non omnino constabat quousque extendatur necessitas hujus inscriptionis, an scilicet requiratur in ordine ad cæteros creditores hypothecarios tantum, an etiam in ordine ad chirographarios; seu aliis verbis, an creditor cujus hypotheca non est inscripta præferri debeat creditoribus chirographariis? Quæ quidem quæstio non est supervacanea, cum certis in casibus jam non detur possibilitas inscribendi hypothecam, prout statuitur art. 2146.

Porro, ut jam antea breviter diximus (n° 387), propugnabat Pigeau, t. II, p. 601, 602, hypothecam, etiam non inscriptam, conferre privilegium in ordine ad creditores chirographarios. Etenim 1°. ex art. 2094, hypotheca confert privilegium : porro, ex art. 2117, hypotheca existit vi conventionis; nec ibi mentio fit inscriptionis. 2°. Art. 2127 exigit actum coram notario : porro ad quid illud inserviet, si non constituatur hypotheca nisi per inscriptionem? 3°. Art. 2134 videtur restringi per titulum sectionis ad creditores hypothecarios : *Du rang que les hypothèques ont entre elles.*— Verum alii auctores communiter docuerunt nullum conferri privilegium absque inscriptione. Ita Delvincourt, t. III, *Notes*, p. 314, 315; Tarrible, *Répert. de Jurispr.*, v° *Inscription hypothéc.*, §. II, t. VIII, p. 159 et seq.; Grenier, *Tr. des Hypothèq.*, t. I, n° 60, p. 125 et seq.; Pardessus, *Dr. commerc.*, t. V, n° 1136; Battur, *Privil. et Hypoth.*,

t. III, n° 390, p. 19; DURANTON, t. XX, n° 3; et tandem TROPLONG, t. II, n° 568, asserens ita judicare tribunalia, idque hodie a nemine in dubium revocari. 1°. Illud est longe magis consentaneum menti legislatoris, qui voluit commercio favere per publicitatem hypothecarum, quæ obtinetur per inscriptionem. 2°. Idem indicant aut supponunt varii articuli codicis Civilis. Art. 2135 declarat hypothecam legalem minorum et uxorum existere absque inscriptione; ergo pro aliis requiritur : exceptio firmat regulam. Art. 2166 expresse exigit inscriptionem ut creditor possit bonum prosequi apud extraneos : idem hic dicendum videtur.

Hinc intelligitur quanti momenti sit inscriptio ut vim habeat hypotheca. Hujus inscriptionis modus determinatur art. 2146 et seq. Supervacaneum judicamus illum exponere. Unum tantum observabimus. Cum ea de re, et præsertim art. 2148, multa præscribantur, nec expresse determinetur quænam sub pœna nullitatis, hinc innumeræ ortæ sunt lites. Duplex systema exortum est. In priori, quod in primis legis conditæ temporibus viguit, omnia habebantur ut rigorose necessaria; sicque facillime declarabantur irritæ inscriptiones quibus aliquid deerat. Sed postea visum est attendendum esse quid ad finem legis esset substantiale, quid accidentale; et rationem habendam esse præsertim damni quod talis aut talis formæ omissio inferre posset iis quorum interest : sicque distinguendum esse ex mente legis, etiam ubi littera non distinguit. Huc rediisse videtur Curia Suprema, quæ prius systema aliquamdiu secuta fuerat. Vid. DELVINCOURT, t. III, *Notes*, p. 342 et seq.; TOULLIER, t. VII, n° 510 et seq.; GRENIER, t. I, n° 70, p. 144 et seq.; TROPLONG, t. III, n° 665 et seq. Postremum istud systema generatim omnes hodie approbant, quod quidem alii plus, alii minus extendunt : sed dissentiunt, utrum expediat,

necne, aliquid in textu legis immutare. Vid. *Documents....*, t. II, p. 475-562.

Illa inscriptio fit sumptibus debitoris, nisi adsit stipulatio contraria; art. 2155 : ipse est prima causa horum sumptuum. Vim habet pro decem annis; sed ejus effectus cessat, si non fuerit renovata ante elapsum hunc terminum; art. 2154 : tunc non tollitur præcise hypotheca, sed amittitur ejus ordo, seu jam non confert privilegium præ cæteris creditoribus. Poterit ergo renovari inscriptio, modo aliunde hypotheca sublata non fuerit; sed si quis aliam hypothecam inscribi fecerit ante istam renovationem, anteponetur.

1387. II. *In ordine ad detentores boni.* Secundus effectus hypothecæ refertur ad detentores boni. Potest creditor bonum illud prosequi, ad cujuscumque manus devenerit : sed ut eo jure gaudeat, requiritur pariter inscriptio, ex art. 2166. Juxta codicem Civilem, inscriptio obtineri non poterat statim ac res desierat pertinere ad debitorem : unde sæpe debitor per clandestinas alienationes tollebat privilegium creditoris qui inscriptionem neglexerat. Ut huic malo occurreretur, statuit codex Judicialis, art. 834, posse creditorem inscriptionem obtinere intra quindecim dies qui subsequuntur transcriptionem actus quo res fuit alienata a debitore.

Creditor igitur qui habet hypothecam inscriptam potest jus suum exercere contra boni detentorem : quo nomine non intelligitur merus custos aut locatarius, sed ille qui dominium acquisivit a debitore. Iste autem detentor cogitur vel bonum derelinquere, vel solvere debitum integrum hypothecarium, etiamsi superet pretium acquisitionis boni : si autem velit huic oneri alternativo se subtrahere, lex ipsi medium suppeditat liberandi bonum ab hypotheca, recursum nempe ad id quod dicitur *la Purge des hypothèques*.

1°. Itaque si *detentor boni hypothecæ subjecti velit illud liberare*, seu luere hypothecam, hæc præstanda habet, et hæc consequitur. 1. Debet curare ut fiat *transcriptio* contractus quo bonum acquisivit : quæ transcriptio fit per conservatorem hypothecarum loci in quo situm est bonum; art. 2181. Hæc transcriptio inservit potissimum ad constituendum in mora creditores quorum hypotheca nondum esset inscripta : possunt enim inscriptionem obtinere intra quindecim dies, ut modo diximus. Sed non sufficit ad luendam hypothecam; art. 2182 : præstanda sunt quæ dicturi sumus. 2. Debet vel ante intentatam actionem, vel intra mensem postquam intentata est, creditoribus facere *notificationem* actus acquisitionis, transcriptionis, etc., prout statuitur art. 2183. — 3. Debet per eumdem actum offerre in solutionem debitorum pretium acquisitionis, vel pretium quo bonum æstimat si titulo gratuito acquisierit, sed non tenetur offerre ultra, etiamsi majora sint debita; art. 2184.

Postquam hæc peregit boni detentor, possunt creditores quorum hypotheca inscripta est plus-liceri (*surenchérir*), id est, offerre decimam partem ultra pretium assignatum (*un dixième en sus*), vel non.

Si non offerant (*s'ils ne surenchérissent pas*), tunc pro ultimate determinato habetur valor boni juxta pretium declaratum, et detentor liberatur ab omni hypotheca et privilegio, solvendo illud pretium creditoribus quibus juxta ordinem suæ hypothecæ competit jus illud recipiendi, vel illud offerendo (*en le consignant*); art. 2186.

Si vero velint creditores plus-liceri (*s'ils surenchérissent*), debent illud manifestare intra quadraginta dies detentori actuali, et debitori principali a quo iste accepit, ea observando quæ sub pœna nullitatis præscribuntur art. 2185. Tunc proceditur ad auctionem publicam (*aux enchères*), juxta art. 2187. Si bonum adjudicetur *ipsi*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

detentori, non obligatur ad hujus adjudicationis transcriptionem, et habet recursum contra suum venditorem, qui tenetur ipsi refundere quidquid solvendum habuit supra pretium conventum; art. 2189, 2191. Si vero adjudicetur *tertiæ personæ*, hæc tenetur, ultra pretium adjudicationis, refundere detentori varios sumptus quos perferendos habuit pro contractu, transcriptione, etc.; art. 2188. Detentor autem habet suum recursum contra suum venditorem, juxta art. 1630.

Nota. Si detentor boni velit illud liberare ab hypothecis legalibus uxoris aut minoris in bona mariti vel tutoris, quæ non fuerint inscriptæ, servanda sunt quæ statuit codex Civilis art. 2193-2195, et ea quæ determinantur in decisione Concilii status 1 junii 1807 pro casu quo uxor et tutor subrogatus adiri nequeunt prout exigit art. 2194 : nisi hæc servarentur, jus uxoris vel minoris integrum staret, etiamsi peracta fuissent quæcumque statuuntur art. 2181 et seq., prout observat TROPLONG, t. IV, n° 975. Si autem illæ hypothecæ jam inscriptæ fuissent, tunc eadem servantur ac pro hypothecis ordinariis. *Ibid.*, n^is 894, 997.

1388. — 2°. Si detentor boni non recurrat ad media mox indicata illud liberandi ab hypothecis, tunc remanet *obligatus ad solvenda omnia debita hypothecaria*, sed sub iisdem terminis ac primus debitor a quo bonum acquisivit; art. 2167. Potest tamen se liberare bonum derelinquendo absque ulla reservatione; art. 2168.

1. Si neutrum perficiat, id est, si *nec solvat, nec bonum derelinquat*, tunc quilibet creditor potest obtinere ut vendatur bonum post triginta dies ab interpellatione quam facere debet tum debitori primævo, tum detentori actuali; art. 2169. Potest tamen detentor, si non personaliter obligetur, et si supersint alia bona immobilia eidem debito hypothecata in possessione primævi debitoris, recurrere

ad beneficium discussionis, juxta formam determinatam ubi *de Fidejussione;* art. 2170 : sed hæc facultas non conceditur erga creditorem privilegiatum, vel habentem hypothecam specialem in bonum ; art. 2171.

2. Si *velit bonum derelinquere,* id ei permittitur, modo non sit personaliter obligatus, et sit capax alienandi; art. 2172. Illa derelictio fit coram tribunali, juxta formam præscriptam art. 2174. Tenetur detentor de deterioratio-nibus quas bonum experiri potuit ex ejus facto et negli-gentia, in damnum creditorum hypothecariorum aut pri-vilegiatorum ; quibus debet etiam fructus boni a die quo fuit interpellatus solvere aut derelinquere : potest vero repetere impensas et meliorationes, quatenus auctus est valor rei; art. 2175, 2176. Donec tamen facta fuerit adjudicatio, potest bonum sibi vindicare, solvendo debi-tum et sumptus; art. 2173. Facta autem adjudicatione, recursum habet erga debitorem principalem; art. 2178 : et reviviscunt servitutes et jura realia quæ super illud bonum habere poterat ante suam possessionem ; art. 2177.

Tales sunt effectus hypothecæ; quos in foro conscien-tiæ omnino vim habere jam docuimus (n° 383). Sed cum penitus pendeant a lege civili, siquidem ex art. 2115 hypotheca locum non habet nisi in casibus et juxta formas quæ determinantur in lege, eatenus valent quatenus accurate servantur quæ præscribuntur a lege.

1389. IV°. *De* EXSTINCTIONE *hypothecarum.* Quatuor assignantur modi quibus exstinguuntur privilegia et hy-pothecæ ; art. 2180.

1°. Per *exstinctionem debiti principalis.* Cum hypotheca, ex dictis, non sit nisi accessorium, sequi debet princi-pale. Exstinguitur ergo per solutionem, condonationem, compensationem, etc. Sed requiritur ut debitum penitus exstinguatur : si enim nonnisi pars exstingueretur, hypo-

theca semper attingeret totum bonum, ex principio indivisibilitatis, de quo antea (n° 1382).

2°. Per *renuntiationem creditoris*. Hæc potest esse expressa, vel tacita : ita saltem plerique auctores; sed valde dubium reputat DURANTON, t. XX, n° 301, an hodie sufficere possit renuntiatio tacita. Quidquid sit, saltem requiritur ut creditor renuntiet ipsi hypothecæ; nec sufficeret eum renuntiare inscriptioni, sine qua hypotheca potest existere : unde dicunt auctores non confundi debere *radiationem*, ut dicitur, inscriptionis cum *exstinctione* hypothecæ.

3°. Per *observationem formarum* quæ præscribuntur ut bona liberentur ab hypotheca, seu, ut dicitur, *pour purger les biens acquis*. Eas modo indicavimus.

4°. Denique per *præscriptionem*. Hæc acquiritur debitori quoad bona quæ sunt in ejus possessione per tempus determinatum ad præscriptionem actionis seu obligationis quæ dat locum hypothecæ aut privilegio : si autem bona sint penes alium detentorem, ipsi acquiritur præscriptio per idem temporis spatium quod requiritur ut bonum ipsum acquirat; si requiratur titulus, non incipit præscriptio nisi a die quo ille titulus transcriptus est. Ita art. 2180; qui simul statuit non interrumpi præscriptionem per inscriptiones obtentas a creditore.

Præter has quatuor causas, quasdam alias assignant jurisperiti, quæ colliguntur ex dictis, vel ex principiis generalibus. Sic 1°. si ille qui concessit hypothecam non habebat in bonum nisi jus resolubile aut conditionatum, et evincatur, corruit hypotheca : *Resoluto jure dantis, resolvitur et jus accipientis*. Sic 2°. si pereat res hypothecæ subjecta, corruit ipsa hypotheca : v. g., si domus corruat, hypotheca non attingit hujus rudera (*les matériaux*), quæ sunt res diversæ prorsus speciei, et inter mobilia computantur, nec proinde hypothecæ capacia.

Art. 4. *De expropriatione coacta.*

1390. Ad venditionem bonorum debitoris naturaliter ducit hypotheca, ut jam vidimus. Sed insuper, cum ex art. 2092 cod. Civilis obligatio cujuslibet debitoris attingat omnia ipsius bona, hinc sponte sequitur posse creditorem obtinere a judice ut apprehendantur et vendantur hæc bona, ex quorum pretio solutionem recipiat. Cum autem hæc bona varii sint generis, varia statuit lex civilis circa eorum venditionem, et ejus adjuncta. Ea breviter indicare satis erit, sive quoad bona mobilia, sive quoad immobilia.

I. Quoad *bona mobilia*, quatuor sunt species : de quibus nil statuitur quidem in codice Civili, sed multa statuuntur in codice Judiciali. Quamvis includantur sub nomine expropriationis, si in tota sua generalitate sumatur, attamen codex Civilis nomen illud restringit ad venditionem coactam bonorum immobilium, de qua secundo loco dicemus.

1°. Si agatur de summis pecuniæ vel de objectis quæ pertineant ad debitorem, et sint penes tertium, tunc eorum apprehensio dicitur *Saisie-arrêt* vel *Opposition*. De ea statuit codex Judicialis art. 557-582 : in tribus postremis articulis quædam declarantur non posse apprehendi, et Gallice dicuntur *Insaisissables*.

2°. Quando agitur de bonis mobilibus et objectis exstantibus apud debitorem, dicitur *Saisie-exécution* : de qua in eodem codice Judiciali, art. 583-625. Ibi pariter, art. 592 et 593, quædam declarantur apprehensioni non obnoxia.

3°. Aliquando apprehenduntur fructus adhuc e radice pendentes : tunc dicitur *Saisie-brandon*. Locum habere nequit nisi intra sex hebdomadas quæ præcedunt tempus quo ordinarie colliguntur fructus. Vid. Cod. Judic., art. 626-635.

4°. Recursum etiam habet creditor in census qui debitori suo a privatis debentur, *Rentes constituées sur particuliers*. Ad hanc apprehensionem spectat lex lata 24 maii 1842, quæ inserta est eidem codici Judiciali, art. 636-655. Sed apprehensioni non subjiciuntur census publici, vulgo *Rentes sur l'État*.

1391. II. Quoad *bona immobilia*, eorum apprehensio potiori jure diceretur *Saisie immobilière*. Quomodo hæc obtineri et ad exitum deduci possit determinatur in lege 2 junii 1841, quæ includitur in codice Judiciali, art. 673-748. Codex autem Civilis quædam tantum ponit principia, quæ ad quatuor præcipua capita referri possunt.

1°. Quænam possint esse illius apprehensionis *objectum*. Sunt bona immobilia debitoris, necnon et eorum accessoria quæ pro immobilibus habentur; item ususfructus bonorum ejusdem naturæ : art. 2204. Quædam tamen apponuntur restrictiones. 1. Si sint bona quædam hypothecæ subjecta, non potest creditor obtinere apprehensionem cæterorum bonorum, nisi priora sint insufficientia; art. 2209. Omnino æquum est ut incipiat a bonis quæ modo peculiari sunt ipsius pignus. 2. Si bona, etiam eidem hypothecæ subjecta, sita sint in territorio diversorum tribunalium, non potest eorum venditio provocari nisi successive; exceptis tamen quibusdam casibus, de quibus statuitur art. 2210 et 2211 cod. Civilis, et in lege 14 novembris 1808. — 3. Ex decreto 1 martii 1808 apprehendi nequeunt bona immobilia quæ efformant majoratum.

1392. — 2°. *Ad quosnam* pertineat provocare hanc apprehensionem. Jus illud competit cuicumque creditori, sive hypothecario, sive mere chirographario. Attamen si debitor probare possit per instrumenta authentica reditum annuum bonorum suorum immobilium sufficere ad satisfaciendum omnino suo creditori, et ipsi deleget jus illum reditum percipiendi, suspendi potest bonorum venditio;

salvo jure ad eam recurrendi, si superveniat quædam oppositio, vel aliquid obstet solutioni : art. 2212. Si creditor jus suum alteri cesserit, iste cessionarius non potest apprehensionem bonorum debitoris obtinere, nisi postquam isti intimata est cessio; art. 2214.

1393. — 3°. *Contra quosnam* provocari possit hæc apprehensio. Potest provocari contra quoscumque debitores : cum istis tamen exceptionibus. 1. Non potest provocari apprehensio bonorum immobilium *minoris,* etiam emancipati, vel *interdicti,* nisi prius discussa fuerint bona eorum mobilia; art. 2206. Ita statutum fuit ne absque necessitate distrahatur fortuna minoris aut interdicti, quæ in bonis præsertim immobilibus reposita est. Non requiritur tamen hæc discussio, si bona indivisim possideantur a majori simul et a minori vel interdicto, si debitum sit inter eos commune, aut si jam actio intentata fuerit contra majorem cui successit minor, vel ante interdictionem; art. 2207. 2. Quoad *conjuges* nuptos sub regimine communitatis, distinguendum est. Si agatur de debito communitatis, et de bonis quæ pertineant ad communitatem, actio dirigitur contra solum maritum, etiamsi obligetur ipsa uxor : si vero agatur de bonis propriis uxoris, vel de debito ipsi personali, vel saltem ad quod teneatur ipsa proprio nomine, tunc actio dirigitur simul contra maritum et uxorem, quæ, si maritus renuat cum ipsa concurrere vel sit minor, potest auctoritatem accipere a judice : si vero uterque sit minor, vel si uxori minori concursum deneget maritus major, tunc uxori datur ad hoc tutor, seu potius curator, contra quem dirigitur actio. Ita art. 2208 cod. Civ. 3. Pars indivisa *cohæredis* in bonis immobilibus successionis non potest apprehendi ab ejus creditoribus personalibus, ante partitionem, vel licitationem, quas cæterum provocare possunt, vel in quibus jus habent interveniendi, prout statuitur art. 882, tit. *de Successionibus;* art. 2205.

1394. — 4°. Quisnam *titulus* requiratur ut provocari possit bonorum apprehensio. Ut creditor provocare possit apprehensionem bonorum debitoris, requiritur 1. ut *debitum* sit *certum* et *liquidum*, id est, ut determinata sit summa debita; art. 2213. Olim requirebatur ut debitum attingeret saltem summam 200 francorum. Hodie nihil statuit jus novum: unde concludunt jurisperiti, apprehensionem locum habere posse etiam pro summa minori. Cæterum ex art. 2216 etiamsi actio intentata fuerit pro summa majori quam quæ reipsa debebatur, non ideo pro irrita haberi debet. 2. Requiritur ut *titulus* sit *authenticus*, id est, non tantum sub signo privato; et *exsecutorius*, id est, ea forma conceptus qua nomine auctoritatis supremæ præcipiatur officiariis publicis ad ejus exsecutionem concurrere: art. 2213. Isti enim officiarii quorum ministerio tantum fieri potest apprehensio, nonnisi ex imperio supremæ auctoritatis agunt. Si actio dirigatur *vi judicii*, distinguendum est: si agatur de judicio primæ instantiæ, sive provisorio, sive definitivo, sed cujus exsecutio provisoria imperata fuerit, non obstante appellatione, potest dirigi actio, sed non potest ad venditionem procedi nisi postquam judicium in vim rei judicatæ transierit, ut aiunt; sed si judicium latum fuerit, ut dicitur, *par défaut*, non potest etiam dirigi actio nisi post elapsum oppositionis spatium. Art. 2115.

Cæterum antequam actio dirigatur ad apprehensionem bonorum immobilium, debet creditor debitorem constituere in mora solvendi per intimationem (*par un commandement*) ministerio apparitoris factam; art. 2217.

ART. 5. *De apprehensione corporis*, Gallice CONTRAINTE PAR CORPS.

1395. Eo nomine designatur detrusio debitoris in carcerem ut cogatur ad satisfaciendum suæ obligationi. Non

ergo hic spectatur præcise quatenus pœna, sed tantum quatenus via exsecutionis. Ideo non loquemur de apprehensione quæ locum habet in materia criminali, seu, ut aiunt, *en matière criminelle, correctionnelle, ou de police.* Quædam breviter indicare satis erit de apprehensione in materia civili, in materia commerciali, et, ut dicitur, in materia denariorum publicorum. De his plura statuuntur in codicibus Civili, Judiciali et Commerciali : sed ratio habenda est præsertim legis 17 aprilis 1832 qua nunc hæc materia regitur, et quæ multas modificationes attulit legibus antea vigentibus.

Cum hæc apprehensio sit contraria libertati hominis, non debuit hujus facultas adnecti cuilibet obligationi, quemadmodum adnectitur, ut vidimus, facultas apprehendendi bona. Imo tanto in pretio habetur libertas, ut judicatum sit non esse in potestate debitoris se subjicere huic rigori : ad solum legislatorem pertinet determinare quandonam expediat bono publico ut tam stricta sanctione promoveatur obligationis adimpletio.

1396. I. *In materia civili,* generatim locum non habet apprehensio, sed tantum in casibus lege determinatis. Hi autem casus ad triplicem classem reduci possunt : aliquando apprehensio locum habet vi solius legis, adeo ut judices teneantur eam præscribere; aliquando judices possunt, sed non tenentur eam præscribere; aliquando tandem possunt contrahentes ex dispositione legis huic se subjicere per specialem conventionem.

1°. *Vi solius legis* locum habet apprehensio, et eam judices præscribere tenentur in duodecim circiter casibus : art. 2059, 2060 cod. Civilis; art. 712, 740, 839 cod. Judicialis; art. 14 legis 17 aprilis 1832 : plures vel pauciores casus numerant jurisperiti, quia quos nonnulli distinguunt alii ad unum reducunt. Hi sunt præcipui. 1. In casu *stellionatus.* Stellionatus dicitur quando aliquis

vendit, vel in hypothecam tradit bonum cujus scit se non habere dominium, etc.; art. 2059. Ita statuitur in odium fraudis. 2. In casu *depositi necessarii*, de quo antea (n° 915); art. 2060. Deponenti non relictum est tempus sibi consulendi. 3. In casu quem vocant jurisperiti *de Réintégrande; ibidem :* quando nempe agitur de reddenda alicui possessione rei qua spoliatus fuit. 4. Ad obtinendam restitutionem rerum quæ fuerunt depositæ apud sequestros, commissarios, vel alios custodes judiciarios; *ibidem.* 5. Contra notarios, et alios officiarios, ut dicuntur, ministeriales (*les avoués et les huissiers*), pro restitutione instrumentorum (*des titres*) ipsis commissorum, et denariorum ab iis receptorum pro suis clientibus ratione sui muneris; *ibidem.* 6. Quando fertur judicium in gratiam regnicolæ contra alienigenam qui non habet domicilium in regno, nisi agatur de summa infra 150 fr.; et nisi alienigena vel probet se habere in Gallia bonum immobile sufficiens ad satisfaciendum debito, vel habeat fidejussorem sufficientem; art. 14 et 16 legis 17 aprilis 1832.

2°. *Ex sententia judicum*, qui possunt, nec tamen tenentur apprehensionem præscribere : 1. pro exsecutione judicii, ut aiunt, *rendu au pétitoire*, (id est, lati de ipsa fundi proprietate, et non de mera possessione), quo aliquis damnatus est ad fundum relinquendum (*à désemparer un fonds*); art. 2061. Inter intimationem prioris judicii et posterius intercedere debet spatium quindecim dierum. 2. Contra conductores agrorum qui finita conductione non reddunt objecta quæ reddere tenentur (*les cheptels, les semences et les instruments aratoires*), nisi probent id non oriri ex suo facto; art. 2062 cod. Civ. 3. Pro compensatione damnorum in materia civili, quæ superent 300 fr.; pro reliquiis rationum tutelæ, curatelæ, etc.; art. 126 cod. Judic. Vid. etiam art. 213 et 534 ejusdem codicis, ubi quidam alii casus indicantur.

3°. Demum ex *conventione partium*. Duo sunt casus in quibus possunt contrahentes apprehensioni se subjicere. 1. Quando agitur de fidejussoribus judiciariis, vel de fidejussoribus eorum qui sunt apprehensioni de qua loquimur obnoxii; art. 2060 cod. Civilis. 2. Quando agitur de conductoribus agrorum quoad solutionem pretii (*pour le payement des fermages des biens ruraux*); art. 2062.

1397. Quædam autem statuuntur quæ generatim omnes illos casus respiciunt.

1°. Non præscribitur ea apprehensio, si agatur de summa infra 300 fr.; art. 2065 cod. Civ. Minor tamen summa exigitur, ex dictis, quando agitur de alienigena. 2°. Non præscribitur contra minores; art. 2064. Item nec contra eos qui attigerunt septuagesimum ætatis annum, nec contra feminas aut puellas, excepto casu stellionatus; art. 2066 cod. Civ. 3°. In nullo casu locum habere potest apprehensio nisi post sententiam judicis; art. 2067 : et iis omnibus servatis quæ præscribuntur art. 780 et seq. cod. Judicialis. 4°. Duratio detentionis determinatur in sententia judicis : pronuntiatur saltem pro uno anno, et ad summum pro decem; art. 7 leg. 17 april. 1832. Quædam statuuntur speciatim quoad alienigenas, art. 17 ejusdem legis. 5°. Hæc detentio nec impedit nec suspendit exercitium juris quod creditori competit super bona debitoris detenti, prout antea diximus; art. 2069.

1398. II. *In materia commercii*. Judicavit legislator postulare securitatem commercii ut facilius admitteretur apprehensio in hac materia, quam in materia civili. Ideo ex art. 1 legis 17 april. 1832 hæc pronuntiari debet contra quemcumque qui pro debito commerciali condemnatus fuerit ad solvendam summam principalem 200 fr. et supra.

Excipiuntur tamen, art. 2 et 4 ejusdem legis, 1°. feminæ et puellæ quæ legaliter non reputantur exercere

mercaturam; 2°. minores qui nec mercaturam exercent, nec majores reputantur pro facto sui commercii; 3°. viduæ et hæredes eorum qui erant de foro tribunalium commercii, quando qua tales vocantur in jus; 4°. debitores qui attigerunt septuagesimum ætatis annum.

Art. 3, statuitur eos qui, mercaturam non exercentes, subscripserunt chirographis quæ vel reputantur pro simplicibus promissionibus juxta art. 112 cod. Commercii, vel dicuntur *Billets à ordre*, non ideo subjici apprehensioni, nisi hæ subscriptiones pro causa habuerint negotia commercialia (*des opérations de commerce, trafic, change, banque ou courtage*).

Tandem art. 5, determinatur duratio detentionis, quæ major vel minor est secundum majorem vel minorem summam quæ debetur : est unius anni, si debitum non attingat 500 fr.; quinque autem annorum, si sit 5000 fr. et supra.

1399. III. *In materia denariorum publicorum.* In art. 2060 cod. Civilis statuebatur locum esse apprehensioni pro repetitione denariorum consignatorum inter manus personarum publicarum quæ sunt ad hoc constitutæ. Sed cum non satis pateret quousque hæc dispositio extenderetur, clarius exposita fuit in art. 8 et seq. legis 17 april. 1832. Declarantur apprehensioni subjecti, non solum ii qui dicuntur proprie *les comptables de deniers publics, ou d'effets mobiliers publics*, sed eorum fidejussores, præpositi, et generatim quicumque perceperunt denaria publica, quorum rationem non reddiderunt : idemque statuitur quoad denaria quæ pertinent ad municipia, hospitia, et instituta publica. Item de opificibus (*entrepreneurs, fournisseurs, soumissionnaires et traitants*); item de debitoribus tributorum quæ dicuntur *Droits de douanes, d'octrois et autres contributions indirectes*, quando dilationem solutionis obtinuerunt, et non solvunt tempore præfixo.

In variis iis casibus pronuntiari potest apprehensio contra feminas aut puellas; sed non contra septuagenarios; art. 12. Requiritur ut summa debita principaliter superet 300 fr.; art. 13. Quoad durationem, applicantur quæ diximus in materia civili.

1400. Supersunt indicanda quædam ejusdem legis 17 april. 1832 statuta, quæ applicanda sunt in materia sive civili, sive commerciali, sive denariorum publicorum.

1°. Apprehensio corporis nunquam pronuntiatur contra debitorem in gratiam, 1. mariti ejus vel uxoris; 2. progenitorum aut posterorum, fratrum et sororum vel affinium in eodem gradu; art. 19.

2°. In nullo casu potest apprehensio corporis exerceri simul contra maritum et uxorem pro eodem debito; art. 21.

3°. Debitor qui apprehensus est, sed non pro debito commerciali, obtinet liberationem a carcere, solvendo tertiam partem debiti principalis et accessoriorum, et præstando pro reliquo fidejussorem acceptatum a creditore, vel a tribunali civili loci in quo debitor detinetur: debet iste fidejussor se obligare in solidum cum debitore ad solvendum, saltem intra annum; et si non solverit, potest creditor denuo obtinere apprehensionem debitoris principalis, salvo suo jure contra fidejussorem: art. 24, 25, 26.

4°. Debitor, post elapsum detentionis spatium determinatum art. 5, 7, 13 et 17 præsentis legis, non poterit ultra detineri aut denuo apprehendi pro debitis contractis ante priorem apprehensionem, nisi hæc debita ex natura sua dent locum detentioni diuturniori; quo in casu prior detentio computabitur ad complendum novæ detentionis spatium: art. 27.

APPENDIX AD CAP. XIII, DE USURA.

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ DOCUMENTA CIRCA USURAM, ORDINE CHRONOLOGICO, A BENEDICTO XIV AD NOSTRA USQUE TEMPORA.

1401. I. *SS. DD. NN. Benedicti PP. XIV, litteræ Encyclicæ*, DE USURIS, ALIISQUE INJUSTIS QUÆSTIBUS; *Patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ordinariis Italiæ.* (1 nov. 1745.)

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat), nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiæ civitates labefactaret.

§. 1. Quapropter eam rationem consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit. Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. cardinalibus, qui sacræ theologiæ scientia et canonicæ disciplinæ studio ac peritia plurimum commendantur; accivimus etiam plures regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex monachis, alios ex ordine Mendicantium, alios demum ex clericis regularibus selegimus: præsulem quoque juris utriusque laurea præditum et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus julii, quæ nuper præteriit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18 julii, altera vero die 1 augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis secretario scriptas tradiderunt.

§. 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt:— I. Peccati genus illud quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum

receptum est, plus sibi reddi velit, quam receptum est : ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum quod sortem superet, illicitum et usurarium est. — II. Neque vero, ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is a quo id lucrum, solius causa mutui, deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus sit otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur quisquis eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur : proindeque, si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiæ quam *commutativam* appellant, et cujus est in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare. — III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu, quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam honestaque indidem lucra percipienda. — IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum quam palliatum absit), at certe ad aliam veram injustitiam restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur et ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non est quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat, humana commercia et fructuosam ipsam negotiationem, ad publicum commodum, conservandi ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso oraculo divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.* (Prov. XIV, 34.) — V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et non nisi temere persuasurum, reperiri semper ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium modera-

tum, ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis et Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo domino edocente: *Volenti mutuari a te ne avertaris* (Matth., v, 42): et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter opportet, verene cum mutuo justus alius titulus, verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum omnis labis expers et immune reddatur.

§. 4. His verbis complectuntur et explicant sententias suas cardinales, ac theologi, et viri canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non prætermisimus, antequam congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis: nam præstantium virorum suffragia quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus et confirmamus quæcumque in sententiis superius expositis continentur: cum scriptores plane omnes, theologiæ et canonum professores, plura sacrarum litterarum testimonia, Pontificum decessorum nostrorum decreta, Conciliorum et Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores quibus contrariæ sententiæ referri debent, et eos pariter qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; neque ignoramus quanta sapientia et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimi illis regionibus ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

§. 5. Quare has Litteras Encyclicas dedimus universis Italiæ archiepiscopis, episcopis et ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, et cæteris omnibus innotescerent; et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris diœcesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere; si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propositis qui mandata apostolica contempserint ac violaverint.

§. 6. De contractu autem qui novas has controversias excitavit, nihil in præsenti statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias; attamen pietatis vestræ studium ac religionem inflammandam existimamus, ut hæc quæ subjicimus exsecutioni demandetis.

§. 7. Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ

labem ac vitium a divinis litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles, Christi sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat: quocirca, si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate, omnium malorum fonte, rapiantur; sed potius ab illis qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

§. 8. Secundo loco, qui viribus suis ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ et Canonum scientiam requirunt), ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant: etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam et cum usura conjunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos configantur qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si præsertim ratione et præstantium virorum testimoniis minime careat: siquidem convicia atque injuriæ vinculum christianæ charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum præ se ferunt.

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes et integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent et conditiones inserendas explicent et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum; hæc etiam aditum intercludunt disputationibus quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat utrum pecunia, quæ rite data alteri videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

§. 10. Quarto loco, vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus qui dictitant, de usuris, hoc tempore, quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus, ut plurimum, comparetur. Etenim quam falsum id sit et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et sejunctam esse, et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri, ac fructum qui ex

pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi, ob eam causam quod, ut plurimum, ex pecunia quæ alteri tribuitur fructus aliquis excipiatur.

§. 11. Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore ut mandetis exsecutioni quæcumque per has litteras a nobis præscribuntur. Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte, ob hanc novam de usuris controversiam, in diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem ac puritatem inducantur. Postremo, Vobis, et gregi curæ vestræ concredito, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ.... 1 nov. 1745.

1402. II. *Instructio ad R. P.* Carolum Felicem *missionarium in Africa, ord. Fratr. Capuccinorum.* (17 april. 1749.)

(Ex Italico sermone de verbo ad verbum, quantum licuit, translata.)

In Congregatione S. Officii in Palatio Apostolico coram SS. D. N. habita die 17 aprilis 1749, relata tua quæstione de pecunia quam Christiani servi Hebræis negotiatoribus fœnori dare solent, Sanctitas Sua præcipiendum censuit, ut in proposito, necnon in quovis alio simili casu, tuam agendi rationem exigas ad normam Encyclicæ quam ipse SS. Pater ad Italiæ episcopos direxit die 1 novembr. 1745, et quæ incipit *Vix pervenit*: exinde deprehendere poteris quoslibet contractus in quibus ex pecunia mutuo data lucrum percipitur, non esse licitos, nisi proprio donentur nomine aut census, aut cambii veri quod fiat sive per litteras, sive ad nundinas, aut societatis realis, vel nisi adsint lucri cessantis aut damni emergentis tituli, vi quorum tantum ultra sortem percipi possit lucrum quantum sufficit sive ad resarcienda quæ patitur mutuans damna, sive ad lucrum, quo defraudatur, compensandum; ac proinde quotiescumque, deficientibus denominationibus vel titulis supradictis, nonnisi in merum mutuum resolvuntur, nullo prorsus pacto licitum esse lucrum ex pecunia mutuo data ultra sortem accipere, aut exigere; quamvis moderatum sit, nec a pauperibus, sed a divitibus deposcatur. — Ex his regulis in Encyclica SS. DD. præscriptis, tibi normam figere poteris de contractibus quos christiani servi cum Hebræis negotiatoribus incunt; ita nempe ut eos absolute non permittas, quoties supradictæ conditiones deficiunt. Et cum mutuantem inter et negotiatorem qui, et sortis restitutione et certo supra sortem lucro in pactum adductis, pecuniam accipit, verus societatis contractus iniri nequeat, ideo quidquid lucri ultra sortem capitalista exigit, injustum et illicitum est, etiamsi pecuniam mutuo dare non intendat; et casu tantum quo occurrerent supradicti compensationis tituli, lucrum supra sortem deposcere posset quod satis esset ad compensandum sive damnum quod patitur, sive lucrum quo defraudatur. — Et quamvis ratione periculi quod, non ex negotiationis natura oritur, sed ex alio quovis

extrinseco casu, cui suam exponit pecuniam mutuans, lucrum pro rata periculi ultra sortem exigere possit a negotiatore, nihilominus, cum in praxi tale periculum perpendere difficillimum sit, et hujus periculi ratione lucrum deposcere sit res periculosissima, ideo existimatur miserabilium servorum conscientiæ securitati te melius consulturum esse, si eos adhorteris ut a talibus contractibus abstineant, admonitosque de periculo in quo versantur, eo adducas ut suam insumant pecuniam in aliis contractibus certo licitis, qui proprium nomen habeant, puta emptionis, venditionis, aut veræ societatis, per quos, accedente propria industria, honestum lucrum sibi adsciscere possunt.

1403. III. *Responsum card.* Antonelli, *S. Congr. de Prop. Fide Præfecti, ad* (Joan. Fr. Hubert) *episc. Quebecensem* (4 jul. 1793).

Dub.— .... 3°. Les lois de ce pays, sous prétexte de favoriser le commerce, autorisent dans tous les cas le prêt de l'argent à intérêt, et les Cours de justice ne reconnoissent d'usure que quand celui qui prête exige plus que le taux du Roi, qui est de 6 pour 100 par an. Cela posé, comment traiter dans le tribunal de la pénitence les notaires qui, conformément à la loi reçue, passent des contrats usuraires, les avocats qui les défendent dans les Cours, les juges qui allouent à tous prêteurs les intérêts qu'ils ont perçus en n'excédant pas le taux du Roi? — 4°. Nos théologiens s'accordent à dire qu'il n'est pas permis à un tuteur de prêter à intérêt l'argent de son pupille. Néanmoins il arrive assez communément que le tuteur n'a aucun autre moyen de le faire valoir, et que si par délicatesse de conscience il aime mieux garder cet argent en somme que de prêter à intérêt, le pupille, devenu majeur, n'en est pas moins autorisé à exiger de son tuteur, non-seulement la somme qui lui avoit été confiée, mais encore les intérêts qu'auroit produits cette somme si elle avoit été prêtée tout le temps qu'auroit duré la tutelle. Or, attendu la disposition de la loi, qui est toute à l'avantage du pupille, le tuteur peut-il légitimement percevoir des intérêts qu'il court risque d'être obligé de payer lui-même par la suite? — 5°. Les commerçants sont-ils toujours censés souffrir tellement de l'absence de leur argent, qu'ils puissent toujours légitimement le prêter à intérêt?

Resp.—.... Extremum est ut de usuris agamus, quod pariter postremum est argumentum litterarum tuarum. Nemini incompertum est.... (Vid. supra, n° 1277, p. 578, 579.)

Gradum nunc facio ad tutores. Quæstionem quam proposuisti omnino similem agitat probatissimus theologus Gallus, Antoine, his verbis: *An liceat tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eo quod per leges cogantur eorum bona integra reddere, et simul ex eis lucrum facere in commodum eorumdem sub pœna compensationis?* Sic autem respondet: *Negative, quia cum usura sit intrinsece mala et a Deo absolute et indistincte prohibita, nul-*

lam ob causam potest esse licita. — At, inquis,.... (supra, n° 1302, p. 609, 610.)

Cæterum si isti fœneratores ad sacramentum pœnitentiæ accedant, cum iis agendum est ac cum cæteris lethali peccato obnoxiis. Suaviter hortandi, monendi, acrius etiam, si oporteat, increpandi, et Dei judicio ac pœnarum æternarum terrore ac periculo concutiendi, ut ab usurario fœnore abstineant. Si monitis sacerdotis pœnitentiarii pareant, et constantis emendationis argumenta præbeant, sacramentali absolutione erunt expiandi; secus, si non resipiscant: tunc enim erunt tractandi quemadmodum cæteri peccatores obdurati, atque indigni sacramentorum participatione. Habenda quoque ratio est restitutionis lucri ab usurario fœnore percepti. In usura enim, quemadmodum in furto, restitui res debet injuste mutuatario ablata. Sed nihil te hac de re moror, cum sis ea scientia præditus, ut probe calleas regulas quæ a doctoribus theologiæ moralis traduntur, quomodo, quando, a quibus, quo ordine, et cui sit facienda rerum ablatarum restitutio.

Restat nunc ut hujus S. Congregationis nomine, ac præsertim Summi Pontificis, cujus auctoritate tota hæc est epistola conscripta, vehementer collaudem virtutem tuam eximiumque studium, quod in animarum salute impendis, eamque observantiam, quam erga hanc Apostolicam Sedem præ te fers, etc.

1404. IV. *Responsum* Pii VI *ad archiepiscopum Viennensem* (Car. Franc. Daviau, postea archiepisc. Burdigalensem). 12 aug. 1795.

Dubium propositum. — B. P., Cum debita humilitate nec minore fiducia, archiepiscopus Viennensis, ad pedes S. V. provolutus, veritatis legem pluribus Galliarum Ecclesiis necessariam requirit ex ore ejus.

Legibus regni Galliarum, ex pecunia non alienata præstationem annuam exigere vetitum; neque tamen ubique eadem hac de re Parlamentorum jurisprudentia, quæ quidem plus minusve hisce regni legibus favebat: imo in quibusdam provinciis istam annuam præstationem stipulare permittebatur. Usus autem exigendi in civitatibus quas *commercii* vocant, ita invaluerat, ut confessariis pœnitentes suos ad meliorem frugem revocandi nulla probabilis spes affulgeret.

Neque etiam omittendum, non mediocres, postremis hisce temporibus, casuistas inter, de hac gravissima quæstione, exstitisse contentiones; aliis existimantibus usurarium esse quidquid supra sortem exigitur, nisi fuerit *lucrum cessans* aut *damnum emergens*: asserentibus aliis, nihil esse peccati, si v. g. fructum percipiam ex pecunia in mutuum data, quæ accipienti copiosum in negotiatione emolumentum affert: hancque mutui speciem vocant *Mutuum commercii*. Hinc nonnulli contendunt, præter vulgatos aliquid supra sortem accipiendi et memoratos titulos *damni emergentis* et *lucri cessantis*, tertium quemdam esse agnoscendum, scilicet *lucri advenientis*. Ex illa porro opinionum varietate contigit ut plures confessarii, quan-

quam priori sententiæ addicti, pœnitentes circa ejusmodi usuras ne quidem interrogare ausi fuerint; satius esse existimabant eos qualicumque bonæ fidei committere, quam veris, quas non poterant portare modo, imbuere doctrinis.

Atque is erat controversiæ status, quando prodiit Conventus Nationalis decretum, quo ex mutuata pecunia fructum annuum et stipulandi et percipiendi unicuique asserta est potestas. Neque ullis voluit hanc suam legem circumscribi limitibus Nationalis Conventus, cum nullam annuæ præstationis taxam assignaverit.

His præmissis, nonnulli sacerdotes Gallici in patriam mox reversuri postulant ut statuatur, quomodo in Tribunali pœnitentiæ agendum sit cum iis qui ex pecunia non alienata fructum annuum percipiunt, neque exceptionem *lucri cessantis* aut *damni emergentis* possunt prætendere, sed exceptionem solummodo *lucri advenientis*; sive ipsi pœnitentes ea de re suas confessario anxietates aperiant, sive nihil prorsus dubii experiantur vel significent. Quam autem postulant agendi regulam, nunc eo magis necessaria intelligitur, quod recentiorum casuistarum opinioni vires maximas addere debuerit memoratum Conventionis decretum, cupiditati summopere favens.

Resp. — *SS. D. N. D.* Pius *divina Providentia Papa VI, de consilio selectæ cardinalium Congregationis, quoad primam partem propositi dubii rescribendum esse mandavit : Servandam esse Constitutionem Benedicti XIV, cujus initium* Vix pervenit, *diei primæ novembris anni* 1745, §. 3, n° 11 (supra, p. 736). — *Quoad secundam vero partem dubii propositi, rescribendum esse mandavit : Servandam esse Epistolam Encyclicam ejusdem Benedicti XIV, ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos, diei* 26 *junii anni* 1749, §. 19 et 20. — Ex Ædibus Quirinalibus, die 12 augusti 1795. — F. X. Card. Zelada.

1405. *Epistolæ Encyclicæ* Bened. *Papæ XIV,* 26 *junii* 1749 (*de Præparatione ad annum universalis jubilæi*), §. 19 et 20.

§. 19. Monemus ut meminerint (confessarii) suscepti muneris partes non implere, imo vero gravioris criminis reos esse eos omnes qui, cum in sacro pœnitentiæ Tribunali resident, nulla tacti sollicitudine, pœnitentes audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis medici, qui oleum et vinum vulneri infundit, moribus nimis alienum est. Siquidem medicum agit quisquis pœnitentiæ sacramentum ministrat; hinc debet nedum criminum circumstantias, sed etiam illius qui in crimina lapsus est, indolem ac ingenium sedulo inspicere, ut illi præsto sit opportunis remediis, ex quibus animæ salutem consequatur. *Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici, similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas*

prudenter intelligat quale illi debeat consilium præbere, et ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Verbis utimur clarissimi prædecessoris nostri Innocentii papæ III, in generali concilio Lateranensi, cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis et remissionibus.* Consonat Rituale Romanum a Paulo V, nostro item prædecessore, apostolica Constitutione probatum, in tit. *de Sacramento Pœnitentiæ,* ubi sic loquitur : *Si pœnitens numerum et species, et circumstantias peccatorum non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.* Quod si confessarius probe norit, pœnitentem aliquibus peccatis gravari quæ nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiæ recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia, quæ tamen culpa non vacat, cum putet sibi licere quod reipsa nefas est, e re erit confessarii, ne alioqui necessaria integritate confessio fraudetur, caute ac prudenter in memoriam pœnitentis revocare quæ omisit, illumque monere ac corrigere, ut rite comparatus sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiat. Ita sentit S. Bernardinus Senensis, tom. 2, serm. 27, art. 2, cap. 3, p. 167, ubi quæstione proposita, *An confessor teneatur diligenter perscrutari et examinare conscientiam peccatoris?* affirmando respondet, idque locum habere ait, non solum in iis quæ pœnitens *propter negligentiam, vel propter verecundiam* omittit, sed et in iis quæ ignorans tacet.... — §. 20. Obvia hæc sunt apud theologos, ne iis quidem exceptis, qui inter rigidioris disciplinæ magistros enumerandi non sunt. Non enim res hic agitur de ignorantia, ut aiunt, invincibili juris positivi, ex qua pœnitens in absurdum quidpiam uni confessario notum prolapsus est; et si forte quod pœnitens ignorat monitus disceret, gravioris mali occasio inde sequi possit. Sed vincibilis ignorantia locum habet cum pœnitens aut crimina ignoret quæ tamen nosse debet; aut in iis versetur facti circumstantiis quæ, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo ; cum quis arbitretur ea sibi licere quæ ab iis qui Ecclesiæ sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors theologorum sententia est, confessarium teneri monitis ac interrogationibus pœnitenti opem ferre, quamvis inde pœnitentis tristitiam secuturam agnoscat. Quod si confessarii monitis par exitus tunc non respondeat, adhuc sperare licet ea in posterum, adjuvante Domino, profutura.... (Proferuntur hic varii auctores, speciatim card. DE LUGO, *de Sacram. Pœnitent.,* D. XXII, sect. 2, cujus verba *Infero secundo* citantur et ut saluberrima approbantur.)

1406. V. *Responsum S. Pœnitentiariæ ad* D. BLAQUIÈRE, *parochum Montispessulani* (18 februar. 1807).

CASUS PROPOSITUS. — Confessarius existimat se posse permittere pœnitentibus ut pecuniam cedant mercatoribus, cum obligatione iisdem imposita reddendi præfixo tempore eamdem pecuniæ summam salvam

et integram cum certo et determinato lucro superaddito, quicumque sit negotiationis successus. — Sic opinatur confessarius, quia contendit in hoc casu non esse mutuum, nec proinde usuram, ex triplici ratione : 1°. quia in hoc casu mercatori pecuniam credens illius dominium retinet; et jus habet ad lucra ex negotiatione proventura; 2°. quia non intendit mutuum exercere; 3°. quia ibi est contractus trinus implicite factus, qui, ut ait confessarius, a multis theologis defenditur tanquam ab omni usuræ labe immunis, et nulla fuit a Sede Apostolica notatus censura, quamvis fateri cogatur iste confessarius contractum hunc trinum, etiam explicite et successive factum, in omnibus theologiis moralibus, quæ quam plurimum a plusquam ducentis annis in Gallia prodierunt, et a multis aliis auctoribus summa doctrina conspicuis fuisse impugnatum, tanquam usuræ labe fœdatum, et a plurimis episcopis in suis documentis pastoralibus, vel in suis diœcesanis synodis, fuisse valde improbatum et pro viribus impeditum; qua in re multum laudantur isti episcopi a Benedicto XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. 10, cap. 7, n° 6.

Præterea contendit supradictus confessarius opinioni suæ favere Benedictum XIV, in Constitutione *Vix pervenit*, his verbis : « Peccati « genus.... usurarium est. » (Supra, p. 735). Et istis : « Per hoc autem « nequaquam negatur.... conservandi ac frequentandi. » (P. 736.)

Quæritur 1°. An erret confessarius supra memoratus in sua decisione? 2°. An non abusus sit textibus Benedicti XIV? 3°. Quisnam sit sensus genuinus illorum textuum?

Resp. — Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, ad illa respondendum censuit, quod infirmas profecto rationes profert confessarius ille, qui suis pœnitentibus permittit pecuniam credere mercatoribus, obligatione iisdem imposita reddendi statuto tempore eamdem pecuniæ summam cum certo et determinato lucro, quicumque fuerit negotiationis exitus.

Fallitur 1°. cum asserit dominium rei mutuatæ non transferri in mutuatarium, sed penes mutuantem manere; id enim esset contra naturam mutui, quoniam ideo mutuo aliquid damus, ut ex nostro fiat alterius (Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 7, dist. 4, quæst. 1, concl. 2) et præsertim si pecunia mutuata fuerit. Pecunia quippe statim ac tradita est alteri, in istius dominium convertitur; multo magis si datur mercatori ad negotium faciendum.

Futilis est etiam secunda ratio qua idem confessarius nititur pro tuenda sua praxi. Actiones hominum etsi plerumque ex eorum intentione æstimantur, attamen si factum ipsum intentionem operantis præ se ferat, quid quæris de intentione quæ ex ipso facto luculenter se prodit? Das mercatori pecuniam, tibique integram restitui cum lucro pacisceris, qualiscumque exitus negotiationis fuerit; non igitur intendis lucrum facere ex negotiatione, sed ex mutuo. Nec prætexere potes initum fuisse contractum societatis; nam in societate æqualitas est

servanda, et commune esse debet lucrum aut damnum sociorum; alioquin societas injusta esset, ac propterea ex hoc etiam capite, confessarii de quo agitur praxis reprobanda foret, si vellet verum mutuum societatis prætextu palliare.

Tota vis tertiæ rationis, quam pro sua sententia idem confessarius affert, versatur in disputatione super contractu trino, utrum, necne, sit illicitus. Benedictus XIV, in *Synodo diœcesana*, lib. 10, cap. 7, late disserens de illo contractu, concludit, n° 6, Apostolicam Sedem nullam quidem censuram hactenus opinioni asserenti licitum esse hujusmodi contractum, inussisse : « Sed quod attinet ad usum.... » (Supra, n° 1213, p. 452.)

Quid vero intelligat Benedictus XIV circa justos titulos qui cum mutui contractu aliquando concurrere possunt, clarius ipsemet explicat citato libro, c. 5, n° 10, ubi de cambio tractans ait : « Non enim-« vero negamus posse mutuantem, qui solet pecuniam sua negotiatione « augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo *ejus quod interest*, « hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis; sed cum hic legitimus « adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue « adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui an-« fractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis et doli. »

Ex his omnibus patet debere confessarium, juxta insinuationem Benedicti XIV, *de Synodo diœc.*, lib. 10, cap. 7, n° 6, suos pœnitentes ab eo contractu ineundo dehortari; et si in diœcesi pœnitentis a legibus synodalibus hujusmodi contractus reprobetur et prohibeatur, nullo modo licere talem contractum inire : mentem vero prælaudati Benedicti XIV ab eodem explicari in præcitatis verbis, *Non enim vero negamus, etc.*, ex quibus patet etiam qui sint tituli extrinseci et justi aliquando concurrentes cum mutuo, aut cum contractu qui ementito nomine verum mutuum palliat; in quo casu servanda est cautela ibi a Summo Pontifice præscripta, scilicet eosdem justos titulos in contractu enuntiandi et adducendi. Tandem perlegat et mature perpendat confessarius Epistolam Encyclicam ejusdem Pontificis, quæ incipit *Vix pervenit*, et ex illa certas et probatas regulas hauriet, quando et ex quibus titulis quid supra sortem ex pecunia alteri credita exigi quandoque possit. — Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria, die 18 februarii 1807. — L. Card. Antonellus, P. M.

Nota. In eodem prorsus sensu respondit D. Fenaja, archiepiscopus Philippensis, *Vicesgerens* Romæ, cui idem casus fuerat propositus. Responsionem ejus afferre necessarium non putamus : videri potest ap. Pagès, etc.

1407. VI. *Responsum jussu* Pii VII *directum ad vicarios generales Pictavienses.* (17 sept. 1808.)

Consult.— B. P., Quæ, flantibus politicis tempestatibus nostris, vadit præceps doctrina, ratione debilitatæ fidei, nos inducit ad proponendas

Vobis, tanquam fonti luminum, Ecclesiæque universalis principi, quasdam de usura quæstiones, quæ in praxi persæpe occurrunt. S. V., ut eas velit solutas, rogamus, non tam ut nobis principiorum, quæ veneramur, notitiam inculcet, quam ut clerum fidelesque diœcesis hujus tutos faciat a novitatibus, fœtibus decisionum, quas olim et clerus Gallicanus et SS. Pontifices, præclaræ memoriæ, censura notassent. Decisiones illæ novæ, inquiunt illarum auctores, quorum nonnulli ad Summam Sacerdotii dignitatem provecti, doctores evadunt, in eo fundantur, quod mens commercii nova sit, omniaque nunc, in ordine sociali, mutata et incerta maneant.

Dubia solvenda. — 1°. An liceat commercii mutuum cum lucro a lege concesso? — 2°. Paulus, qui e patria cessit, bonis suis, flagrante revolutione, spoliatus est. Ipsi nunc librarum decem millia tantummodo restant, quas e fortunæ suæ naufragiis collegit. Novas adhuc spoliationes metuens fundos emere nollet. Num ipsi pecuniam liceat nominibus collocare? — 3°. An Petro, Jacobi tutori, pecunias pupilli sui a se receptas cum conditione lucri præstare liceat? Lex ad ea solvenda tutorem hunc obligat, usquedum major vel emancipatus minor evaserit. — 4°. Maria et Joanna sorores adolescentiam in servili conditione duxerunt. Parcimonia legitima illis in modicam fructificavit sortem, quam mutuant cum lucro, ut in senectute existere queant. An lucrum sit legitimum? — 5°. Andræas ex sua, quam otiosam non vult linquere, pecunia, lucrum sibi comparare cupit, quod anteponit e mutuo provenire. Licetne?

Suppliciter rogatur S. V., ut his benigne quæstionibus attendat, velitque nobis transmittere responsum, quo sacerdotes ac fideles diœcesis et a remissiori æque ac periculosa semita, quæ scandalum parit, et a nimis rigorosa severitate, quæ religionem alienat, præmunire possimus. — S. V. pedibus provoluti.... Pictaviensis diœcesis vicarii generales, Soyer; Dargence, *Decan. Eccl. Cath.*; de Beauregard, *Paroch. Eccl. Cath.*

Responsio Emin. Cardin. Pacca. (Ex Italico sermone translata.)

Ad SS. P. pervenerunt vestræ litteræ diei 14 augusti.... Quod vero attinet ad dubia a vobis proposita, Sanctitas Sua curam mihi committit vobis suggerendi ut adeatis Encyclicam Benedicti XIV, fel. record., diei 1 novembris 1745, quæ incipit *Vix pervenit*; necnon egregium laudati Pontificis opus *de Synodo diœcesana*, lib. 7, cap. 47, edit. Rom., Pagliarini, ann. 1748: quibus in locis vobis præsto erunt principia unde tuto solvatur quilibet casus casibus a vobis propositis affinis. — Insuper, ut, præter decisiones contentas citatis monumentis quæ prælo mandata ubique reperire est, regulam magis præfinitam præ oculis habere possitis, maxime circa *Periculum sortis*, utrum scilicet legitimus titulus sit, necne, ad lucrum ex mutuo percipiendum, SS. P. exscribi et ad vos transmitti mandavit Instructionem quæ,

jussu supra laudati Pontificis Benedicti XIV, ad quemdam in Africa missionarium directa fuit, perlonga deliberatione coram ipso S. Pontifice prius habita duobus post supradictæ Encyclicæ promulgationem annis.

Mandata SS. Patris fideliter exsequenti mihi pergratum est posse desideriis facere satis quæ vobis enixa certe suggessit cura fidelibus hujus diœceseos indigitandi tutam, ne in re tam ardua divagentur, viam. — Pro infirmo D. D. cardin. secretario status, B. Card. Pacca. — Romæ, 17 sept. 1808.

1408. VII. *Nova responsio* Pii VII *ad vicarios generales Pictavienses, ad episcopatum designatos.* (29 augusti 1818.)

Consult.— B. P., Miserrimis hisce temporibus, sanguineis lacrymis lugenda corruptio omnia principia subvertere nititur, et serpens antiquus divitiarum cupiditate præsertim homines ad crimen allicit, illosque ad contractus prohibitos et usurarios protrahit. In tanta rerum calamitate, nos mala præcavere cupientes, illaque quoad fieri potest coercere, debita cum reverentia maximaque fiducia, ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti, Ecclesiis nostris veritatis legem necessariam ex ore vestro requirimus supplices.

Quidam ex nostris doctoribus circa usuras parum recte opinari videntur; sunt enim inter illos qui licitos esse docent quosdam contractus, quibus semel admissis ut licitis, prorsus illusoria foret lex usuras prohibens. Lucri percipiendi saltem dubios admittunt titulos. Imo quidam pecuniam locari posse contendunt, ac pretium locationis licite percipi. Tandem sunt, pauci tamen, qui temeritatem eo usque ferunt, ut eos non pudeat docere usuram prohiberi neque lege naturali, neque ullo legis Evangelicæ textu, neque aliis quam Judæis lege veteri interdictam fuisse, ipsamque constitutionem Benedicti XIV *Vix pervenit* legem non facere contendunt, tum quia, inquiunt, circumstantiæ nunc non sunt eædem propter majorem commercii facilitatem, tum quia (dicere liqueat) ad universalem Ecclesiam directa non fuerit : nos igitur responsum ad hæc dubia humiliter petimus.

I. Licitumne est mutuanti auctarium aliquod exigere, titulo lucri cessantis vel damni emergentis; in duplici casu sequenti? 1°. Si propriæ commoditatis intuitu derelinquat lucrandi occasionem, quam primo suscipere decreverat, et hic et nunc habebat, non rogatus, et sponte offerat pecuniam mutuatario sub conditione lucri alias revera probabilis. 2°. Si mutuans generalem tantum intentionem habens lucrandi, elegerit mutuum, non cogitans alias vias lucri percipiendi, quas in sua potestate habuisset. In hoc utroque casu, præsertim in primo, supponitur quod mutuans aliam lucrandi viam certo vel probabiliter elegisset, deficiente occasione lucrandi ex mutuo.

II. Quando pecunia negotiatori creditur, existitne *semper* aut saltem *ordinarie* in præsenti rerum statu, titulus aliquis a mutuo distinctus? — Quidam theologi contendunt in hocce mutuo semper sal-

tem tacite includi unum vel plures ex istis titulis, puta censum utrinque redimibilem, triplicem contractum, venditionem instrumenti lucrativi, titulum a lege vel consuetudine creatum, lucrum adveniens, aliumve titulum legitimum, vi cujus creditor possit auctarium aliquod a negotiatore exigere. Quid de illorum opinione sentiendum, tum circa dubium propositum, tum circa titulos prædictos, quos legitimos supponunt? Quamvis casus ille multis videatur sat aperte definitus in Constitutione Benedicti XIV *Vix pervenit*, quidam sunt apud nos doctores, scientia pariter et caractere conspicui, qui opinantur id unum in prædicta Constitutione statui, nihil tunc vi solius mutui exigi posse, intactam vero remansisse aliam quæstionem, an tunc interveniat titulus aliquis *a mutuo distinctus*, vi cujus auctarium possit a negotiatore exigi?

III. Licitumne est in seminariis docere quæstiones in duplici casu præcedenti expositas, annumerandas esse quæstionibus dubiis, de quibus nihil unquam Ecclesia pronuntiaverit; proinde unicuique licitum esse in praxi, quam probabiliorem existimaverit sententiam amplecti et sequi?

IV. In hypothesi quod negative solverentur dubia supradicta, suntne in bona fide relinquendi: 1°. presbyteri arbitrantes in praxi affirmativam opinionem permittendam esse in supradictis casibus; 2°. fideles qui eamdem opinionem affirmativam in praxi sequuntur, ducti auctoritate pastorum suorum, v. g., parochi, confessarii, vicariorum generalium, vel etiam episcopi, etiamsi fideles illi probe noverint viros sapientes, et doctores non paucos aliter ea de re sentire?

Jam alia vice dignata est S. V. circa dubia quædam in materia usurarum ad nos responsum dirigere, et documenta vestra religiose secuti sumus; in eodem responso nobis exhibetis Encyclicam Benedicti XIV *Vix pervenit*, et Litteras ejusdem Pontificis ad quemdam Missionarium in Africa degentem, tanquam continentes omnia principia quibus in praxi de casibus occurrentibus tute pronuntiare valeamus; at, ut jam observavimus, plures e nostris doctoribus contendunt illa principia nulli ex dubiis hic B. V. propositis certo applicari posse: quocirca iterum atque iterum suppliciter et instanter S. V. obsecramus ut dubia nostra solvat expresse et quasi independenter ab auctoritate Benedicti XIV; sic enim efficaciter malis quibus quotidie cor nostrum vulneratur et opprimitur, mederi posse fidenter speramus.

Oraculum S. Sedis exspectant.... Soyer (episcopus Lucionensis designatus); de Beauregard (episc. Montalbanensis design., postea episcopus Aurelianensis). — Parisiis, die 18 februar. 1818.

Resp. — Pius PP. VII. — Dilecti filii, Salut. et Apost. Bened.

Duabus litteris ad Nos datis,.... dubia quædam nobis proposuistis tam circa matrimonia catholicorum, quam circa usuras, enixe postulantes ut ea solvere, certamque vobis regulam, ad medendum malis, quæ quotidie magis in Galliis grassantur, tradere velimus. Comperi-

mus quidem, utrumque dubiorum genus a vobis propositum, pluries ad hanc Apostolicam Cathedram, nobis etiam ipsis sedentibus, fuisse delatum; re tamen, pro more hujus S. Sedis, maturo ac diligenti examine discussa, gravissimis de causis judicamus, nullo modo esse a nobis recedendum a responsis illis quæ iterato fuerunt consulentibus data....

Quod vero attinet ad dubia usuram respicientia, cum notissimum plane sit Romanos Pontifices prædecessores nostros principia tantum doctrinæ catholicæ circa materiam istam ponere et constituere voluisse, et contractus manifeste fœneratitios explicite condemnasse, consulto tamen, licet exquisiti, a proferendo judicio circa quamplurimos ejusdem generis casus constantissime abstinuisse; quam quidem rationem justis gravibusque causis moti, quas recensere non expedit, tenuerunt; et Nos eorum vestigiis, iisdem de causis, inhærentes, ad illud responsum ipsum vos denuo remittimus, quod ab hac S. Sede alias vos dicitis accepisse, nempe consulendam esse Encyclicam Benedicti papæ XIV *Vix pervenit*, ac cætera quæ in ejus dilucidationem idem Pontifex post decennium protulit in opere de *Synodo diœcesana*, lib. 10, cap. 4, citatæ editionis (Romanæ anni 1755), conformandumque judicium vestrum esse doctrinis et regulis ab eo traditis præscriptisque, quarum ductu, absque erroris periculo, dirimi poterunt exortæ quæstiones omnes, quæ aut expresse aut tacite, citatis in locis, resolutæ reperiuntur.... Datum Romæ, die 29 aug. 1818. — Raphael Mazio, *SS. DD. ab Epistolis latinis.*

1409. VIII. *Decretum S. Congregationis S. Officii, ad preces cujusdam mulieris Lugdunensis.* (3 julii 1822.)

Ad preces cujusdam innominatæ mulieris Lugdunensis, Em. D. Card. Galeffi transmissas, quibus descripto.... (supra, n° 1118, p. 287). Quærebat ergo, 1°. An ad restitutionem perceptorum fructuum esset obligata; 2°. an duntaxat postquam ejus bona fides desierat; 3°. quandonam cessatio bonæ fidei locum haberet; 4°. an sufficeret de ea audivisse, etiamsi loquentis opinio non fuisset adoptata?

Eminentissimi decreverunt: Oratrici pro nunc dicatur, quod responsa ad propositos casus ipsi opportuno tempore dabuntur; interim vero, licet non peracta ulla illarum restitutionum de quarum obligatione S. Sedem consuluit, a proprio confessario absolvi sacramentaliter posse, dummodo vere parata sit stare mandatis.

Nota. Instrumenta authentica quæ ad hanc consultationem et responsionem spectant in extensum refert Pagès, t. II, p. 148 et seq. Ex iis constat tunc coram S. Officio examen fuisse institutum hujusce materiæ. In epistola assessoris S. Officii (F. Turiozzi) transmittentis responsionem ad card. Galeffi legitur (Italice): « In Congregatione « DD. Consultorum, et deinde Emin. DD. Cardin. Inquisit. General. « statutum fuit, rationem habendam fore præsentis consultationis in « examine quod nunc apud S. Officium instituitur hujus materiæ:

« interim ad providendum conscientiæ Oratricis, etc. » Et in epistola quam ad Oratricem (Mˡˡᵉ de Saint-Marcel) scribebat 7 julii 1822 ejus mandatarius, responsum ipsi Lugdunum transmittens : « Le travail « est commencé, les consulteurs feront leur rapport, tout sera soumis, « examiné, etc., et ce ne sera qu'après plusieurs congrégations tenues « sur ce sujet, que le Saint-Siége prononcera. Vous pouvez croire ce « que j'ai l'honneur de vous dire; je le tiens de ceux mêmes qui sont « desdites congrégations. » Hinc explicantur priora responsionis verba.

1410. IX. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad vicarium generalem Nannetensem.* (20 april. 1830.)

Q. — 1°.... 2°. An qui pecunias.... (Vid. supra, n° 1262, p. 542, *Note.*) 3°. Gubernium aliquando, ante tempus statutum, nummos petit a quæstoribus generalibus, qui, ut Gubernio opitulentur, a privatis civibus pecunias mutuo accipiunt; ipsummet Gubernium lucrum quoddam quæstoribus promittit, v. g. quatuor vel quinque pro centum : an in his casibus qui pecunias commodant quæstoribus, aliquid supra sortem recipere licite possint?

R. — *S. Pœnitentiaria diligenter perpensis expositis respondet: Habeatur imprimis....* (Supra, n° 1118, p. 287, 288.)

1411. X. *Responsio* Pii VIII *in Congreg. S. Officii ad* (DD. Cl. Lud. de Lesquen) *episcopum Rhedonensem.* (18 augusti 1830.)

Consult. — Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit Sacræ Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data ut ea ditescant. De sensu Epistolæ Encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur : ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam; inde querelæ, dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur : si quis eos consulat de istius modi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si Pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a Sancta Sede non semel ea de re consulta, tunc isti confessarii exigunt ut Pœnitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit; nec hac promissione obtenta absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si Pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide, isti confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc percipi istius modi lucrum, eum absol-

vunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent ne Pœnitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis : 1°. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare? 2°. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes, consulendi causa, possit hortari ut istorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat?

Resp. *Feria* IV, *die* 18 *augusti* 1830.

SS. D. N. D. Pius *divina Providentia PP. VIII, in solita audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum, una cum voto Eminentissimorum D. D. cardinalium Inquisitorum generalium, respondit : Ad I, Non esse inquietandos. — Ad II, Provisum in primo.*

Nota. Simul cum hac responsione directa sunt ad episcopum Rhedonensem IV responsa quæ sequuntur, eadem manu exarata ac ipsa responsio, et sub eodem involucro : quapropter ea simul et sub unico numero subjungimus, signo tamen aliquo ab invicem distincta, pro citationum facilitate.

1412. XI. *Responsa EE. et RR. DD. CC. Inquisitorum generalium ad sequentia dubia, quæ ipsis una cum DD. Consultorum suffragiis per manus distributa fuerunt.*— Feria IV, 18 aug. 1830.

A. — 1°. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo, vel lucri cessantis, vel damni emergentis? — 2°. Utrum debeat?

Resp. *Non esse inquietandos, quousque Sancta Sedes decisivam definitionem emiserit cui parati sint se subjicere, adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.*

B. — 1°. An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum? — 2°. An peccet confessarius qui dimittit in bona fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo?

Resp. *Ad I, Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit....* (ut in præcedenti). — *Ad II, Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.*

1413. C. — Vir quidam persuasus erat Encyclicam Bened. XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili. Ejus hæredes quærunt, 1°. an Encyclicam recte acceperit?

2°. Etiam supposito quod persuasus se recte accepisse, male acceperit, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant?

Resp. *Ad I, Requiescant, dummodo parati sint stare mandatis.* — *Ad II, Provisum in primo.*

D. — Ad dubia R. P. D. episcopi Rhedonensis. Præmissa longa expositione, quærit 1°. utrum possit horum posteriorum confessariorum (de quibus in sua expositione) agendi rationem probare? 2°. Utrum alios.... (ut supra, x).

Resp. — *Ad I, Non esse inquietandos.* — *Ad II, Provisum in primo.*

Nota. Quidam sacerdos Romæ degens ad nos transmisit hæc quatuor responsa, quæ ipsi licuerat exscribere ex codice P. O.... commissarii S. Officii. Ibi sic erant expressa. « A. Propositis dubiis cujusdam « S. Theologiæ professoris, diœcesis N. in Galliis, quæ sunt ut sequi« tur : 1°. Utrum.... 2°.... EE. et RR. DD. responderunt.... — B. Pro« positis dubiis N. S. Theologiæ professoris in alia diœcesi N. in Gal« liis, tenoris sequentis : 1°. An confessarius.... — C. Propositis precibus « viduæ et filiorum D. N. defuncti, quibus exponebant, virum et « respective patrem, jam judicem in Galliis, persuasum habuisse En« cyclicam.... Isti ut hæredes quærunt.... »

Quinam fuerint duo S. Theologiæ professores memorati, ex mox proferendis (XII et XIII) intelligitur. Aliunde autem novimus judicem fuisse Ruthenensem, et responsum directum fuisse ad presbyterum item Ruthenensem, qui nomine viduæ et filiorum dubia proposuerat. Ex his autem perspicitur varia dubia fuisse proposita simul Congregationi S. Officii et S. Pœnitentiariæ, et ex utraque parte eadem data fuisse responsa.

1414. XII. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad* D. Gousset (nunc archiepiscopum Remensem, tunc) *vicarium generalem Bisuntinum, S. Theologiæ professorem.* (16 sept. 1830.)

Consult. — Ex quo leges Galliarum in plurimis non conveniunt aut adversantur Sacris Canonibus, multo plures apud nos exortæ sunt difficultates, quibus irretiuntur sacerdotes curam animarum habentes, ipsique S. Theologiæ professores. Cum autem S. Pœnitentiariæ documenta nobis sint quasi oracula Sedis Apostolicæ, ad ipsam recurrimus humiliter et suppliciter deprecantes eam, ut definire aut definienda proponere dignetur hæc dubia : 1°. An confessarius ille possit absolvi.... 2°. An peccet confessarius.... (ut supra, XI, B).

Resp. — *S. Pœnitentiaria, diligenter matureque perpensis propositis dubiis, respondendum censuit : Ad I.... Ad II....* (Ibid.)

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 16 sept. 1830. — E. Card. de Gregorio, M. P. — F. Fricca, S. P. secret.

1415. XIII. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad* D. Denavit, *S. Theologiæ professorem in seminario Lugdunensi.* (16 sept. 1830.)

Consult. (25 maii 1830.) — Quando Sacræ Pœnitentiariæ dubia circa materiam usuræ proponuntur, semper remittit ad doctrinam S. P. Benedicti XIV, quæ revera sat clara est et perspicua, pro iis qui bona fide eam perscrutari volunt. Attamen sunt quidam presbyteri qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi legis principis, absque alio titulo vel damni emergentis, vel lucri cessantis; quia, inquiunt, lex principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii sicut transfert dominium in præscriptione, et sic prorsus annihilat legem divinam et legem ecclesiasticam quæ usuras prohibent.

Cum hæc ita se habeant, orator infra scriptus existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis. Quare infra scriptus orator humiliter supplicat ut sequentia dubia solvantur : 1°. utrum possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris præfatis? — 2°. Utrum debeat?

Resp. — *Sacra Pœnitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit : Presbyteros de quibus agitur non esse inquietandos....* (ut supra, XI, A).

Datum Romæ.... (ut supra, XII).

1416. XIV. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad episcopum Veronensem.* (14 aug. 1831).

Sacra Pœnitentiaria, perlectis expositis a Ven. in Christo Patre episcopo Veronensi in supplici libello 1 mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione quatuor dubiorum quæ in eo proponebantur, sed oratori communicat responsa data a Suprema Congregatione Sancti Officii ad alia quædam dubia eamdem materiam respicientia. Hæc autem sunt hujusmodi :

I°. — 1°. Utrum confessarius.... 2°.... (Ut supra, XI, A).

II°. — 1°. An confessarius ille.... 2°.... (*Ibid.*, B).

III°. — Vir quidam persuasus erat.... (*Ibid.*, C).

1417. IV°. — 1°. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant absolvunt, quando nempe isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis si intercedat : et similiter agunt, quando pœnitentes lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum ut supra, nulla ea de re facta interrogatione, quando timent ne pœnitentes admoniti

restituere aut tali lucro abstinere recusent? — 2°. Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat?

Resp. — *Ad I, Non esse inquietandos.* — *Ad II, Provisum in primo.* — Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 14 augusti 1831. — V. D. Solimei, S. P. secretar.

Nota. 1°. Cuilibet attendenti obvium erit hic ultimo loco nil aliud exhiberi quam responsionem ad episcopum Rhedonensem, cujus consultatio fuit in compendium redacta. — 2°. Hæc eadem responsa pluries fuere transmissa ad varios episcopos, vel alios consulentes, sive a S. Pœnitentiaria, sive a S. Officio : quædam exempla in decursu occurrent (XV, XVIII). Addi possent episc. San-Briocens., 9 martii 1831; Aginnens., 12 jun. 1832; Aquens. (d'Acqui), 23 nov. 1832, etc.

1418. XV. *Responsio S. Congreg. S. Officii ad* (DD. Petr. Fr. Bonnel) *episcopum Vivariensem.* (31 aug. 1831.)

Consult. — B. P., Pervenit ad me judicium SS. Pii VIII, sub data die 18 augusti 1830, ad postulata episcopi Rhedonensis super agendi ratione confessariorum erga pœnitentes, qui inter disceptationes theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur. Idem judicium loquitur de voto Eminentiss. Cardin. Inquisitorum generalium : et rescripto subjiciuntur responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt legem principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto judicio et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novæ disceptationes, nova quæsita. Nam dictum judicium in pluribus diœcesibus divulgatum est, et hæc est occasio talium disceptationum.

In exposito episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam theologi reperiri in lege principis : sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicæ *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum. Unde alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab Eminentiss. Cardinalibus, ita ut sensus istius judicii sit : sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede ea de re non semel consulta; ideoque si pœnitentes promittant se filiali obedientia obsecuturos judicio S. Pontificis si intercedat, non esse inquietandos confessarios qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic judicium S. Pontificis interpretantur, aures avertunt a littera Encyclica Benedicti XIV, et a doctrina libri *de Synodo diœcesana* ejusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici, 17 aprilis 1749, et a diversis Responsis datis a S. Sede Apostolica. Alii, non concipientes qua via præfatum judicium conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV

et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctim cum Responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quæ remittere videtur S. Pontifex, qui dicit in procœmio judicii : « Audita relatione superiorum dubiorum cum voto Eminentissimorum « Cardinalium, » et judicium esse referendum ad dubia de titulo legis principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de lege principis sine addito, non verba facientes de conditione quam in medium proferunt patroni tituli ex tali lege desumpti ad percipiendum *interesse*, nempe quod princeps lege sua declaret, non quidem licitum esse percipiendi in mutuo usuras (quæ jure naturali et divino sunt prohibitæ), sed se ex causa publica et in quibusdam circumstantiis concedere jus ad moderatas præstationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferat dominium sicut per legem præscriptionis. Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi lex civilis omnino silet de dato jure ad percipiendum usuras, et potius supponit mutuantem ad lucrum jus certum habere. Motivum illius legis, a Gubernii illius temporis legislatoribus expositum, erat quod Gubernii consultores *interesse* consideraverant ut justam compensationem beneficiorum quæ eventura erant mutuanti ex usu pecuniæ mutuatæ, si eum usum sibi retinuisset. In discussione legis hæc insuper habuit Tribunatus orator : « Legitimitas stipulationis « lucri in mutuo pluries agitata, et tam impolitice proscripta propter « æquivocationem verborum, amplius dubia non erit. Apud omnes « certum est pecuniam esse signum valoris, omnesque consentiunt va« lorem locari posse ; at nolunt, nec possunt convenire, signum valoris « pariter posse locari. » Legis Gallicanæ hæc sunt verba : « Licitum est « stipulari interesse pro solo mutuo sive pecuniæ, sive aliarum rerum « mobilium. » Porro si legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum vel ut justam compensationem beneficiorum quæ mutuanti evenire poterant ex usu pecuniæ sibi retentæ, vel ut pretium locationis signi valoris, quod juxta illos locari poterat ; si lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat ; certum videtur, legem civilem in Galliis noluisse transferre dominium hujus lucri, et illud acquisitum mutuanti supposuisse. Unde si alii dicant responsionem Emin. Cardinalium applicandam esse legi Gallicanæ, prout est in codice Civili, alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quæritur : 1°. An præfatum judicium S. Pontificis intelligendum sit ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo legis principis, de quo Emin. Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto ? — 2°. An titulus ex lege principis, de quo Emin. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat legem principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo

facto, sicut fit in codice Civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi?

Resp. Feria IV, die 31 augusti 1831.

In Congregatione generali S. Officii habita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emin. et Rever. DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. episcopi Vivariensis, iidem Emin. et Rever. DD., præhabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt : Provisum in decretis feriæ IV, 18 *augusti* 1830, *atque dentur decreta. — Eadem die et feria, SS. D. N. Gregorius, div. Provid. PP. XVI, in aud. R. P. D. Assessori S. Officii, resolutionem ab Eminent. captam approbavit.*

Nota. Decreta ad episcopum Vivariensem transmissa eadem sunt quæ ad episcopum Veronensem (supra, XIV); cum hoc tamen discrimine : in transmissione ad episcopum Vivariensem consultatio episcopi Rhedonensis exhibetur, non in compendium redacta, sed ex integro descripta (ut supra, X). Id verisimiliter non sine peculiari quadam ratione actum est. Hanc indicat D. D. episcopus Bellicensis : « L'ex-« posé ne fut pas abrégé, afin que les raisonnements qu'il renferme « pussent être comparés à ceux que faisoit Mgr de Viviers, et fixer son « incertitude. » (*Circulaire.... Rit. de Belley*, t. I, p. 545.) Observari tamen potest jam antea notum fuisse episcopo Vivariensi expositum episcopi Rhedonensis, de quo loquitur initio suæ consultationis, imo ex quo ait orta esse nova dubia, quorum ipse solutionem postulat.

1419. XVI. *Responsio S. Officii ad capitulum Locarnense.* (31 aug. et 7 sept. 1831).

Consult. (13 maii 1831) ex Italico sermone transl. — B. P., Capitulum Locarnensis collegiatæ, in Comensi diœcesi, Helvetico territorio, præbendas habet quæ majori ex parte pecunia constant conflata præsertim ex decimarum exstinctione per Gubernii decretum inducta : quæ pecunia adhiberi debet, ut exinde et canonicorum sustentationi, et beneficiorum oneribus provideatur. Attentis vero temporum, et locorum adjunctis, aut nullo pacto pecuniam in bona immobilia frugifera convertere est, quippe quæ pro ratione populationis rarissime venalia sint; aut præ nimio immobilium pretio nonnisi reditus 2 et ½ pro 100 annuatim perciperetur, unde præbendæ, jam per se tenues, graviter imminuerentur. Census a legibus patriis prohibentur; nec aliunde in tuto ponerentur, cum hypothecarum officia desint, quibus et de immunitate et de sufficientia bonorum certo constet. — Insuper quicumque, ut suis negotiis consulant, mutuum a nobis petunt, census ut plurimum respuunt, pecuniamque libentius mutuo accipiunt, stipulato annuo 4 aut 5 pro 100 auctario.

Quibus præmissis, quæritur : — 1°. Utrum necessaria congruaque canonicorum sustentatio, ex præbendarum fructibus colligenda, in talibus rerum adjunctis haberi possit ut sufficiens aliisque titulis Ecclesiæ jam probatis æquivalens titulus, ex quo pecuniam, qua dictarum præbendarum dotatio constat, mutuo dare liceat, stipulato annuo 4 vel 5 pro 100 auctario, et statuta prius tum in bona immobilia hypotheca, tum quorumdam notorie idoneorum fidejussione, ut præbendarum perpetuitas in tuto ponatur? — 2°. Utrum prædictus titulus, si semel licitus admittatur, possit extendi ad ecclesias, monasteria, aliave pia loca, atque etiam ad pupillos, aliosve qui in supradictis rerum adjunctis versantur, et ex pecunia fructum percipere debent, ut congruæ sustentationi consulant? — 3°. Utrum legis civilis statuta, quæ jam nunc tales contractus et approbant et exsecutioni mandari curant, necnon communis tacitus populorum consensus qui, usu jam a sæculis obtinente, tales conventiones aliis magis implexis arduisque contractibus suffecisse videntur, pro majori contrahentium commodo, iis cohonestandis satis sint? — 4°. Utrum stare liceat ordinarii auctoritati, pluriumque sapientia et pietate commendabilium ecclesiasticorum, qui, spectatis circumstantiis supradictis, has conventiones propugnant et approbant? — 5°. Quanti fieri possint rationum momenta, quæ adducit Scipio Maffei in tribus libris *de Pecuniæ usu*, Benedicto XIV dicatis, et a Paduensi Inquisitore approbatis anno 1744? — 6°. An bulla *de Usuris*, anno 1745, a S. P. felic. record. Benedicto XIV data, probabiliter occasione prædicti Maffei operis, possit sub num. 3, et art. *de Contractu autem* et seq., in favorem talium contractuum commode explicari? — 7°. Si prædictæ conventiones illicitæ habeantur, quid de contractibus jam initis necnon de lucris jam perceptis sentiendum? — 8°. Utrum prædictæ conventiones licitæ fieri possint saltem si fundorum qui in præbendarum assecurationem obligantur, fortuiti casus assumantur, cum debitis conditionibus, ut in censibus fieri solet?

Infrascripti oratores humillime a S. V. expetunt et efflagitant claram opportunamque decisionem, qua acquiescat et sua et multorum conscientia hac de re non leviter perplexa.

Subjungit *Agens*, generalem permagnamque esse pecuniæ raritatem, necnon immobilium quæ penes paucos ut plurimum existunt; sublata mutui facultate, proprietarios, utpote artium commerciique plerumque rudes, consumpta parvula sorte, mox miseria laborare; alios vero, quibus propria non suppetit pecunia nec fundus quem præsenti pecunia commutent, nullum ex industria fructum percipere posse; deficientibus montibus Pietatis, sæpe sæpius, urgente necessitate, parvulum patrimonium, et quidem pretio ut plurimum vilissimo, vendendum ipsis fore.

Conscientiæ ultra modum anguntur : unde plures ordinarii, omnibus perpensis, auctario percipiendo favent; secus, securitas generaliter deficeret, et negotia industriaque gravissimum detrimentum caperent.

Resp. — Feria IV, 31 augusti 1831. — *Propositis superioribus Capituli collegiatæ Locarni precibus, quæ jam per manus una cum DD. Consultorum suffragiis distributæ fuerant, Em. et Rev. DD. dixerunt: Ad* 1, 2, 3, 4, *Non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis; — Ad* 5, 6, 7, 8; *Consulant Encyclicam Benedicti XIV* Vix pervenit, *et probatos auctores.*

Feria IV, 7 sept. 1831. — SS. D. N. Gregorius XVI, *in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, Eminentissimorum resolutiones approbavit.*

1420. XVII. *Iterata Responsio S. Pœnitentiariæ ad* D. Denavit. (11 nov. 1831).

Consult. (24 sept. 1831), *ad Majorem Pœnitentiarium.*

Ex responso Sacræ Pœnitentiariæ ad oratorem infrascriptum directo die 16 septembris 1830 (supra, XIII), absolvendi sunt presbyteri qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo absque alio titulo a theologis communiter admisso, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco.

Attamen, salvo S. Pœnitentiariæ responso præfato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere seminariorum Galliæ, ac præsertim eorum quæ a presbyteris Congregationis S. Sulpitii diriguntur, sententia quæ rejicit titulum legis civilis tanquam insufficientem videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit. Quapropter fidelibus, qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum præter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse præfatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui, perceptis hujuscemodi usuris, id est, vi solius tituli legis, nolunt restituere.

Quæritur 1°. utrum durius et severius me habeam erga hujuscemodi fideles? — 2°. Quæ agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit?

Resp. — *Sacra Pœnitentiaria, perpensis dubiis quæ ab oratore proponuntur, respondet: Ad I, Affirmative: quandoquidem ex dato a S. Pœnitentiaria responso liquet, fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos. — Ad II, Provisum in primo: unde orator priori S. Pœnitentiariæ responso sub die* 16 *septembris* 1830 *sese in praxi conformare studeat.* — Datum Romæ, in S. Pœnit., 11 nov. 1831. — A. F. de Retz, S. Pœnit. regens. — F. Fricca, S. Pœnit. secretarius.

1421. XVIII. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad* D. Avvaro, *S. Theologiæ doctorem et professorem, canonicum theologum, et provicarium generalem Pineroliensem, etc.* (11 febr. 1832.)

Consult. (Pinerolii, 22 januar. 1832). — Regia lex Pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit ut quisquis alteri cuicumque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum auctarium 5 pro 100 supra sortem. Hinc in Pinaroliensi aliisque finitimis diœcesibus gravissima inter theologos fervet controversia, an in casibus, in quibus ex una parte nullus adest titulus lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, ex altera vero præceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat mutuanti illud auctarium recipere et retinere? Alii enim auctarium illud omnino usurarium et illicitum, alii vero ab omni usuræ labe immune prorsus licitumque esse propugnant; et quod controversiam valde implicatiorem reddit, omnes gloriantur se niti auctoritate Benedicti XIV, aut saltem eum sibi nullatenus adversari.

Nimirum theologi qui primam sententiam tuentur, dicunt auctarium, de quo agitur, a Benedicto XIV reprobatum fuisse, implicite quidem in Encyclica diei 1 novembris 1745, *Vix pervenit*, ut patet ex attenta ejus lectione; explicite vero in opere *de Synodo diœcesana*, lib. x, cap. iv, nis 1 et 2, his verbis: « Græcis ex parte con« sensit Calvinus...., modumque servet a patriæ legibus definitum. » (Vid. supra, nis 1113, 1114, p. 262, 265.) Porro etsi Benedictus XIV, in *Synodo diœcesana* solum loquatur ut privatus doctor, ipse tamen sine dubio omnium optime sciebat quid in sua Encyclica reprobare voluisset, adeoque quidquid circa usuram postea scripsit in *Synodo*, et signanter cit. cap. 4, ubi, n° x, doctrinam in Encyclica definitam summatim refert, habendum est tanquam ejusdem Encyclicæ explicatio, a qua recedere piaculum sit.

Theologi vero qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo *ipsius ratione mutui, vel solius causa mutui, vel vi mutui ipsius, vel præcise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto*, quod veluti usurarium atque omni jure illicitum meritissime reprobavit Benedictus XIV, tum in Encyclica, §. 3, nis 1 et 2, tum citato loco *de Synodo*, n° 11; sed *ratione, causa, vi, ac titulo extrinseco legis civilis* dominium auctarii ex mutuatario in mutuantem transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam præscriptionem; vel *ratione publici boni*, quod, mutatis circumstantiis, in præsenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset; vel *ratione ultronei*, taciti ac mutui *consensus* in auctarium a lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest jus disponendi de rebus suis prout ei libuerit, et spe-

ciatim ex parte eorum qui modo pecunia abundant et modo indigent, ac modo pecuniam mutuo dant, modo vero accipiunt; vel *ratione consuetudinis* in orbe catholico fere ubique receptæ, etiam apud homines timoratæ conscientiæ, auctarium moderatum et a patriæ legibus definitum exigendi; vel ob alias hujusmodi causas, quas Benedictus XIV nullibi expendit aut memoravit. Ad argumentum autem quod ex Encyclica et ex opere *de Synodo diœcesana* deducunt primæ sententiæ patroni, quadrupliciter respondent.

Respondent 1°., Benedictum XIV in Encyclica *Vix pervenit* hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum, ultra sortem recipi posse, cum quis vel tenetur simplici ac nudo mutuo, absque ullo auctario, alteri succurrere; quod ex præcepto charitatis, ex eoque solo, locum habet in multis casibus, idque ex eo quod tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi: vel mutuum dat in iis casibus in quibus nullum alium justum contractum, præter unum mutuum, celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, v. g., quum alteri credit vinum, oleum, etc., ut patet ex §. 3, n° 5, ubi postquam definivit falso et temere affirmari reperiri semper ac præsto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere: « eumque qui ita affirma- « ret » non modo divinis documentis et Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari; hujus definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis: « Neminem enim id saltem latere potest, quod « multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succur- « rere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a « te ne avertaris*: et quod simpliciter multis in circumstantiis, præter « unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse pos- « sit. » Ac proinde juxta Benedictum XIV, quoties mutuo datur pecunia, et præceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici ac nudo mutuo, semper una cum mutuo reperiri posse, quin immo præsto ubique esse legitimum aliquem titulum, v. g., *Legem civilem, Publicum bonum, etc.*, cujus præsidio liceat auctarium moderatum ultra sortem recipere, juxta tritam illam regulam: *In necessariis expressio unius est exclusio alterius*: aut saltem Benedictum XIV huic sententiæ nullatenus adversari.

Respondent 2°., huic quoque sententiæ nullatenus adversari Benedictum XIV, in iis quæ circa usuram scripsit cit. cap. 4 *de Synodo*, n^is^ 2 et 3; quia ibi solum docet perpetuæ Catholicæ Ecclesiæ de usura doctrinæ post Græcos schismaticos contradixisse tum Calvinum, qui erronee docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo *præcise ratione*

mutui (in quo sita est usuræ essentia) licite a divitibus exigi posse; tum Carolum Molinæum, qui audacter affirmabat hujusmodi *usuram* a Calvino admissam, et suapte natura malam, non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram*, nisi charitatem læderet, ab omni culpa prave absolvebat, falso eo prætextu, quod sit merces locatæ pecuniæ; tum demum paucos quosdam doctores illos catholicos, qui impiæ Calvini et Molinæi opinioni *subscribere* non verentes, una cum ipsis audacter affirmabant et erronee docebant *usuram non esse prohibitam nisi in quantum est contra charitatem*, atque a fœnoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur percipiturque ex mutuo *præcise ratione mutui*, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum. Hæc omnia profecto ne latum quidem unguem differunt a doctrina quæ continetur in Encyclica. At vero, aliud est usurarium et illicitum esse auctarium, etiam moderatum, et a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo *præcise ratione mutui*; aliud est usurarium ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo non *præcise ratione mutui*, sed *ratione legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulo supra commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV, de altero ne verbum quidem facit.

Respondent 3°., in hypothesi quod Benedictus XIV in *Synodo* huic sententiæ reipsa adversaretur, nullo modo culpandum fore qui, solidis rationibus innixus, a privata ejus opinione seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine præfationis ad *Synodum diœcesanam* aperte profiteatur, *omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiæ auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio de qua agitur, *nihil se in Synodo definire ac veluti decretorium exhibere velle*, allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui etsi commentaria sua in libros Decretalium scripserit quum Summum Pontificatum gereret, non tamen « hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo opere « scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones « suas, quas tanquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus « oppugnari, ut patet, etc. »

Respondent 4°., in hypothesi quoque quod Benedictus XIV huic sententiæ adversaretur in Encyclica, jam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium a lege permissum, quod percipitur in præsenti rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, immo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia quibus nititur Catholicæ Ecclesiæ de usura et mutuo doctrina, quæque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

Ego, diligenter considerata, prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti XIV doctrina, ut moderatius, sic probabilius illud existimo:

dubitari merito posse utrum ea doctrina, se sola, huic controversiæ dirimendæ sufficiat, nec ne. Verum cum, etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut, sublata omni incertitudine, sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam confessariis qui novissime circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis qui, ratione munerum quibus perfungor, sive intra sive extra sacrum Pœnitentiæ tribunal consulturi sunt, Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quæstionum, quas hic subjicio :

Q. — 1°. An auctarium, de quo agitur, licitum sit? Et quatenus hæc quæstio ex doctrina Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicæ judiciis directe resolvi nequeat,

2°. An pœnitentes qui auctarium illud sive bona sive dubia aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant se esse paratos ad exsequendum quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit? Et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quæstiones jam pluries nomine S. Officii et Sedis Apostolicæ provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat,

3°. An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, neque versantur in casibus in quibus præceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5 pro 100 supra sortem prout lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicæ super hoc negotio determinationibus?

Resp. — *S. Pœnitentiaria dil. in Christo Josepho Antonio Avvaro transmittendas censuit resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuras, scilicet:* 1°. Utrum.... (ut supra, XIV). — Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 16 februarii 1832. — E. card. de Gregorio, M. P. — D. Fratellini, S. P. secr.

1422. XIX. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad* (DD. Carol. de La Tour-d'Auvergne-Lauraguais, nunc S. R. E. cardinalem) *episcopum Atrebatensem* (8 junii 1834).

Consult. — Ad pedes S. V. provolutus.... — Quidam diœcesis nostræ confessarii absolvunt quidem illos, qui invictis argumentis sibi ipsis demonstrarunt legem civilem esse verum aliquid supra sortem accipiendi titulum, aut qui mutuum non exercent, nisi post consilium ab homine perito fide digno acceptum : sed absolutionem iis denegant qui, re minime perpensa, nec consilio a viro capaci petito, quinque pro centum exigunt absque titulo a theologis admisso, et eo solo, quod

audierint illud a lege civili permitti, vel a multis exerceri, et licet moniti, a lucro tamen exigendo cessare nolunt.

Ideo humillime expostulat, utrum severior habenda sit posteriorum confessariorum agendi ratio?

Resp. — *S. Pœnitentiaria Ven. in Christo Patri episcopo oratori respondendum censuit : Ad præmissa satis provisum per decreta S. Inquisitionis in quibus semper supponitur bona fides. In reliquis consulat probatos auctores, aut adeat peritos theologos.* — Datum Romæ in S. Pœnit. 8 junii 1834. — A. F. de Retz, S. Pœnit. regens.

1423. XX. *Responsio Em. Card.* de Gregorio, *Maj. Pœnit. ad* (DD. Petr. Fr. Bonnel) *episcopum Vivariensem* (7 martii 1835).

Consult. — B. P., Quidam sacerdotes diœcesis nostræ Vivariensis, in Gallia, in suis ad plebem concionibus publice prædicant licitum esse percipere *auctarium legis* ex pecunia mutuo data, nulla facta prævia monitione circa clausulam in variis responsis Curiæ Romanæ appositam : *Modo sint parati stare mandatis Sanctæ Sedis.* Quam prædicationem ægre ferunt plerique pastores : 1°. quia hæc clausula, *Modo sint parati stare mandatis S. Sedis*, expresse apponitur in variis decisionibus S. Pœnitentiariæ nec non S. Congregationis Inquisitionis; 2°. propter duplex dubium juris et facti : utrum princeps potuerit, et utrum voluerit dominium hujus *auctarii* transferre in conscientia. Hinc dissensiones in clero, gregisque scandalum.

Quibus malis occurrere atque remedium afferre cupiens, Sanctitatem Vestram, B. Pater, suppliciter obtestatur episcopus Vivariensis ut hæc dubia solvantur : 1°. Utrum clausula : « Modo sint parati stare « mandatis S. Sedis, » sit exprimenda in publicis concionibus? — 2°. An sacerdotes qui contra faciunt sint improbandi?

Resp. — Ill. ac Rev. D., Redditæ sunt mihi litteræ Amplitudinis Tuæ Ill. ac Rev., quibus exponis, Nonnullos sacerdotes verbi Dei præcones in publicis concionibus docere licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, quin ullum verbum faciant de illa conditione responsis a S. Pœnitentiaria nuper latis apposita, qua cautum est, ut pœnitentes lucrum ex mutuo legis civilis titulo percipientes parati esse debeant stare mandatis S. Sedis, et deinde expostulas an illi sacerdotes sint improbandi. Haud moror statim postulationi tuæ satisfacere, quam sanæ doctrinæ curandæ studio et ad quæstionum motiva præcavenda a te propositam fuisse perspexi. Meliori autem ratione id fieri non posse arbitror, quam si Amplit. T. significem quæ fuerint S. Pœnitentiariæ mens atque sententia in enuntiatis decretis edendis.

S. igitur Pœnitentiaria quæstionem a theologis agitatam de titulo illo ex lege principis desumpto, haudquaquam voluit definire; sed solummodo normam proponere quam confessarii tuto sequerentur erga pœnitentes qui moderatum lucrum lege principis

statutum acciperent bona fide, paratique essent stare mandatis S. Sedis. Qui itaque docent absolute in sacris concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis enuntiatis conditionibus, christiano populo potius propria quam S. Sedis placita proponunt, et partes judicis sibi temere assumentes, privata auctoritate definiunt quæstionem, quam S. Sedes nondum voluit definire. Quæ cum ita sint, profecto vides horum agendi rationem probari minime posse.

Tu igitur, qui in excolendo dominico agro tibi commisso præes, cura ne verbi Dei præcones singularia placita fidelibus proponant, neque ultra ea quæ ad salutem sunt necessaria aut summopere utilia sermo eorum divagetur. Cum porro haud dubitem quin apprime id sis præstiturus, constantem animi mei erga Dom. Tuam Ill. et Rev.... E. Card. de Gregorio, P. M. — Romæ, die 7 martii 1835.

1424. XXI. *Responsio* ejusdem *Em. Card.* de Gregorio, *Maj. Pœnit. ad* (DD. Carol. Dancel) *episcopum Bajocensem* (10 julii 1835).

Monitum quoddam cum adjunctis observationibus ad clerum suæ diœcesis dederat episcopus Bajocensis (5 aug. 1834) circa responsiones S. Pœnitentiariæ et S. Officii; quæ postea (25 april. 1835) ad Card. Maj. Pœnit. transmisit. Ibi inter plura alia, hæc habet quæ velut summarium exhiberi possunt : « Leur *vrai sens* est dans leur texte « même, c. à d., dans le peu de mots qu'elles renferment en réponse « aux consultations, selon la sage coutume de l'Église de Rome. Ainsi « 1°. elles ne touchent en rien aux *principes* immuables sur l'usure, « tels que nous les avons consignés, d'après Benoît XIV, dans notre « circulaire du 26 mars 1830. — 2°. Elles ne décident absolument rien « sur le fond de la question : *Si le prêt au taux légal actuel est légi-* « *time en soi, ou usuraire;* puisqu'elles supposent au contraire qu'il « pourra intervenir plus tard une décision du S. Siége, à laquelle « confesseurs et pénitents doivent être prêts d'avance à se conformer : « *Donec S. Sedes decisionem definitivam emiserit, etc.* 3°. Ainsi « elles ne préjugent absolument rien sur l'application des principes à « cette dernière question. 4°. Ainsi elles nous laissent pleine et entière « liberté de garder nos sentiments, nos opinions, nos convictions « intimes sur l'application des principes à la question du prêt légal. « 5°. Elles laissent aussi les confesseurs juges de la bonne foi et de la « sincérité de leurs pénitents sur cette matière comme sur tant d'autres. « 6°. Elles ne leur défendent nullement d'éclairer les prêteurs qui les « consultent, et de les détourner même de ce genre de commerce; et « c'est le point où elles disent aux confesseurs de s'arrêter. 7°. Elles ne « font donc que tracer la *conduite provisoire* que doivent suivre les « confesseurs envers leurs pénitents *de bonne foi*, pourvu qu'ils se « soumettent d'avance au jugement définitif, quel qu'il soit, que le « S. Siége pourra porter plus tard sur cette question. 8°. C'est une

« mesure toute de *condescendance*, de tolérance, de conciliation, de « paix, et même toute de prudence, qui dit à tous de rester tranquilles « en attendant la décision du S. Siége. La seule chose que Rome exige « est donc *provisoirement de s'abstenir de refuser l'absolution pour « le seul fait du prêt au taux légal actuel, lorsque les prêteurs « sont de bonne foi, et qu'ils promettent d'avance de se soumettre « au jugement du S. Siége.* Voilà ce que portent textuellement les « décisions de Rome, et rien de plus. A ces traits, nous reconnoissons « cette exactitude vraiment théologique, cette modération et cette « haute sagesse qui distinguent éminemment la chaire de Pierre dans « ses décisions. » (*Nota.* Quæ Italico charactere describuntur, sic descripta occurrunt in exemplo typis excuso jussu episcopi Bajocensis, p. 3, 4.)

Resp. — Perlatæ ad me sunt litteræ Amplitudinis Tuæ Ill. et Rev. diei 25 aprilis hujus anni, atque una exemplum typis excusum moniti cujusdam cum adjunctis eidem observationibus Gallica lingua exarati, quod inde a die 5 augusti anni 1834 ad clerum istum dedisti super responsis illis S. hujus Pœnitentiariæ, et S. item Congregationis S. Officii, quæ sunt de sacramentali absolutione iis non deneganda, qui ex pecunia mutuo tradita moderatum lucrum civili lege statutum percipiunt bona fide, ac futuris S. Sedis mandatis obedire parati sunt, dummodo scilicet ipsi alias ob causas absolutione indigni non judicentur.

Jam vero tuis illis scriptis in S. Pœnitentiaria, sicuti optabas, perpensis, nihil sane in iis offendimus, quod memoratorum responsorum sensui non congruat. Imo non parum laudis promeruisse visus es, quod excitatas a quibusdam ea super re dissentiones prudentibus hujusmodi ad clerum litteris exstinguere studueris. Deinde cum Ego de tua agendi ratione a S. Pœnitentiaria approbata retulerim SS. D. Papæ Gregorio XVI, Eique litteras tradiderim a te dicta die 25 aprilis ad Ipsum scriptas, mandavit mihi Sanctitas Sua, ut suis etiam verbis Amplitudini Tuæ gratularer singularem, bonoque pastore dignissimam sollicitudinem, qua non intermittis advigilare diligenter, ut oves tuæ adhæreant totis animis Ecclesiæ Romanæ, hujusque Antistitem, in quo B. Petrus apostolus vivit semper et præsidet, pleno prosequantur obsequio, atque ab hujus sensu nihil unquam declinent.... — E. Card. de Gregorio, M. P. — Romæ, 10 julii 1835.

1425. XXII. *Responsio S. Officii ad* D. Taillant, *parochum in diœcesi Augustodunensi.* (29 jul. 1835.)

Consult. (10 junii 1835). — Parochus infra subscriptus loci dicti *Sennecey-le-Grand*, intricatam et hodie valde practicam difficultatem proposuerat S. Pœnitentiariæ : sed ista in suo rescripto dato Romæ die 22 februarii 1835, *Respondendum censuit recurrendum esse ad S. Officium.* Huic monito parens, idem dubium propono Congregationi

S. Officii : — « Decisiones Romanæ de usura passim vulgatæ versantur « *omnes* circa *unum* punctum : nempe *Non esse inquietandos con-* « *fessarios asserentes licitam esse perceptionem interesse legalis.* « Sed sunt qui cum cardin. de La Luzerne rejiciunt titulum legis « civilis, et admittunt mutuum divitibus factum dare *per se* jus ad « sortis auctarium, non obstante Encyclica Benedicti XIV, quam « dicunt esse decisionem localem, minime vero catholicam seu univer- « salem. Hæc opinio estne temeraria, ita ut ejus defensores reddat « absolutione indignos? »

Resp. Feria IV, die 29 julii 1835.

In congregatione generali S. Rom. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Em. et Rev. DD. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, iidem Em. et Rev. DD. dixerunt : Orator se gerat juxta doctrinam contentam in Encyclica Benedicti XIV Vix pervenit, *quæ respicit universam Ecclesiam.*

Eadem die et feria. — *Sanctiss. D. N.* Gregorius *PP. XVI in solita audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, præfatam resolutionem approbavit.* — Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inquisit. secretarius.

1426. XXIII. *Responsio S. Officii ad* (DD. Dominic. Galvano) *episcopum Nicæensem.* (17 januar. 1838.)

Consult. (9 sept. 1837). — In fasciculis quorum titulus, *Annali delle Scienze religiose*, vol. 1, n° 1, p. 128, et l'*Ami de la Religion*, 2 avril 1835, legitur responsum, quod Emin. Cardinalis Pœnitentiarius Major dedit, die 7 martii 1835, Ill. et Rev. Episcopo Vivariensi in quæstione ab ipso circa usuram proposita : exposuerat enim Præsul nonnullos verbi Dei præcones docere in publicis concionibus, licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, quin ullum verbum facerent *de illa conditione* responsis a S. Pœnitentiaria nuper latis apposita, qua cautum est, ut pœnitentes lucrum ex mutuo legis civilis titulo percipientes *parati* esse debeant stare mandatis S. Sedis ; ac postulaverat an illi sacerdotes essent improbandi. Cujus precibus benigne annuens Em. Pœnitentiarius Major respondit : S. Pœnitentiariam haudquaquam voluisse responsis illis quæstionem a theologis agitatam de titulo ex lege principis desumpto definire, sed solummodo normam proposuisse, quam confessarii tuto sequerentur erga pœnitentes qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide, paratique essent stare mandatis S. Sedis, ac proinde minime probari posse illorum concionatorum agendi rationem, qui absolute docent in sacris concionibus, licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis enuntiatis conditionibus.

Quidam attendentes ad illa verba in responso apposita, *Bona fide,*

contendunt, juxta normam a S. Pœnitentiaria confessariis pluries propositam illos tantum sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum bona fide percepissent. Alii e contra asserunt etiam illos, qui dubia vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis S. Sedis, et aiunt hanc clausulam, *Bona fide*, non respicere onus restitutionis, sed potius honestatem agentis, et absolutionem, quam confessarii impertiri nequeunt pœnitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de patrato in mala fide pœniteant : et hoc deducunt ex ipsa postulatione Episcopi Vivariensis. Non petierat Episcopus, aiunt, utrum pœnitentes dubia vel mala fide constituti obligandi essent ad restitutionem, sed tantum utrum improbandi essent concionatores illi, qui, nulla enuntiata conditione, licitum usum mutui prædicti prædicabant, quumque S. Sedes nondum quæstionem definierit, et patratum in mala fide, licet per se non inducat onus restitutionis, semper tamen inducit culpæ reatum; hinc Em. improbasse aiunt istorum agendi rationem, qui reticitis conditionibus, *Bona fide*, et *Standi mandatis Sanctæ Sedis*, licitum usum dicti mutui absolute prædicabant, quin loqueretur Emin. de obligatione restitutionis, de qua non postulabat Præsul. Deducunt quoque ex conditione a S. Pœnitentiaria requisita in pœnitentibus standi mandatis Sanctæ Sedis, quæ dispositio dubium necessario aut supponit, aut excitat de honestate mutui prædicti.

Quumque hinc et inde sint viri summæ pietatis et non spernendæ auctoritatis; hinc ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideatur, perhumiliter petitur : — An pœnitentes qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide, perceperunt, absolvi sacramentaliter possint nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint standi mandatis S. Sedis?

Resp. — Feria IV, die 17 januarii 1838. — *In congregatione generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis habita in conventu S. Mariæ supra Minervam, coram Em. et Rev. DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito supra dicto dubio, iidem Em. et Rev. DD. dixerunt : Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.* — Angelus Argenti, S. Rom. et Univ. Inquis. notarius.

1427. XXIV. *Responsio S. Pœnitentiariæ ad N. sacerdotem, S. Theologiæ professorem in seminario N.* (3 junii 1841.)

Consult. *ad Em. Card. Majorem Pœnitentiarium.* — Sacerdos quidam, re mature perpensa, putat : 1°. quamlibet usuram esse jure divino ac naturali prohibitam, et usuram esse illud omne quod in mutuo ultra sortem exigitur vi mutui; 2°. lucrum illud illicitum et injustum esse, sive mutuatarius sit pauper, sive sit dives, sive ex re mutuata

nullum percipiat emolumentum, sive eam sit in negotio utilissime impensurus; 3°. longe probabiliorem videri opinionem theologorum qui docent legem civilem non esse titulum vi cujus liceat aliquid ultra sortem exigere; 4°. decisiones huc usque a S. Pœnitentiaria datas non dirimere controversiam de titulo legis inter theologos agitatam, ac proinde huic quæstioni applicandas esse regulas a probatis auctoribus traditas de usu opinionum moralium.

Ideo sacerdos ille fatetur quidem non posse inquietari confessarium qui, præmisso diligenti examine, existimat legem civilem mutuanti sufficientem præbere titulum, et hanc opinionem sequitur in praxi; pariter non esse inquietandum confessarium qui adhærens doctrinæ probabilistarum, opinionem titulo legis faventem vere probabilem reputat, et ratione hujusce probabilitatis lucrum lege civili determinatum in mutuo exigere permittit; demum cogendum non esse ad propriam opinionem deserendam pœnitentem qui postquam ex auctoritate vel ratione conscientiam moraliter certam sibi efformaverit, moderatum lucrum a mutuatario percipit vi legis, ac proinde illi absolutionem non esse negandam. Verum cum ipse probabilistarum placitis nullatenus acquiescere possit, quoties interrogatur, incunctanter respondet aliis quidem aliter videri, se autem omnino illicitum et injustum reputare quidquid in mutuo ultra sortem vi legis civilis percipitur : aliunde si rem habeat cum pœnitente qui in bona fide supponi nequit, aut cum homine ita simplici et indocto ut neque ex auctoritate, neque ex ratione conscientiam moraliter certam sibi efformare possit, vetat omnino ne quoddam lucrum a mutuatariis exigat, et si jam percepisset, illi restitutionis onus imponit nisi alia sit excusationis ratio.

Humillime et instanter postulat orator infra scriptus, utrum prædicti sacerdotis agendi ratio sit improbanda?

Resp. — *S. Pœnitentiaria, expositis mature perpensis, confessario oratori respondet : Quod ipse se gerat omnino juxta decreta alias edita in hac materia a S. Pœnitentiaria et a S. Inquisitione.*— Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 3 junii 1841.— C. Card. Castracane, M. P.

FINIS TOMI TERTII ET ULTIMI.

INDEX ANALYTICUS

TOMI TERTII.

PARS II. DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAP. VIII. DE CONTRACTU DEPOSITI.

Numeris. Pag.

901. Quid sit depositum, et quotuplex..... 1

Art. 1. *De deposito proprie dicto.*

902. Affertur definitio : 1°. est *contractus ;* et qualis.... 2
903. 2°. Objectum est res mobilis ; 3°. finis, custodia rei. 3
905. 4°. Requiritur utriusque contrahentis consensus... 4
906. 5°. Reddenda res in individuo : quid de pecunia?. 5

§. 1. *De deposito voluntario.*

908. I. *Inter quas personas* locum habere possit : 1°. A domino rei ; 2°. inter personas habiles..... 7
909. II. De *obligationibus depositarii.* 1°. Quoad *custodiam* rei..... 8
910. 2°. Quoad *restitutionem* rei. 1. De re restituenda : quid, si res non exstet?..... 9
911. 2. Cui facienda restitutio?..... 10
912. 3. De loco restitutionis ; 4. de tempore..... 11
914. III. De *obligationibus deponentis*..... 12

§. 2. *De deposito necessario.*

915. Locum habet I. in casu incendii, naufragii, etc.. 12
II. Vel apud caupones (*les aubergistes, hôteliers*) : quid leges statuant..... 13

Art. 2. *De sequestro.*

916. Quid sit : est vel conventionale, vel judiciarium ; quid de utroque?..... 14

CAP. IX. DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

Num. Pag.
918. Quid eo nomine intelligatur?..... 17
919. Quænam præcipuæ species : de sex dicemus..... 18

ART. 1. *De ludo.*

921. Ludus generatim est licitus, sed a ratione moderandus..... 19
922. Hic spectatur quatenus fit inter plures, et est contractus..... 20
923. Est vel industrialis, vel casualis, vel mixtus..... 21

§. 1. *An et quatenus liciti sint ludi cum pacto lucri pro victore.*

924. I°. Ex *jure naturali.* Ludus, etiam omnino aleatorius, non est per se illicitus; est tamen sæpe valde periculosus..... 22
925. II°. Ex *jure positivo.* I. Dispositiones erga quascumque personas : 1°. juris *Romani*..... 24
2°. Juris *Gallici veteris;* 3°. et *novi*..... 25
926. II. Speciatim quoad clericos..... 26

§. 2. *De conditionibus in ludo requisitis.*

927. I°. Ad JUSTITIAM ludi. I^a conditio, ut ludentes *possint disponere* de iis quæ exponunt..... 27
Quid de ludo cum minore, uxore, etc.?..... 28
928. II^a conditio, liber ludentium *consensus*..... 29
929. III^a, ut observentur ludi *leges*..... 31
930. IV^a, *æqualitas* inter ludentes..... 32
931. Quid, si ludant duo sibi invicem ignoti?..... 33
932. II°. Ad HONESTATEM ludi. 1°. *Finis* honestus : quid de intentione lucri?..... 34
933. 2°. *Summa* modica. Quid, si ludantur *preces sacræ?*..... 36
934. 3°. Non nimium *tempus.* 4°. Habenda ratio *personarum*..... 37
936. 5°. Item *circumstantiarum*..... 38

§. 3. *Qualis obligatio exsurgat ex ludo.*

Num. Pag.
937. Agitur de ludo prohibito : videndum quænam dispositio legis..... 38
938. 1°. Ex jure *Romano ;* 2°. ex jure *Gallico veteri*... 41
939. 3°. Ex jure *novo*..... 42

Art. 2. *De sponsione.*

940. Est contractus : qualis?..... 44
941. I. Est in se licitus; ex jure civili non datur actio. 46
942. II. Tres requirit conditiones : quatenus eventus debeat esse utrique incertus..... 47
944. Quid, si aliquis spondeat seorsim cum quatuor concurrentibus pro aliquo officio?..... 48
945. Fieri non debet nisi de re licita..... 49
946. De quibusdam prohibetur sponsio per leges speciales, ecclesiasticas aut civiles..... *ibid.*

Art. 3. *De lucro per sortem seu loteria.*

947. Loteria seu contractus sortium diversis modis instituti potest..... 50
948. Quadruplex genus : series legum apud nos..... 51
949. Loteriæ non sunt in se illicitæ, ut voluerunt quidam; 53
950. Modo tamen serventur debitæ conditiones : tres sunt præcipuæ..... 54

Art. 4. *De contractu assecurationis.*

951. Hujus contractus *origo :* indicantur auctores..... 56
952. Hujus *definitio :* est contractus sui generis..... 58
953. Quidam improbarunt : communiter habetur ut licitus..... 59
954. Breviter *conditiones* assignant theologi..... 60
955. Ratio habenda est dispositionum legalium : an omnibus assecurationibus applicari debeant apud nos leges circa assecurationes maritimas..... 61

§. 1. *De rebus quæ assecurationis objectum esse possunt.*

Num. Pag.

957. Generatim assecurari possunt quæcumque sunt materia commercii..... 62
958. I°. Quatenus res debeat *exístere*. 1°. Quid, si jam perierit, vel sit in tuto posita?..... 63
959. 2°. Potestne assecurari lucrum speratum?..... 66
960. II°. Quatenus res debeat esse *pretio æstimabilis*.. *ibid.*
961. De assecuratione *vitæ :* quo sensu sumenda; quid statuant leges..... 67
962. De variis conventionibus quæ hoc nomine aut æquivalenti designantur..... 69
963. III°. Quatenus res debeat esse *in commercio*. Quid de mercibus prohibitis (*de contrebande*)?..... 71
964. Reprobantur variæ assecurationes quæ essent incitamentum ad crimen..... 73
965. IV°. Quatenus res debeat *ad assecuratum spectare*. 74
966. An creditor possit assecurare rem sui debitoris... 75
967. De contractu qui dicitur *Réassurance*..... 76
968. V°. Quatenus res debeat esse *determinata :* 1°. quoad *rem* ipsam..... 77
969. 2°. Quoad *periculum* contra quod assecuratur.... 79
970. 3°. Quoad *valorem :* an sub eo respectu per præviam determinationem ligetur assecurator... *ibid.*

§. 2. *De iis inter quos iniri potest contractus assecurationis.*

971. An assecuratio sit actus commercialis, an mere civilis..... 81
972. I°. De iis qui possunt *assecurare*. 1°. De privatis. 83
973. 2°. De societatibus assecurationum..... *ibid.*
974. II°. De iis qui possunt *assecurari :* de minoribus, uxoribus, clericis, etc..... 84

§. 3. *De forma contractus assecurationis.*

975. In assecuratione maritima generatim requiritur scriptum. I°. An debeat ab utroque contrahente subscribi..... 86

Num. Pag.
976. II°. An semper excludatur probatio per testes.... 87
977. III°. An scriptum requiratur *solemnitatis*, an tantum *probationis* causa..... 88
978. Quid de assecurationibus terrestribus?..... *ibid.*
979. De formulis, vulgo *Polices d'assurance*..... *ibid.*

§. 4. *De obligationibus assecurati.*

980. I°. *Quando initur conventio.* Requiritur declaratio accurata..... 89
I. Quoad rei assecuratæ *valorem*..... 90
981. An assecuratus possit rationem habere affectus peculiaris quo rem prosequitur?..... 91
982. II. Quoad rei assecuratæ *pericula*..... 92
983. Si plures sint assecurationes de eodem objecto, quatenus declarari debeant..... 93
984. II°. *Durante conventione.* I. Debet *solvere pretium* (*la prime*). 1°. Quale sit ordinarie..... 94
985. 2°. Quænam requiratur proportio inter pretium et pericula? Quid, si assecurator noverit minus esse periculum ac vulgo existimatur?..... 95
986. 3°. Quandonam solvendum pretium..... 96
987. 4°. Debetur statim ac locum habuit periculum vel unico momento..... 97
988. 5°. Quid, si pretium promissum fuerit conditionate tantum?..... 99
989. 6°. Quid, si solvendum sit successive?..... *ibid.*
990. II. Debet *declarare mutationes* in re assecurata... 100
991. III. Debet *invigilare conservationi* rei assecuratæ. *ibid.*
992. III°. *Casu sinistro obveniente.* 1°. Debet hunc *cohibere aut imminuere*, si possit..... 101
2°. Statim hunc *denuntiare* assecuratori..... *ibid.*

§. 5. *De obligationibus assecuratoris.*

993. I°. *Quandonam excusetur* ab indemni faciendo assecurato? 1°. Si damnum oriatur ex facto ipsius assecurati..... 102

Num. Pag.

Quid, si ex culpa filiorum, famulorum, etc.?... 103
994. 2°. Si ex vitio proprio rei..... 104
995. II°. *Quamnam indemnitatem* debeat casu sinistro obveniente? 1°. Si res secundum integrum valorem fuerat assecurata, et tota pereat..... 105
996. 2°. Si non fuerat assecurata secundum integrum valorem, et tota pereat..... *ibid.*
Quid, si una pars tantum pereat?..... 106
997. Quomodo in variis casibus determinandus valor rei?..... 107
998. 3°. Quando res patitur solummodo detrimentum: 1. De facultate abdicationis (*du délaissement*). 109
999. 2. De facultate quæ dicitur *d'Action d'avarie*.... 110
1000. III°. *Quomodo* possit assecurator satisfacere suæ obligationi..... *ibid.*
1°. Potest objecta quæ supersunt sibi retinere, valorem integrum solvendo..... 112
1002. 2°. An possit non solvere, sed rem assecuratam restituere?..... *ibid.*
1003. 3°. An possint creditores assecurati se opponere solutioni indemnitatis?..... 113
1004. IV°. De *effectibus solutionis*. 1°. *Liberatur* assecurator erga assecuratum..... 114
1005. 2°. *Subrogatur* in ejus jura..... 115
An hæc subrogatio extendatur ad omnia jura?... 116

§. 6. *De dissolutione contractus assecurationis.*

1006. Dissolutio fit per viam vel *nullitatis*, vel *resolutionis*..... 117
1007. I. De dissolutione ob inexsecutionem conditionum. 118
1008. II. Si alteruter e contrahentibus fiat debitis impar (*en faillite*)..... *ibid.*
1009. III. Si rei dominium ab assecurato ad alterum transeat..... 119
1010. IV. Si res assecurata pereat..... 120
1011. V. Quando elapsum est tempus præfixum..... 121

ART. 5. *De nautico fœnore (contrat à la grosse).*

Num. Pag.

1012. Notio hujus contractus : quatenus affinis sit assecurationi, et qualis speciei sit contractus..... 122
1013. Vulgo licitus agnoscitur..... 124

ART. 6. *De transactione.*

1014. Quid sit, et cur a nobis reponatur inter contractus aleatorios..... 124
1015. I. *Quinam* transigere possint. De minoribus, uxoribus, mandatario..... 125
1016. II. *De quibusnam* objectis transigi possit. 1°. Requiritur res *dubia*..... 126
2°. Quæ sit *in commercio ;* 3°. quæ subjiciatur *dispositioni* transigentis..... 127
4°. Quæ *non* spectet ad *ordinem publicum*..... 128
1017. III. *De vi et effectibus* transactionis..... *ibid.*
1018. IV. Quibus modis *solvatur* transactio..... 129

CAP. X. DE COMMODATO ET MUTUO.

1019. In quo conveniant hi duo contractus; in quo ab invicem differant..... 130

ART. 1. *De commodato.*

1020. Affertur et explicatur definitio..... 131
1021. Qualis contractus sit commodatum..... 132

§. 1. *De obligationibus commodatarii.*

1022. I. Quoad *custodiam rei.* Tenetur ad curam diligentis patrisfamilias..... 133
Non tenetur regulariter de casibus fortuitis..... *ibid.*
1023. II. Quoad *restitutionem rei.* Debet rem restituere tempore præfixo, et in bono statu..... 136

§. 2. *De obligationibus commodantis.*

1024. 1°. Debet aperire *vitia rei ;* 2°. non repetere ante *tempus conventum*..... 137

Num. Pag.

3°. Compensare *impensas* extraordinarias et necessarias ad rei conservationem..... 138

Appendix. *De precario.*

1025. Quid sit, et quomodo differat a commodato..... 139

Art. 2. *De mutuo.*

1026. Mutui natura generatim exposita; definitio..... 140
1027. I°. De *objecto mutui.* Est res primo usu consumptibilis; quo sensu..... 142
1028. II°. *Quomodo perficiatur contractus* mutui. 1°. Quoad *consensum;* quatenus consensus utriusque contrahentis debeat ferri in eumdem contractum..... 144
1029. 2°. Quoad *traditionem* rei : per hanc solam perficitur contractus..... 145
1030. III°. De *translatione dominii* in mutuo..... 146
1031. IV°. De *obligationibus mutuatarii.* I. Debet restituere..... 148
1032. II. Rem similem, in eadem quantitate et bonitate. 149
An habenda ratio valoris intrinseci, an extrinseci, si agatur de pecunia, si de aliis mercibus? 150
1°. Quid, si mutuatarius non possit restituere rem similem? Restituitur valor..... 151
Quid vero, si res diversum valorem habuerit?.. 152
1033. 2°. Si inita conventio, huic standum. Quænam conventiones juste iniri possint?..... *ibid.*
1. Si nihil speciatim prævideatur..... 153
2. Si prævideatur minuendum fore valorem seu pretium..... 154
3. Si prævideatur augendum fore..... 155
1034. III. Post aliquod temporis spatium..... 157
1035. V°. De *obligationibus mutuantis.* Cur de iis loquendum, etsi contractus sit unilateralis..... *ibid.*
Debet 1°. aperire *vitia rei;* 2°. non repetere ante *tempus*..... 158

Num. Pag.
1036. 3°. Nil repetere *ultra sortem*..... 159
1037. 4°. Utrum et quatenus mutuum sit *de præcepto*. Principium generale indicatur..... *ibid.*
Quousque extendatur obligatio præcepti..... 160
1038. VI°. De *iis qui mutuo* dare vel accipere *possunt*.. 161
I. De capacitate *mutuantis*. 1°. Requiritur dominium rei mutuatæ..... 162
2°. Et capacitas alienandi..... 163
1039. II. De capacitate *mutuatarii*..... 164
1040. VII°. *Qualis contractus* sit mutuum : an dici possit essentialiter gratuitus..... *ibid.*

CAP. XI. DE CONTRACTU CENSUALI.

1041. An census referatur ad mutuum, an ad venditionem..... 165
Hujus natura et definitio..... 167
1042. Hujus origo..... 169
1043. Variæ illius species..... 170

ART. 1. *De censu reservativo.*

1044. Tales census olim apud nos receptissimi : quid statutum in jure novo..... 172
1045. I. An hodie omnes census sint consignativi..... 174
1046. II. An mutatio inducta attingat census reservativos olim existentes..... 175

ART. 2. *De censu consignativo.*

§. 1. *An licitus sit census consignativus.*

1048. Olim non pauci illicitum putaverunt..... 176
Quid ea de re statuerint SS. Pontifices?..... 177
1049. I°. De censu *reali*. Nulla videtur difficultas, si sit *fructuarius*..... 178
2°. Item, si sit *pecuniarius*..... 179
1050. II°. De censu *personali perpetuo*. Constitutio S. Pii V, ann. 1569..... 180

Num. Pag.

Alii reprobant; alii, præsertim recentiores, justum reputant. 181
Probatur ex auctoritate et ratione. 182
1051. III°. De censu *temporaneo*. Eodem modo ratiocinandum videtur ac de perpetuo. 183
Cavendum tamen ne sit mutuum simulatum. . . . 184

§. 2. *De conditionibus census consignativi.*

1052. Plurimas conditiones exigit S. Pius V. 185

Punct. 1. De pretio census consignativi.

1053. Pretium illud apud nos determinatur per legem. . 186
1054. 1°. Taxatio facta fuit in gratiam solius censuarii. 187
1055. 2°. Non extenditur ad stipulationes antea factas. . *ibid.*
1056. 3°. Census solvitur integer (*sans retenue*). 188
1057. 4°. Taxatio respicit solam creationem census. . . . 189
Licet igitur censum emere pretio currenti. 190
1058. An huic principio restrictiones sint apponendæ?. 191
1059. 5°. Si in emptione commissa injustitia, quomodo reparari debeat?. 193

Punct. 2. De redimibilitate census consignativi.

1060. I. Ex parte *venditoris*. Census hodie est essentialiter redimibilis. 194
1061. Quomodo fieri possit et debeat illa redemptio. . . 195
1062. An debitor possit redimere infra pretium quo census fuit constitutus?. 196
1063. Redemptio census non potest fieri per partes. Quid, si plures hæredes?. 197
1064. Quatenus redemptio fieri possit per viam compensationis?. 198
1065. Nonnulla de redimibilitate censuum publicorum. *ibid.*
1066. II. Ex parte *emptoris*. Census est redimibilis in triplici casu. 200
1067. Quid de censu constituto titulo gratuito?. 202
Quid de censibus constitutis ante codicem Civilem? 203

Num. Pag.

Extra hos casus, census non est redimibilis ex jure civili..... 204

1068. Quid de censu utrinque redimibili in foro conscientiæ? *Remissive*..... *ibid.*

ART. 3. *De censu vitalitio.*

1069. Ejus definitio et notio generalis..... 204

§. 1. *De natura et conditionibus census vitalitii.*

1070. I. Si constituatur *titulo gratuito*, 1°. servandæ *formæ* donationum..... 208

2°. *Non* potest constitui in gratiam *personæ incapacis* accipiendi..... 209

1071. II. De censu vitalitio qui acquiritur *numerata pecunia*..... *ibid.*

1072. Hujus pretium non determinatur per legem..... 210

Nil commune habet cum mutuo usurario; est certo licitus..... 211

1073. III. De censu vitalitio qui acquiritur *per cessionem boni*: tunc census habendus videtur ut pretium rei venditæ..... 212

1074. In omni casu, requiritur ut vivat persona super cujus vita census constituitur..... 213

Quid, si jam morbo laboret?..... 214

1075. *Qualis contractus* sit census vitalitius..... 215

§. 2. *De effectibus census vitalitii inter contrahentes.*

1076. I. Quoad *alienationem summæ* capitalis persolutæ ab emptore census..... 215

Revocari potest, si conditiones non impleantur.. 216

1077. II. Quoad *pensiones* a censualista percipiendas: jus est irrevocabile..... 217

Jus acquiritur de die in diem..... 218

1078. Quatenus pensiones illæ sint pignus creditorum censualistæ..... *ibid.*

1079. III. Quoad *durationem* census vitalitii. 1°. Exstinguitur per *mortem* naturalem..... 219

Num. Pag.
1080. 2°. Exstingui potest per *præscriptionem*..... 220

CAP. XII. DE CAMBIO.

1081. Intelligitur permutatio pecuniæ : hinc affinis cum mutuo, et locum dat multis quæstionibus : ejus definitio..... 221
1082. Cambium dicitur reale, vel fictum seu siccum... 222
Est vel minutum seu manuale, vel locale, vel temporaneum..... 223

ART. 1. *De cambio manuali* seu *minuto.*

1083. Est licitum, modo serventur debitæ conditiones. 225
1084. I. An possit lucrum percipi ab eo qui non exercet artem cambiendi?..... 227
1085. II. An etiam in ordine ad emptiones, etc., possit quædam species pecuniæ æstimari supra taxationem legalem?..... 228
1086. III. An ille qui exercet cambium cum pecunia aliena possit lucrum retinere?..... 229
1087. IV. An liceat cambire monetam infra valorem legalem, ob metum imminutionis?..... 230

ART. 2. *De cambio locali* seu *per litteras.*

1088. Quid sit; quibus nominibus designentur qui ad illud concurrunt..... 231
1089. Ex eo oriuntur variæ inter diversas personas obligationes..... 232
1090. Contractus cambii confundi non debet cum litteris cambii..... 233
1091. Litteræ cambii subjiciuntur formis specialibus... 234
1092. Hinc distingui potest cambium solemne, et non solemne..... 236
1093. Difficultas est speciatim quoad pretium : undenam oriatur ejus variatio..... 237
1094. I°. *Licitum* est cambium locale, modo serventur debitæ conditiones..... 239

Num. Pag.
1095. 1°. Quamvis in casu peculiari utilius sit campsori pecuniam hic recipere..... 240
1096. 2°. Licitum esse potest lucrum ex parte accipientis litteras..... *ibid.*
1097. 3°. Potest percipi etiam ab eo qui munus publicum campsoris non exercet..... 241
1098. 4°. Nimium lucrum injustum erit, non usurarium..... *ibid.*
1099. II°. *Conditiones* sunt 1°. *bona fides :* removendæ fraus et simulatio..... 242
1100. 2°. *Justum pretium.* An mutari possit ob dilationem solutionis?..... 243
Quid, si ipsi campsori concedatur terminus? Videtur usurarium..... *ibid.*
1101. 3°. Alias conditiones requirit S. Pius V..... 245
1102. I. De *obligationibus trassantis*..... *ibid.*
1103. II. De *indossatione.* Est regularis, vel irregularis..... 246
1104. III. De *juribus et obligationibus latoris.* 1°. Quoad *acceptationem*..... 248
1105. 2°. Quoad *solutionem;* de protestatione..... 249
1106. 3°. Quoad *provisionem :* quodnam jus in eam lator habeat, speciatim in casu decoctionis?..... 251
1107. IV. De *obligationibus trassati :* quoad acceptationem..... 253
Per acceptationem constituitur debitor..... 254
1108. V. De *recambio.* Est licitum; quædam tamen observanda..... *ibid.*
Quomodo determinetur recambii pretium..... 255

ART. 3. *De cambio temporaneo* seu *ad terminum.*

1109. Quid sit et quotuplex? I. De cambio *Lugdunensi*..... 257
1110. II. De cambio *Francofordiensi*..... 258
III. De cambio *Bisuntino* seu *Placentino*..... 259

CAP. XIII. DE USURA.

Num. Pag.
1111. Doctrina communis ex Benedicto XIV..... 260
1112. Error Græcorum in hac parte; qualis sit?..... 261
1113. Quænam doctrina Protestantium?..... 262
1114. Ad eos accesserunt quidam catholici; quos alii impugnarunt..... 265
1115. Encyclica Benedicti XIV, an. 1745 : hujus occasio 267
1116. Non ideo clausa fuit controversia : indicantur auctores in utramque partem..... 275
1117. Legislatio hactenus consentanea doctrinæ scholarum, jam apud nos fuit immutata..... 278
Hinc exorta dubia; hinc variæ consultationes; disceptationes novæ..... 282
1118. Ab an. 1822 et præsertim 1830 novæ Romanarum Congregationum responsiones..... 287
1119. Ad triplicem classem reduci possunt variæ opiniones..... 292

ART. 1. *Quid et quotuplex sit usura.*

1120. I°. *Definitio* usuræ. I. Quoad *nomen*..... 293
1121. II. Quoad *rem*. Affertur et explicatur definitio communis..... 294
1122. II°. *Quotuplex* distinguatur usura? Variæ divisiones ab auctoribus allatæ..... 296
Varia nomina ratione quantitatis; est vel realis, vel mentalis..... 298

ART. 2. *Utrum et quo jure prohibeatur usura.*

1123. Hic loquimur speciatim de auctario percepto ex mutuo consumptionis..... 299

§. 1. *De prohibitione usuræ ex jure divino.*

1124. Adstruitur communis theologorum assertio..... 299
1125. I°. Ex *decisione Benedicti XIV*. Hujus decisionis auctoritas..... 300

Num. Pag.
1126. Reprobat usuram sensu nostro intellectam, tanquam injustam..... 303
1127. *Solv. obj.* Ex quodam Benedicti XIV edicto.... 305
1128. II°. Ex *Scriptura Sacra.* I. Ex *Veteri Testamento*..... 306
Usura 1°. sensu theologorum intellecta, 2°. prohibetur erga omnes judæos..... 308
3°. Ut injusta; 4°. nec abrogata fuit lex illa.... 310
1129. *Obj.* Ex permissione usuræ erga alienos..... 313
Triplex affertur interpretatio..... 314
1130. II. Ex *Novo Testamento.* Ex textu S. Lucæ 1°. in se spectato..... 316
2°. Secundum interpretationem Ecclesiæ..... 319
1131. *Solv. obj.* Ex parabola de talentis..... 320
1132. III°. Ex *Conciliis :* reprobatur omnis usura, ut lege divina prohibita, ut injusta..... 322
1133. *Solv. obj.* Ex conciliis 1°. quæ non respiciunt nisi clericos..... 324
2°. Quæ non præcipiunt restitutionem usurarum; 3°. non reclamarunt adversus leges civiles.... 326
De concilio Florentino et Tridentino..... *ibid.*
1134. IV°. Ex *SS. Patribus.* I. Per usuram idem ac nos intellexerunt..... 327
1135. II. Usuram reprobarunt ut injustam..... 329
1136. III. Quoad omnes, etiam divites: 1°. Ex generalitate verborum..... 330
1137. 2°. Ex rationibus quibus nituntur SS. Patres... 334
1138. 3°. Ex auditorum querelis..... 335
1139. 4°. Ex peculiaribus testimoniis..... 336
1140. Expenduntur quædam facta aut testimonia ab adversariis allegata..... 337
1141. V°. Ex *SS. Pontificibus*..... 341
1142. VI°. Ex *Theologis*..... 347

§. 2. *De prohibitione usuræ ex jure naturali.*

1143. I. Etsi usura non esset juri naturali essentialiter

Num. Pag.

opposita, Deus potuisset eam absolute prohibere 350
1144. II. De jure naturali agere possumus, et agere expedit ex auctoritate 352
1145. I°. Expenditur quæstio *ex auctoritate* 354
1146. II°. *Ex ratione.* Afferuntur theologorum principia. I. In mutuo transfertur dominium 355
1147. II. In rebus primo usu consumptibilibus usus non potest separari a dominio 357
1148. III. Pecunia habenda est ut aliquid sterile 358
1149. His positis, probant theologi nullum esse in mutuo titulum vi cujus amplius percipiatur quam datum est : non ex parte rei, aut mutuantis .. 359
Nec ex parte mutuatarii 360
1150. Confirmatur argumentatio *exemplo furis* 363
1151. Huic argumentationi plura opponunt nonnulli. 1°. Ex ipsa mutui natura 364
1152. 2°. Ex comparatione mutui cum commodato, locatione, etc 365
1153. 3°. Ex comparatione cum censu 368
1154. Respondetur ad I^um argumentum 370
1155. Ad II^um 371
1156. Ad III^um 374
1157. Corollarium. An et quatenus liceat mutuum petere sub usura? 376
Quænam causa haberi debeat ut sufficiens 378

Art. 3. *Quousque extendatur prohibitio usuræ.*

1158. Quinque hic potissimum habemus expendenda .. 380

§. 1. *De usura mentali.*

1159. De natura usuræ mentalis disputant theologi 380
I. Non sufficit intentio, etiam præcipua, percipiendi lucrum : II. nec requiritur 381
III. Requiritur et sufficit ut lucrum percipiatur tanquam debitum vi mutui 382

Num. Pag.

1160. Hinc usura mentalis potest existere 1°. ex parte utriusque; 2°. ex parte mutuatarii tantum; 3°. ex parte mutuantis tantum 382

§. 2. *De variis pactis quæ mutuo aliquando adjiciuntur.*

1161. I. Si mutuatarius se obliget ad *aliquid ad quod jam tenebatur* 383
1162. II. Si in pactum deducatur *amor* seu *benevolentia.* 384
1163. III. Si mutuans paciscatur cum mutuatario ut *officinam frequentet*, vel *remutuet* ..... *ibid.*
A multis theologis dissentit in hac parte Leotardus, et satis merito 386
1164. IV. Si mutuatario imponatur onus pecuniam *recuperandi a debitore difficili* 387
1165. V. Si apponatur conditio ut mutuum *ante certum tempus* reddi non possit 388
1166. VI. Si lucrum deducatur in pactum tamquam *debitum ex gratitudine* ..... *ibid.*

§. 3. *De titulis aliquid exigendi in mutuo supra sortem.*

1167. I. Magna utendum prudentia. Monitum Benedicti XIV 389
1168. II. Cavendum ne vana et inanis reddatur lex divina circa usuram 390
Hinc tituli debent esse extrinseci et pretio æstimabiles 391
Hinc quidam rejici possunt absque ulteriori discussione ..... *ibid.*

Punct. 1. De damno emergente.

1169. Quid sit : certum est esse titulum justum 392
1170. Conditiones sunt 1°. ut mutuum sit *vera causa* damni 393
1171. 2°. Ut servetur *æqualitas* inter damnum et compensationem ..... *ibid.*
1172. 3°. Ut *mutuatarius moneatur* de damno compensando 394
Sed requirirturne ut moneatur de titulo? 395

PUNCT. 2. De lucro cessante.

Num. Pag.

1173. Quid sit : constat etiam esse titulum legitimum.. 396
1174. Conditiones sunt 1°. ut lucrum sit *certum*, vel saltem *probabile*..... 397
1175. 2°. Ut mutuum sit *vera causa* cur lucrum cesset. *ibid.*
3°. Ut *moneatur* mutuatarius..... 398
1176. 4°. Ut adsit *æqualitas* inter lucrum et compensationem..... *ibid.*
1177. 5°. Ut compensatio *statim non exigatur*..... 399
1178. 6°. Ut mutuatarius *non* versetur *in necessitate*... *ibid.*

PUNCT. 3. De destinatione lucrativa.

1179. Quid intelligatur hoc nomine, a recentioribus theologis inducto?..... 399
1180. Si mutuans renuntiet occasioni fructiferæ, non intuitu mutuatarii, alii affirmant, alii negant posse auctarium percipi..... 401
1181. Probabilior videtur opinio negans : quatenus intersit in praxi?..... 403

PUNCT. 4. De periculo sortis.

1182. I. Non agitur de *periculo damni*, aut lucri cessantis : vix ulla de eo difficultas..... 405
1183. II. Item nec de *periculo juris*..... *ibid.*
Affertur et explicatur CAP. *Naviganti*, Gregorii IX. 406
1184. III. Item nec de *periculo facti ordinario* et communi..... 409
1185. Quoad periculum *extraordinarium*, multi docent esse titulum legitimum..... 410
1186. Non pauci tamen negant : eorum argumenta discutiuntur..... 414
1187. Prior opinio anteponenda : sed 1°. quædam requiruntur conditiones..... 419
2°. Non ita frequenter eo titulo excusantur mutuantes..... 420

PUNCT. 5. De donatione gratuita.

Num. Pag.

1188. Est certe titulus legitimus : sed quædam requiruntur conditiones ; quomodo dignosci possit an revera adsint ?..... 420

1189. I. Quid, si donatio fiat ne mutuans deneget altera vice mutuum ?..... 421

1190. II. An mutuanti liceat aliquid gratis a mutuatario donandum sperare ?..... 422

1191. III. De condonatione usurarum quæ sunt jam perceptæ..... 423

PUNCT. 6. De obligatione non repetendi sortem ante certum tempus.

1192. Hæc obligatio per se non est titulus : quid vero, si agatur de longo tempore ?..... 424

PUNCT. 7. De solutionis dilatione vel anticipatione.

1193. Solutionis dilatio est mutuum implicitum..... 427

1194. I. Si adsit quidam ex *titulis expositis*, applicanda sunt quæ diximus..... *ibid.*

1195. II. Si auctarium haberi possit ut *pars pretii*, non est usura..... *ibid.*

1196. III. Si vendatur *res frugifera*, triplex hypothesis.

1°. Si conventum sit de tempore solutionis et de auctario interim solvendo, nihil illicitum.. 428

2°. Si concessa dilatio sine mentione auctarii, dubium an debeatur..... *ibid.*

1197. 3°. Si post initum contractum concedatur dilatio, quidam negant percipi posse auctarium..... 429

Sed alii probabilius affirmant..... 430

1198. Idem dicendum, si emptor solvat pretium ante traditionem rei, vel quando fit quod vocatur *Retour de partage*..... 431

1199. IV. De mercatoribus qui carius vendunt, ut dicitur, *à crédit*..... 432

Plura in praxi ea de re observanda..... 433

1200. V. De anticipata solutione (*escompte*)..... 435

1201. VI. De *sententia judicis* auctarium imponente ob dilationem..... 436

Num. Pag.
1202. VII. De casu *dilationis coactæ* ..... *ibid.*

Punct. 8. De pœna conventionali.

1203. Quid sit : est titulus legitimus, servatis debitis conditionibus 436
1204. Quandonam solvenda sit pœna ? 438
1205. Quid ergo sentiendum de *pacto legis commissoriæ?* 439

§. 4. *De variis contractibus in quibus percipitur auctarium supra sortem.*

1206. Plurimi interest dignoscere quid de variis illis contractibus sentiendum : de septem dicemus. 439

Punct. 1. De contractu mohatra.

1207. Quid sit : quam evidenter usurarius 440

Punct. 2. De contractu trino.

1208. Quid sit ille contractus : an hujus inventor sit Navarrus? 441
Refertur Constitutio Sixti V, ann. 1586 442
1209. I°. De tribus contractibus *cum diversis personis :* possunt esse liciti 444
1210. II°. De tribus contractibus *cum eadem persona.* I. Si *simul* ineantur, quidam tenent esse licitos 445
1211. Alii eos reprobant, attentis principiis circa mutuum, et circa societatem 447
1212. 1°. Secunda opinio probabilior 450
1213. 2°. Nihil tamen ea de re definivit Ecclesia ..... *ibid.*
1214. 3°. Quid ea de re lex nostra civilis? 452
1215. 4°. Quid, si ineantur duo tantum contractus? Videntur liciti 453
1216. II. Si *successive* ineantur tres contractus, videntur liciti 454
1217. Ad quid hodie inservire possit discussio de contractu trino? 455

PUNCT. 3. De censu utrinque redimibili.

Num. Pag.
1218. Quidam existimant esse licitum..... 456
1219. Alii pro illicito habent..... 459
1220. Secunda opinio videtur probabilior, sed non definita..... 462
1221. 1°. Si prior admittatur, plura sunt attendenda.. 463
1222. 2°. Ut census sit irredimibilis, sufficit ut emptor jus non habeat exigendi sortem a venditore :. 464
Licet quidam tertius censum emere teneatur;... *ibid.*
Vel certum sit debitorem post certum tempus sese liberaturum..... *ibid.*
Imo licet debitor teneatur sese liberare, modo jus non competat censualistæ id exigendi.... 465

PUNCT. 4. De mutuo pignoratitio (*prêt sur gage*).

1223. Quid sit pignus generatim. I°. De *pacto legis commissoriæ* in pignore..... 466
Quid de eo statuant varia jura?..... 467
1224. II°. De pacto *antichresis*. Perceptio fructuum generatim haberi debet ut usuraria..... 469
1225. Explicandæ quædam SS. Pontificum decisiones.. *ibid.*
I. De *pignore feudali*. Assignatur fundamentum decisionum juris..... 470
1226. II. De *pignore beneficiali*. Explicatur decisio ALEXANDRI III..... 471
1227. III. De *pignore dotali*. Affertur ratio decisionum juris canonici..... 472
1228. 1°. Videndum an pignus datum sit antecedenter ad matrimonium, an consequenter..... 473
1229. 2°. Fructus a genero percipi possunt, 1. licet dotem relicturus fuisset otiosam..... 475
2. Item, a quocumque dos constituta fuerit.... *ibid.*
3. Non tamen, si ille qui constituit dotem ferat onera matrimonii;..... 476
4. Nec pariter, si gener pignus acceptum oppigneret alteri..... *ibid.*

Num. Pag.

5. Si maritus mortuus sit, fructus pignoris percipiet uxor 476
6. Quid, si pignus datum sit viduæ post matrimonii dissolutionem? 477
1230. 3°. De *dote mercatori commissa*. Explicatur decisio Innocentii III ..... *ibid.*

Punct. 5. De Montibus pietatis.

1231. Quid sint Montes pietatis. Eorum origo et propagatio 479
Quotuplicis generis distinguantur? 481
1232. I°. De *auctario quod percipiunt* Montes pietatis. Est licitum; 482
1233. 1°. Etiam quoad pignora quæ ut conserventur expensas non requirunt; ..... *ibid.*
2°. Et quidem proportionatum dilationi temporis. 483
3°. Non tamen ut augeatur Mons pietatis ..... *ibid.*
4°. Quid, si ad finem anni supersit lucrum? .... *ibid.*
1234. II°. De *auctario quod percipiunt qui pecuniam deponunt* apud Montes pietatis. I. Non excusantur *deponentes*, nisi habeant justum titulum 484
1235. II. Excusantur *ipsi Montes* ratione necessitatis .. 486
1236. III°. De *Lombardis*. Auctorum sententiæ ..... *ibid.*
An possint privata auctoritate erigi? ..... *ibid.*
1237. IV°. De *Montibus pietatis quales existunt in Galliis*. Variæ legum dispositiones 488
1238. I. De *mutuo dato a Montibus*. Quid leges statuant? 489
1239. I. De *mutuo quod Montes recipiunt*. Quid pariter statutum? 491

Punct. 6. De cessione creditorum.

1240. Tria sub eo nomine includimus 492

Quæst. 1. De cessione creditorum quibus annexum est auctarium.

1241. I°. Si acquirens contrahat *cum debitore*, nullus exinde titulus percipiendi lucrum 493

Num. Pag.
1242. II°. Si contrahat *cum creditore*, major difficultas; dissentiunt auctores 494
1243. I. Si auctarium debeatur ob *periculum sortis*, solvendum semper remanet a debitore..... 495
1244. II. Si ob *dotem non solutam*, vel ob *rem frugiferam* ante solutum pretium traditam, plura statuuntur ..... *ibid.*
1245. III. Si titulo *damni emergentis, etc.*, videndum an subsistat titulus..... 497
1246. IV. Si ex *pœna conventionali*, vel *sententia judicis*, videndum an debitor sit jam in mora... *ibid.*

Quæst. 2. De commercio chirographorum (*escompte des billets*).

1247. Quomodo fiat illud commercium : quidam illud habent pro vero mutuo..... 498
Quando fit a bancariis, videtur non esse merum mutuum..... 500

Quæst. 3. De negotiatione censuum publicorum (*opérations sur les fonds publics*).

1248. Quid eo nomine intelligatur : quatenus hæc spectent ad theologos?..... 501
1249. I°. De negotiatione censuum publicorum proprie dictorum (*rentes sur l'État*). Quoad simplicem emptionem nulla difficultas..... 503
1250. I. De negotiatione, ut dicitur, *au comptant*. Per se nil habet illicitum..... 504
1251. II. De negotiatione ad terminum (*marchés à terme*). Quomodo fiant hæ conventiones, et quotuplicis generis distinguantur?..... 505
Sunt frequentissimæ, et variis modis ineuntur... 507
1252. 1°. Si expendantur *ex principiis generalibus juris*. Non est injustitia ordinarie ex parte pretii... 512
1253. Sed possunt recidere in meram sponsionem.... 513
1254. 2°. *Ex dispositionibus legum*. Edicta an. 1724, 1785-87..... 514
Ab ann. 1791 ad ann. 1810..... 516

Num. Pag.
1255. Tribunalium *jurisprudentia* diversa pro diversis temporibus. 518
1256. Non eadem etiam *auctorum* doctrina. 522
Recentiores multum restringunt vim legum quæ allatæ sunt. 524
1257. Hinc videtur quæstionem in conscientia solvendam esse ex principiis generalibus juris. 529
1258. III. De conventionibus quæ dicuntur *Reports*. Quomodo, qua de causa, et in quibus circumstantiis ineantur?. 530
1259. In casibus ordinariis reducuntur ad mutuum sub pignore census. 535
1260. 1°. An iis applicanda sint quæ dicuntur de conventionibus ad terminum?. 536
1261. 2°. An in iis occurrat aliquid in foro conscientiæ usurarium aut injustum?. 538
1262. II°. De conventionibus circa *actiones variarum societatum*. Quid sint variæ illæ societates; speciatim *la Banque de France*. 540
Conventionum natura eadem ac circa census publicos. 542
1263. Sed aliquid peculiare occurrit in ipsis *actionibus*, quæ habendæ sunt ut *pars societatis*. 543
Quatenus ex iis lucrum legitime percipi possit?. . 544
1264. Hinc 1°. quid olim admissum fuerit de actionibus *societatis Indicæ?*. 545
1265. Hinc 2°. quid hodie de actionibus *de la Banque?* 546
1266. Hinc 3°. quid de actionibus variarum societatum, *Banques de prévoyance, Agences de placements, etc*. 548

PUNCT. 7. De mutuo quod dicunt negotiationis.

1267. Quidam hoc mutuum distinguunt a mutuo consumptionis. 550
1268. Ad solutionem hujus quæstionis recusari nequit auctoritas Ecclesiæ. . . . . *ibid.*

Num. Pag.
1269. Per prohibitionem usuræ attingitur ipsum mutuum negotiationis. I°. *Ex decisione Benedicti XIV.* 551
1°. Ex ipsa Encyclica..... 552
2°. Ex opere *de Synodo diœcesana*..... 553
3°. Ex Instructione ad P. Felicem..... 554
4°. Ex vanitate explicationum quas afferunt adversarii..... *ibid.*
1270. Multa *objiciuntur* 1. ex ipsa Encyclica..... 556
Respondetur 1°. generatim..... 557
Respondetur 2°. sigillatim ad singula..... 558
1271. Ad pleniorem solutionem, explicatur quatenus contractus mutuo affines haberi possint ut damnati, vel probati..... 561
1272. *Obj.* 2. Ex iis quæ subsecuta sunt Encyclicam. — Resp. *remissive*..... 562
1273. II°. Ex *antea dictis*. I. Ex *auctoritate*..... 563
1274. II. Ex *ratione*. Mutuum negotiationis non satis differt a mutuo consumptionis..... 565
1°. Non ex *destinatione pecuniæ* traditæ..... 566
2°. Non ex *obligatione imposita* negotiatori..... 567
3°. Non ex *voluntate implicita* ineundi contractum justum..... *ibid.*

§. 5. *Utrum prohibitio usuræ attingat auctarium lege civili permissum.*

1275. Sensus quæstionis : divisio..... 569

Punct. 1. De auctoritate legis civilis circa auctarium.

1276. Principem posse creare titulum extrinsecum ex quo auctarium percipiatur, affirmant non pauci..... 569
Probant 1°. ex *auctoritate principis*, cui nec deest *potestas*, nec *motivum*..... 571
2°. Ex *consensu gentis*..... 574
1277. Alii multi id negant..... 575
I. Ex *auctoritate*. 1°. SS. Patrum;..... 576
2°. Conciliorum; 3°. SS. Pontificum..... 577

Num. Pag.
1278. Ad quæ tamen plura reponunt auctores prioris opinionis..... 579
1279. 4°. Ex ipsorum principum confessione..... 580
1280. II. *Ex ratione.* 1°. Deest in principe *potestas*... 581
2°. Deest plerumque *voluntas*..... 584
1281. Secunda opinio probabilior videtur..... *ibid.*

PUNCT. 2. De dispositionibus legis civilis Gallicæ circa auctarium.

1282. Quidam negant adesse sufficientem voluntatem legislatoris nostri; sed, ut videtur, non satis merito..... 585
1283. Series legum quæ apud nos latæ sunt..... 587
1284. I°. *De* SENSU *taxationis legalis.* Non potest auctarium esse majus, sed potest esse minus : scripto determinari debet..... 590
1285. Quandonam censeatur *materia civilis*, quandonam *commercialis?*..... *ibid.*
1286. Quid, si mutuum simplex obtegatur sub velo *cambii?*..... 591
1287. II°. *De* EXTENSIONE *taxationis legalis.* I. An extendatur ad mutuum *rerum fungibilium a pecunia diversarum?*..... 592
1288. II. Applicatur *censibus* consignativis, non censui vitalitio..... 593
1289. III. Attingit usuras *palliatas;*..... *ibid.*
Sive 1°. *dissimuletur auctarium*, quod fit in quatuor præcipue casibus;..... 594
1290. Sive 2°. *dissimuletur titulus* auctarii : afferuntur octo exempla..... 595
1291. IV. Non attingit conventiones in quibus adest *titulus justus diversus* a titulis ordinariis auctarii..... 596
Sic 1°. quando miscetur *alea*..... *ibid.*
1292. Sic 2°. si mutuans in se suscipiat aliquod *onus extrinsecum*..... 597
1293. Sic 3°. quid in *conventionibus matrimonialibus?*. *ibid.*

Num. Pag.
1294. Sic 4°. majus dubium de variis cambii speciebus (*opérations de Banque*)..... 597
Principium generale exponitur..... 598
1. Quoad emptionem chirographorum (*escompte des billets*)..... *ibid.*
1295. 2. De promissione mutui (*crédit ouvert*)..... 601
1296. 3. De eo quod vocant *Compte courant*..... *ibid.*
1297. V. De auctario stipulato *ante legem* 3 *sept.* 1807. 603
1298. VI. De auctario stipulato *in regione extranea*... 604

Punct. 3. De auctoritate legis in quibusdam casibus specialibus.

1299. Etiam non admissa generatim auctoritate legis, quidam putant admitti posse in nonnullis casibus specialibus..... 604
1300. I°. *De* denariis minorum. I. An liceat lucrum ex denariis minorum..... 605
1301. II. Ad quid obligetur tutor?..... 607
1302. Quid, si nullam viam habeat lucrum obtinendi, præter mutuum usurarium?..... 608
1303. III. Si lucrum injuste perceptum fuerit, quis restituere teneatur?..... 611
1304. II°. De auctario quod solvit ærarium publicum. De ipso principio generali, an liceat tale auctarium, non concordant auctores..... 612
Satius est pro solutione attendere ad circumstantias casuum specialium..... 613
1305. I. De mutuo quod *accipit ærarium publicum*.... 614
1306. II. De auctario quod solvit quæstoribus generalibus (*aux receveurs généraux*)..... *ibid.*
1307. III. De summis depositis, vulgo *Cautionnements.* 615
1308. IV. De arcis nummariis (*Caisses d'épargne*).... 616

Art. 4. *De restitutione usurarum.*

1309. Ex dictis sequitur obligatio restituendi usuras... 619
Applicanda principia generalia: restitutio facienda his qui usuras solverunt..... 620
1310. Quænam habeamus expendenda..... 621

§. 1. *An et quatenus usurarius teneatur ad restitutionem.*

Num. Pag.

1311. I°. De *usurario* REALI. Tenetur restituere..... 621
Non obstat quod juxta quosdam acquirat dominium usurarum..... *ibid.*
1312. Quatenus teneatur restituere. I. Si fuerit *bonæ fidei :* non tenetur de *fructibus*, sed tenetur de ipsis usuris..... 623
1313. 1°. Saltem *quatenus factus est ditior*..... *ibid.*
Utrum et quatenus usuræ imputentur in sortem? *ibid.*
1314. Quatenus mutuans factus sit ditior? Videndum an habeat usuras, nec ne..... 625
1315. Quid, si bona fide contractum usurarium iniit, alioquin contractum alium justum initurus, vel habens justum titulum cui inniti potuisset?... 626
Inter varias opiniones, quid 1. de lucro cessante; 2. de periculo sortis?..... 628
3. Quid de titulo legis, si admitteretur?..... 629
1316. 2°. *Nisi legitime præscripserit :* valere potest præscriptio; et quatenus?..... *ibid.*
1317. An valere possit præscriptio ut medium acquirendi usuras, ideoque ante triginta annos?..... 630
1318. II. De usurario *malæ fidei*, nulla peculiaris difficultas..... 631
1319. III. De usurario *dubiæ fidei*..... *ibid.*
1320. II°. De *usurario* MENTALI..... 632

§. 2. *De usurarii hæredibus, vel causam habentibus.*

1321. I°. De *hæredibus naturalibus*. Tenentur; sed 1°. regulariter non ultra vires hæreditatis..... 633
2°. Nec in solidum..... 634
1322. II°. De *legatariis*. Recurrunt principia generalia. *ibid.*
1323. III°. De *donatariis*..... 635
1324. IV°. De iis qui *titulo oneroso contraxerunt* cum usurario..... *ibid.*
1325. V°. De *uxore* usurarii : videndum an fuerit usurarum particeps..... 636

§. 3. *De cooperantibus ad usuram.*

Num. Pag.
1326. Quandonam cooperentur injuste : principium generale ad illud dignoscendum..... 637
1327. Hinc 1°. de iis qui *suadent* usurario, vel illum determinant..... *ibid.*
1328. 2°. De iis qui *dant pecunias* usurario..... 638
1329. 3°. De *advocatis ;* 4°. de *notariis*..... *ibid.*
1331. 5°. De *famulis,* distinctio adhibenda..... 639
1332. 6°. De iis qui *domum locant* usurario ;..... 640
1333. 7°. De iis qui *delegantur ad solutionem* obtinendam ex usuris..... *ibid.*
1334. *De pœnis usurariorum.* I. ex jure ecclesiastico ; 641
II. ex jure civili..... 642

ART. 5. *De statu præsenti controversiæ circa usuram, et de regulis in praxi servandis.*

1335. Quæcumque diximus ad tria referuntur :..... 642
I. Quoad lucrum *ex mutuo consumptionis ;* quid probatum fuerit..... 643
Hinc 1. 2. corroborantur argumenta a nobis ex Scriptura et traditione allata..... *ibid.*
3. Qualis certitudo doctrinæ ex BOSSUET..... *ibid.*
4. Judicium circa librum LA LUZERNE ; 5. et MASTROFINI..... 644
1336. II. Quoad lucrum *ex mutuo negotiationis*..... 645
1337. III. Quoad auctarium perceptum *vi legis civilis*. *ibid.*
1338. Agendum nunc de *Responsis Romanis :* referentur in *Appendice*..... *ibid.*
1339. Variæ de iis Responsis exortæ opiniones..... 646
1340. I°. *An ex iis Responsis infirmetur auctoritas Encyclicæ Benedicti XIV?* Quidam affirmant, innixi 1°. ipsi Encyclicæ..... 648
2°. Responsis Romanis ; 3°. comparationi inter utrumque institutæ..... 650
1341. Contra hæc *vindicatur auctoritas Encyclicæ* 1°. ex jam dictis..... 652

Num. Pag.

2°. Non obstat forma Encyclicæ, aut verba in ea adhibita;..... 652
1342. 3°. Nec Responsa Romana..... 655
1343. 4°. Nec ea quæ in contrarium afferuntur..... 656
1344. 5°. Quænam sit mens Archiepiscopi Tolosani?... 657
1345. II°. *An infirmentur argumenta a nobis allata ex Benedicto XIV?* I. Quoad lucrum ex *mutuo consumptionis* nihil immutatum..... 659
1346. II. Quoad titulum *legis civilis*, non infirmantur quæ diximus..... 660
1347. III. Quoad lucrum ex *mutuo negotiationis*, multi ex Responsis Romanis et aliunde deducunt non esse absolute damnatum..... 662
1348. 1°. Responsa possunt non improbabiliter restringi ad titulum legis..... 665
2°. Non nimis urgendum silentium Ecclesiæ circa opera etiam Romæ impressa..... 666
3°. Major vis praxis in pluribus locis vigentis: sententia D. Emery..... 668
4°. Agnoscendum videtur quæstionem non esse omnino definitam..... 670
1349. III°. *Quonam sensu intelligenda sint Responsa Romana.* Nihil speculative definiunt..... 674
Duo sunt Responsa quæ explicantur ex circumstantiis peculiaribus in quibus aut pro quibus data sunt..... 675
1350. De pœnitentibus qui de lucro percepto non loquuntur, vix ulla difficultas..... *ibid.*
1351. Etiam in aliis semper requiritur bona fides:.... 676
1352. Quandonam judicari poterit hanc sufficienter adesse?..... 678
1353. Exigitur etiam dispositio standi mandatis S. Sedis. 679
1354. Quid importent hæc verba: *Non esse inquietandos*, et *Acquiescant?*..... 680
1355. An discrimen reponendum inter lucrum perceptum vi legis civilis, et in mutuo negotiationis? 681

Num. Pag.
Ad quid practice reducantur Responsa..... 683
1356. IV°. *De regulis servandis in delectu et applicatione opinionum circa usuram.* 1°. In efformanda opinione, ab extremis abstinendum... 684
1357. 2°. Opinio semel admissa, moderate tuenda.... 685
1358. 3°. Consulentibus respondendum juxta suam (scilicet respondentis) opinionem..... *ibid.*
1359. 4°. Pastoribus et confessariis magna opus sapientia et cautione in dirigendis fidelibus..... 687

CAP. XIV. DE CONTRACTIBUS ACCESSORIIS, SEU DE ACCESSORIIS CONTRACTUUM.

1360. Quænam sub hoc titulo includantur..... 689

ART. 1. *De fidejussione*, Gallice *du Cautionnement.*

1361. I. *Definitur* contractus, et licitus indicatur..... 689
1362. Est contractus accessorius : unde 1°. irritus est, si irrita obligatio principalis..... 690
2°. Non potest extendi ultra obligationem principalem..... 691
3°. Per eum non tollitur obligatio principalis... 692
1363. Qualis præcise contractus sit fidejussio?..... *ibid.*
1364. II. *Quotuplex* sit fidejussio : conventionalis, legalis, et judicialis..... 693
1365. III. *Quinam* possint esse fidejussores : requiruntur habilitas, domicilium, et bona sufficientia. 694
1366. IV. De *effectibus* fidejussionis. 1°. *Inter fidejussorem et creditorem.* 1. Non solvente debitore, solvere tenetur fidejussor;..... 695
Cui tamen conceditur *beneficium excussionis?*... 696
1367. 2. Si plures sint fidejussores, unusquisque tenetur ad totum debitum; salvo tamen *beneficio divisionis*..... 697
1368. 2°. *Inter fidejussorem et debitorem* principalem; sive antequam solverit fidejussor, sive postea.. 698
1369. An possit fidejussor lucrum aliquod a debitore percipere pro fidejussione?..... 699
1370. 3°. *Inter varios fidejussores*..... 701

Num. Pag.
1371. V. Quomodo *exstinguatur* fidejussio : exstinguitur 1°. indirecte, seu exstincto debito principali.. 702
2°. Directe variis modis..... 703

Art. 2. *De Pignore*, Gallice *du Nantissement.*

1372. Quid sit pignus, et qualis contractus?..... 703

§. 1. *De simplici pignore.*

1373. Regulæ assignantur : I. de *juribus creditoris*, in ordine, 1°. ad debitum..... 705
1374. 2°. Ad rem oppigneratam..... 706
1375. II. De *obligationibus creditoris*..... 708
1376. III. De *obligationibus debitoris*..... *ibid.*
1377. De Montibus pietatis, *remissive;* de Judæis..... 709

§. 2. *De antichresi.*

1378. Quid sit; debet fieri scripto..... 709
I. De *jure creditoris* quoad fructus, et quoad rem. 710
1379. II. De *obligationibus creditoris*..... 711
1380. III. De effectibus antichresis *erga extraneos*.... *ibid.*

Art. 3. *De hypotheca.*

1381. Qualis momenti, et quam ardua legislatori ab auctoribus judicetur hæc materia?..... 712
1382. I. De *definitione* et *natura* hypothecæ..... 714
1383. II. De variis *speciebus*. 1°. De hypotheca *legali*. 715
1384. 2°. De hypotheca *judiciaria*..... 716
1385. 3°. De hypotheca *conventionali :* definitur..... 717
1386. III. De *effectibus* hypothecæ : 1°. in ordine ad cæteros creditores; quatenus necessaria sit inscriptio :..... 718
Quomodo hæc inscriptio fiat..... 720
1387. 2°. In ordine ad detentores boni..... 721
1. Si detentor velit bonum liberare, quid præstandum habeat?..... 722
1388. 2. Si non liberet, debet solvere omnia debita, vel bonum derelinquere..... 723
1389. IV. De *exstinctione* hypothecarum..... 724

ART. 4. *De expropriatione coacta.*

Num. Pag.
1390. I. Quoad bona mobilia..... 726
1391. II. Quoad bona immobilia. 1°. Quænam possint esse objectum apprehensionis?..... 727
1392. 2°. Ad quosnam pertineat hanc provocare?..... *ibid.*
1393. 3°. Contra quosnam provocari possit?..... 728
1394. 4°. Quisnam titulus ad id requiratur?..... 729

ART. 5. *De apprehensione corporis,* Gallice *de la Contrainte par corps.*

1395. Quomodo hæc a lege ordinetur :..... 729
1396. I. In materia *civili :* locum habere potest ex lege, ex sententia, vel ex conventione..... 730
1397. Quædam his omnibus casibus communia..... 732
1398. II. In materia *commercii*..... *ibid.*
1399. III. In materia *denariorum publicorum*..... 733
1400. Quædam pro qualibet materia statuuntur..... 734

APPEND. AD CAP. XIII, DE USURA. *Sedis Apostolicæ documenta.*

1401. I. BENEDICTI XIV Encyclica de usuris, 1 nov. 1745..... 735
1402. II. *Ejusdem* Instructio ad P. FELICEM, 17 apr. 1749..... 739
1403. III. Card. ANTONELLI Responsio ad episcopum Quebecensem, 4 jul. 1793..... 740
1404. IV. PII VI Responsum ad archiepiscopum Viennensem, 12 aug. 1795..... 741
1405. Extractum ex Bened. XIV Encyclica *de Præparatione ad jubilæum,* 26 jun. 1749..... 742
1406. V. *S. Pœnitentiariæ* Responsum ad D. BLAQUIÈRE parochum Montispess., 18 febr. 1807. 743
1407. VI. PII VII Responsum ad vicarios generales Pictavienses, 17 sept. 1808..... 745
1408. VII. *Ejusdem* nova Responsio ad eosdem, 29 aug. 1818..... 747
1409. VIII. *S. Officii* decretum ad mulierem Lugdunensem, 3 julii 1822..... 749

Num. Pag.

1410. IX. *S. Pœnitentiariæ* Responsum ad vicarium generalem Nannetensem, 20 apr. 1830..... 750

1411. X. Pii VIII Responsum ad episcopum Rhedonensem, 18 augusti 1830..... *ibid.*

1412. XI. *S. Officii* Responsa IV simul ad eumdem episcopum Rhedonensem missa..... 751

1414. XII. *S. Pœnitentiariæ* Responsio ad D. Gousset, 16 septembris 1830..... 752

1415. XIII. *Ejusdem* Responsio ad D. Denavit, eod. die. 753

1416. XIV. *Ejusdem* Responsio ad episcopum Veronensem, 14 augusti 1831..... *ibid.*

1418. XV. *S. Officii* Responsio ad episcopum Vivariensem, 31 augusti 1831..... 754

1419. XVI. *Ejusdem* Responsio ad capitulum Locarnense, 31 aug. et 7 sept. 1831..... 756

1420. XVII. *S. Pœnitentiariæ* iterata Responsio ad D. Denavit, 11 novembr. 1831..... 758

1421. XVIII. *Ejusdem* Responsio ad doctorem Avvaro, 11 februar. 1832..... 759

1422. XIX. *Ejusdem* Responsio ad episcopum Atrebatensem, 11 junii 1834..... 762

1423. XX. Card. de Gregorio Maj. Pœnit. Responsio ad episcopum Vivariensem, 7 mart. 1835.... 763

1424. XXI. *Ejusdem* Responsio ad episcopum Bajocensem, 10 julii 1835..... 764

1425. XXII. *S. Officii* Responsio ad D. Taillant, parochum in diœcesi Augustodunensi, 29 julii 1835..... 765

1426. XXIII. *Ejusdem* Responsio ad episcopum Nicæensem, 17 januar. 1838..... 766

1427. XXIV. *S. Pœnitentiariæ* Responsio ad N., S. Theologiæ professorem, 3 junii 1841..... 767

FINIS INDICIS TOMI TERTII.

INDEX ALPHABETICUS

MATERIARUM.

Nota. I. Indicantur hic, non paginæ, sed numeri marginales, quorum unica series toto tractatu producitur : continentur autem in tom. I, numeri 1-470; in tom. II, numeri 471-900; in tom. III, numeri 901-1427.

II. Plurima verba Gallici idiomatis quotidiano usu sancita, et quæ vix reddi possunt latinis vocibus lectorum menti satis obviis, v. g., in materia cambiorum, commercii, etc., hic occurrent propriis terminis : nobis visum est, si quibusdam id minus accuratum appareat, abunde compensandum fore tale incommodum per utilitatem lectori obventuram. Eadem ex causa recensuimus plures locutiones in jure Romano receptas, et apud auctores obvias, quamvis hodie non sint in usu. Sub his respectibus iste Index dictionarii instar non raro inservire poterit.

A

Ab irato (*dispositio*) quænam dicatur, et quatenus valeat, 507.

Abusus. An vendi possit res qua emptor prævidetur abusurus, 675. Tres rerum species sub eo respectu distinguunt theologi, 676.

Acceptatio. In *contractibus* requiritur ut consensus unius ab altero acceptetur, 32. Quid, si agatur de remissione debiti, 33. Quatenus debeat esse externa, 28; alteri intimata, 34; fieri ab habili, 249. — In *donatione* requiritur acceptatio expressa, authentica, donatori notificata, 542, 34. A quo fieri debeat, 543 et seq.; quandonam, 549. — An in *confirmatione testamenti irriti* per hæredem naturalem requiratur acceptatio hæredis instituti, 143. — De acceptatione *litterarum cambii*, 1102, 1104, 1107.

Accessorii *contractus*, seu accessoria contractuum, 1360.

Accroissement (*droit d'*) quid sit, 616. Si vendita sit *hæreditas*, cui jus illud tribuendum, an venditori, an emptori, 753.

Action, seu jus persequendi in judicio est effectus contractuum, 259. Aliquando non tribuitur per legem, 261. Non datur victori in *ludo*, 939; nec in *sponsione*, 941 : idem applicatur *assecurationi* rei supra suum valorem, 980; et *venditioni censuum publicorum*, quando fictitia reputatur, 1253 et seq. Vid. *Marchés à terme.* — *D'Avarie*, quid sit, et quandonam in assecurationibus competat, 999. — *En Nullité, en Rescision*, quid sint et quomodo differant, 116, 118.

Actions des Compagnies quid sint, 866, 1262 : sunt proprie pars societatis, 1263. Quatenus liceat eas emere, et lucrum ex eis percipere, *ibid.* Vid. *Banque de France, Compagnie des Indes.* — *Au porteur* an possint admitti in societatibus *en Commandite*, 865.

Addictio, adjectio. De pacto addictionis seu adjectionis in diem, 742. Vid. *Pactum.*

Advocati emere nequeunt quædam *jura litigiosa*, 664. — An eorum hæredes retinere possint *mercedem* quam receperunt causa non finita, 804. — An teneantur ad restitutionem quando *usurariis* patrocinium præbent, 1329.

Ædificiorum constructio. Architecti et opifices quatenus teneantur de eorum ruina, 810. Si opus fiat *à*

forfait, an possint augmentum pretii aliquando exigere, *ibid.*

Ærarium publicum. An licitum sit auctarium quod solvit pro mutuo præstito, 1304. Vid. *Bons Royaux, Caisses d'Épargne, Cautionnements, Receveurs généraux.*

Æstimatio rei *commodatæ* rejicit casum fortuitum in commodatarium, 274, 1022. — Rei *collatæ in societatem* quoad fruitionem rejicit periculum in societatem, 875.

Affectus *venditoris* ad rem suam an sit titulus augendi pretium, 691. Quid de affectu *emptoris*, 692. — Ad rem *assecuratam* an sit ratio declarandi majorem valorem, 981.

Agences de placement, 1266. Vid. *Banque de Prévoyance.*

Agents de change sunt proxenetæ legales pro negotiatione censuum publicorum, 1249, 1251. Varia officia iis imposita, 1254. Pro fictitiis non habentur conventiones ab ipsis initæ, etiam ad terminum, 1256.

Agiotage, quid sit, et quam infausta inducat consectaria, 1251.

Aleatorii contractus quinam dicantur, 918. Quot recenseantur, 919. Vid. *Assecuratio, Census vitalitius, Loteria, Ludus, Nauticum fœnus, Sponsio, Transactio.*

Aliena (*res*). An possit esse *materia contractus*, quando est tantum alteri debita, 234 : quid de illo qui eam accepit, 235. Quando est actu aliena, ex jure naturali quamnam vim habeat contractus, 236. — Ex jure civili, quid de *legato* rei alienæ, 237. — Utrum et quo sensu *vendi* possit ex jure Romano, 667; ex jure Gallico novo, venditio declaratur irrita, 668 : an id intelligendum etiam de rebus mobilibus, 669. Quænam vis hujus nullitatis, et a quo possit invocari, 670. Quousque extendatur sub eo respectu jus emptoris, 671. Quid de re quam venditor acceperat a domino per *solutionem ex indebito* ; de re vendita ab *hærede putativo*, vel quam venditor et emptor sciebant esse alienam, 672. Si id emptor ignoraverit, potest repetere compensationem damnorum, et in omni casu pretium, 673. — De *permutatione* rei alienæ idem dicendum ac de venditione, 764. — Quid de *locatione*, 774. — De *deposito*, 908. — De *Ludo*, 927.

Alienum (*factum*) an possit esse materia contractus ex jure naturali, 238 ; ex jure civili, 239 ; in foro conscientiæ, 240.

Allonge in litteris cambii quid sit, 1103.

Alluvio si prædium locatum augeat, an incremento frui debeat locator, an locatarius, 778.

Amentes et furiosi incapaces contrahendi ; an acceptandæ donationis, 174.

Anatocismus quid sit, 1122. Quatenus apud nos hodie habeatur ut usura palliata, 1289 : speciatim in materia commercii, 1296.

Annuités a vie, annuités différées : quænam conventiones his verbis designentur, et an sint licitæ, 962.

Antichresis quid sit, quomodo a pignore differat, 1378. Quatenus scripto fieri debeat, *ibid.* Quale jus conferat creditori, *ibid.* : iste non potest fructus sibi tribuere, *ibid.* et 1224, 1290. Quales obligationes creditori incumbant, 1379. Non derogat juribus creditorum anteriorum ; quid de posterioribus, 1380.

Anticipata solutio rei frugiferæ nondum traditæ an det jus ad *auctarium*, 1198. — An sit generatim ratio imminuendi *pretium*, 1200. — Anticipata solutio *auctarii* quatenus sit usura palliata, 1177, 1247, 1289.

Apprehensio corporis, 1395 et seq. Vid. *Contrainte par corps.*

Aquilia (*lex*) quid statueret de præstatione culpæ, 277.

Architecti, 810. Vid. *Ædificiorum constructio.*

Arrhæ. Quid operentur in promissione, quid in venditione perfecta, 485.

Ascendentes. Quænam eis tribuatur reservatio, 530.

Assecuratio (*Contrat d'assurance*). Quid sit, et quænam illius *origo*, 951. Quomodo definienda, et quatenus conveniat cum aliis contractibus, 952. An sit contractus realis, an consensualis, 987. Nil habet in se illicitum, 953. Sed servandæ *conditiones* debitæ, 954. An leges apud nos latæ quoad assecurationes maritimas, cæteris applicari possint et debeant, 955. — Quænam generatim possint esse *materia* assecurationis, 957. Quatenus hæc materia debeat *existere*; et quid, si res jam perierit, aut in tuto posita sit, 958. Quid de lucro sperato, 959. Esse pretio *æstimabilis*, 960. De assecuratione *vitæ*, quatenus liceat, 961 : de quibusdam conventionibus affinibus, 962. Esse *in commercio* : quid de mercibus prohibitis, 963. In pluribus prohibetur assecuratio quæ esset incitamentum ad crimen, 964. Ad *assecuratum spectare*, 965. An creditor possit assecurare rem sui debitoris, 966. Vid. *Réassurance*. Esse *determinata* : quoad rem, 968 ; quoad periculum, 969 ; quoad valorem, 970. — *Inter quos* iniri possit assecuratio : an assecuratio sit actus civilis, an commercialis, 971. Quinam possint *assecurare* : de privatis, 972 ; de societatibus assecurationum, 973. Quinam possint *assecurari* : an minores, an uxor, an ii quibus prohibetur commercium, 974. — *Forma* contractus assecurationis : an debeat ab utroque contrahente subscribi, 975 ; an omnino excludatur probatio per testes, 976 ; quatenus requiratur scriptura, 977. Hæc non respiciunt assecurationem terrestrem, 978. Vid. *Police*. — Ad quid *obligetur assecuratus* : *quando initur conventio*, debet *declarare* verum rei *valorem*, 980 : an possit rationem habere peculiaris affectus quo rem prosequitur, 981 ; rei assecuratæ *pericula*, 982, et varias *assecurationes*, si adsint, 983. *Durante conventione*, debet *solvere pretium*, 984 : non adest locus rescissioni ob læsionem, 985 ; quid, si assecurator noverit periculum esse minus ac vulgo existimatur, *ibid.* Quandonam solvendum sit pretium, 986. Requiritur et sufficit ut periculum incœperit, 987. Quid, si pretium non fuerit promissum nisi conditionate, 988. Quandonam cesset obligatio solvendi pretium, 989. *Declarare mutationes* in re assecurata, 990. *Invigilare conservationi* rei, 991. *Casu sinistro obveniente*, debet impedire aut imminuere, si possit ; et damnum denuntiare assecuratoribus, 992. — *Assecurator*, casu obveniente, tenetur assecuratum indemnem servare : sed excusatur si damnum oriatur ex culpa assecurati, 993 : quid, si ex culpa filiorum, famulorum, etc., *ibid.* ; item si ex vitio proprio rei, 994. Ut determinetur indemnitas debita, videndum an res fuerit assecurata secundum integrum valorem, et an tota pereat, 995 : si unum ex his duobus desit, quid, 996. Cujusnam temporis ratio habeatur in determinando valore, 997. — Aliquando conceditur assecurato facultas abdicationis, *de Délaissement*, 998 ; aliquando *l'action d'Avarie*, 999. Jus habet ad impensas, *aux frais de sauvetage*, 1000. Quomodo possit assecurator satisfacere suæ obligationi, 1001 : an possit rem assecuratam restituere, 1002. Cuinam debeat solvere indemnitatem, 1003. Vid. *Indemnitas*. — Assecurator solvendo indemnitatem, liberatur erga assecuratorem, 1004 ; subrogatur in jura quæ iste habere poterat ratione rei, 1005. — Quomodo *dissolvatur* : quid intelligatur per *Ristourne*, *Ressortissement*, 1006. Potest dissolvi ob inexsecutionem conditionum, 1007 ; ob decoctionem unius e contrahentibus, 1008 ; si rei assecuratæ dominium ab assecurato ad alterum transeat, 1009 ; si res pereat, 1010 ; quando elapsum est tempus assignatum, 1011. — An possit ex jure nostro in *societate* assecurari sors, vel lucrum, vel utrumque, 881, 882.

Assecuratio (*Garantie*). Assecuratio contra *evictionem* est de *venditionis* natura : an de essentia, 713. Venditor est immunis ab obligatione

assecurationis in quinque præsertim casibus, 714. Quis actionem habeat ad assecurationem exigendam, 715. Contra quem dirigi debeat actio, si sint plures venditoris hæredes, 716. Assecurationis effectus in casu evictionis integræ : quale pretium refundi debeat emptori, et quænam alia, 717; in casu evictionis partialis, 718. — Assecuratio debetur juxta legem contra *vitia redhibitoria*, 719. Quænam illa sint, 722. Quænam exinde jus emptoris et obligatio venditoris, 723. Vid. *Defectus*. — Assecuratio in venditione *jurium incorporeorum* est juris, vel facti : ad quid utraque obliget, 747. Qualis debeatur in venditione *hæreditatis*, 750. — In *locatione*, 779 et seq. — Defectus assecurationis in *censu consignativo* eum reddit redimibilem, 1066.

Assignat *démonstratif*, *limitatif*, 355.

Assignats, seu *Chartæ nummariæ*. Quatuor exortæ sunt opiniones circa solutionem sic factam, 407. Quid statuendum, 408.

Auctarium (*Intérêt*). In venditione *rei frugiferæ*, 1196 et seq. Vid. *Frugifera (res)*. — Annexum quibusdam *creditis*, 1241 et seq. Vid. *Credita*. — In *mutuo*, 1036, 1111 et seq. Vid. *Usura*. — In variis *contractibus* mutuo plus minusve affinibus, 1206 et seq. Vid. *Usura*. — *Lege* permissum, 1275 et seq. Vid. *Lex*.

Auctio publica quid sit, et quomodo distinguatur a licitatione et subhastatione, 756. An sit causa *vendendi* supra pretium commune, 757: quænam ideo requirantur conditiones ex parte venditoris, 758; ex parte emptorum, 759; ex parte officialium seu præconum, *ibid.*

Ayant-cause quis dicatur, 264. An quando agitur de re duobus successive vendita sub signo privato, emptor haberi possit ut causam habens venditoris, ad sensum articuli 1322 cod. Civilis, 452.

B

Bail, *à Cheptel*, *à Ferme*, *à Loyer*, 767. Vid. *Locatio*. — *A Cens*, *à Rente*, hodie abrogata, 770, 1044 et seq. Vid. *Census*. — *A Vie*, adhuc subsistit, 770. — *A Nourriture*, quid sit, 1069.

Bailleur in locatione quis sit, 766. Vid. *Locator*.

Bailleurs de fonds in societatibus confundi non debent cum actionariis, 1263.

Banque, *Banquiers*. Quinam apud nos ita vocentur, 1082. — (*Opérations de*). Quatenus in iis percipi possit auctarium supra taxationem legalem, 1294. Vid. *Escompte*, *Crédit ouvert*, *Compte courant*. — *De France* : ejus institutio, operationes, etc., 1262. Undenam oriantur ejus lucra, 1264. An liceat ejus *actiones* emere, et ex iis lucrum percipere, *ibid.* — *De Prévoyance*, an licitum lucrum inde perceptum, 1266.

Banqueroute quid sit, et quotuplex, 393. Vid. *Faillite*.

Benedictus XIV exhibet seriem disputationum circa usuram, 1111 et seq. Qua occasione *Encyclicam* suam de usura emiserit, 1115. Hæc in extensum refertur, 1401. Ejus auctoritas, 1125 : nullatenus infirmatur ex speciali hujus forma, vel per Responsa Romana recens edita, 1240 et seq. Reprobat omnem usuram, 1126; etiam in *mutuo negotiationis*, 1269; quamvis non pronuntiaverit de variis contractibus qui huic videntur satis affines, 1270, 1271 : nec ita aperte circa lucrum in mutuo negotiationis, ut quæstio pro absolute definita haberi debeat, 1273, 1347, 1348. Instructio ad P. Felicem, 1402. — Edictum circa reductionem usurarum, 1127. — Doctrina de *cambiis*, 1099; de *contractu trino*, 1213; de *censibus*, 1220; de *vi legis civilis* circa auctarium, 1277.

Beneficium indebitum : an semper possit pro eo lucrum exigi, 1149, 1151, 1154. — *Competentiæ* quid apud

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Romanos, et an apud nos concedatur, 416. — *Discussionis* concessum fidejussori, quid sit, 1366 : detentori boni hypothecæ subjecti, 1388. — *Divisionis* inter plures fidejussores, 1367. — *Inventarii* impedit ne fiat confusio in *hærede* qui adit hæreditatem, 432. An illo indigeat *legatarius universalis*, ne teneatur ultra vires hæreditatis, 576 : an hæres naturalis *usurarii*, 1321.

Beneficia ecclesiastica an possint esse objectum contractuum, 225.

Bona *immobilia* : quomodo eorum traditio fieri debeat, 708. — *Mobilia* : contractus de illis initus cujusnam loci statuto regi debeat, 94. Privilegium venditori concessum usque ad solutum pretium, 267, 386. Quid, si fuerint duobus successive per contractum obligata, 268. Quomodo eorum traditio fieri debeat, 708. De eorum expropriatione. Vid. *Saisie*. — *Nationalia, communia, etc.* : regulæ circa eorum locationem, 800.

Bons Royaux, *Bons sur le trésor*. An ex iis liceat auctarium percipere, 1305.

Bourse, quid eo nomine designetur, 1248. — (*Opérations de*) quæ dicantur, et quatenus spectet ad theologos de iis judicium ferre, *ibid*. De iis quæ dicuntur *Opérations de placement* nulla difficultas, 1249. Quoad illas quæ dicuntur *de Spéculation*, si fiant, ut dicitur, *au comptant*, vix ulla etiam difficultas, 1250 : secus vero, si fiant ad terminum, 1251 et seq. Vid. *Marchés à terme*, *Reports*. Quænam dicantur *Opérations à la hausse*, *à la baisse*, 1249, 1251.

Brevet d'invention non venditur nisi per scriptum coram notario, 659.

C

Caducitas *testamenti* quid sit, et quandonam locum habeat, 616.

Caisse *d'Épargne*. Natura, origo et series legislationis : an liceat auctarium percipere ex summis ibi depositis, 1308. — *Hypothécaire* potest exigere auctarium supra taxationem legis, 1291.

Cambium. Quid sit, 1081. Quotuplex : cambii localis origo, 1082. — *Minutum* seu manuale est licitum, 1083 : etiam ex parte illius qui artem cambiendi non exercet, 1084. Quid, si cum pecunia aliena, 1086. An in commercio communi possit una species monetæ æstimari supra taxationem legalem, 1085 : an possit infra æstimari ob timorem ne valor minuatur, 1087. — In cambio *locali* plures concurrunt ; eorum nomina, 1088 : mutuæ obligationes, 1089. Aliud est contractus cambii in se spectatus, 1090 ; aliud litteræ cambii, 1091 : hinc distingui debet cambium solemne, et non solemne, 1092. Unde desumatur pretium in cambio solvendum, 1093. Tale cambium est licitum, 1094 : etiamsi campsori utilius sit pecuniam recipere, 1095 ; etiam ex parte illius qui munus campsoris non exercet, 1097 ; et aliquando ex parte accipientis litteras cambii, 1096. Sed requiritur ut absit fraus et simulatio, 1099 ; unde reprobatur cambium *siccum*, et *obliquum*, *ibid*. Quid si obtegatur mutuum simplex sub velo cambii, 1286. Debet servari justum pretium, 1100 : si non servetur, erit injustitia, sed non usura, 1098 : an aliqua mutatio induci possit aut debeat ob dilationem solutionis, 1100. Alias conditiones præscribit S. Pius V, 1101. Vid. *Indossatio*, *Intervention*, *Lator*, *Protestatio*, *Provisio*, *Recambium*, *Retraite*, *Trassans*, *Trassatus*. — *Temporaneum*, quid sit et quotuplex : quid cambium *Lugdunense*, 1109 ; *Francofordiense*, et *Bisuntinum* seu *Placentinum*, 1110.

Campsores qui dicantur, 1082.

Capacitas *contrahentium* : de nullitatibus generatim quæ eam respiciunt, 154. Vid. *Inhabilitas*, *Nullitates*. De tempore respiciendo ad eam determinandam, 247 et seq. Vid. *Tempus*. — *Materiæ* contractus. Vid. *Disponibilitas*, *Materia*.

Captatio quid sit, et quatenus testamentum irritet, 506.

Casus fortuitus. Non adest regulariter obligatio compensandi damnum ex casu fortuito ortum, 274. An in conventione de præstandis casibus fortuitis includantur casus insoliti, *ibid.* — *Gregis locati* jactura ex casu fortuito in quem recidat, 815. — Si *conditionis* adimpletio impediatur casu fortuito, an censeatur impleta, 349. — Si famulus aut operarius sic impediatur a *præstanda opera*, quatenus resolvatur contractus, 804.

Cathari hæretici : eorum error circa usuram, 1112.

Caupones (*aubergistes, hôtelliers, etc.*) : quid jura statuunt de objectis apud ipsos depositis ; quosnam eo nomine comprehendant, 915.

Causa. Obligatio *ad causam* quid sit : an falsitas causæ irritet contractum, 354. — Conventio ob causam illicitam, est irrita, 135.

Cautionnéments (summæ quas multi deponere coguntur apud ærarium publicum) : an possint ex iis auctarium recipere, 1307.

Censores librorum Romæ editorum qualem auctoritatem habeant, 1348.

Census, seu *contractus censualis* quid sit, et qualis contractus : an ad mutuum accedat, an potius ad venditionem, 1041. Hujus origo, 1042. Quotuplex distinguatur, 1043. — *Reservativus* (*rente foncière*) quid sit; est certe licitus : hodie non confert jus in re, et est redimibilis, 1044. An ideo ejusdem naturæ sit ac census consignativus, 1045. Quid de censibus ante legem hodiernam existentibus, 1046. — *Consignativus* a multis impugnatus, a pluribus defensus, 1048. Si sit *realis*, sive fructuarius, sive pecuniarius, videtur certo licitus, 1049. Si *personalis* perpetuus, non ita certum : videtur tamen admittendus, 1050 : quatenus differat a mutuo, *ibid.* et 1153, 1156. Si *temporaneus*, idem dicendum ; cavendum tamen ne sit mutuum simulatum, 1051. Servandæ debitæ conditiones, 1052. *Pretium* est jamdiu apud nos lege taxatum, 1053. Taxatio est in gratiam solius censuarii, 1054 ; non respicit stipulationes antea factas, 1055 ; nec venditionem census jam constituti, 1057, 1058. Quatenus census solvi debeat, ut aiunt, *sans retenue*, 1056. Quomodo reparari debeat injustitia commissa in emptione census, 1059. — Census est *ex parte venditoris*, apud nos hodie, essentialiter *redimibilis*, 1060 : quomodo, seu quo pretio fiat illa redemptio, 1061; an possit fieri pretio currenti tempore redemptionis, et ab ipso debitore, si imminutum fuerit, 1062 ; an per partes, 1063 ; an per viam compensationis, 1064. De redimibilitate censuum quos solvit ærarium publicum, 1065. *Ex parte emptoris* census est *redimibilis* in triplici casu, quatenus nempe non implentur conditiones stipulatæ, 1066: quid de censu qui fuit constitutus titulo gratuito, vel ante codicem civilem, 1067. Extra hos casus, census redimi non potest coram lege ; et si redimibilis stipularetur, haberetur ut mutuum, *ibid.* An in conscientia fieri possit hæc stipulatio, seu an liceat census *utrinque redimibilis*, magna est controversia, 1068, 1115 : multi affirmant, 1218 ; alii negant, 1219, et quidem probabilius, licet res non sit definita, 1220. Prior opinio, si admitteretur, caute sumenda, 1221 ; secunda non est ulterius extendenda, sed census habetur ut irredimibilis, modo emptor jus non habeat exigendi sortem a venditore, etsi pactus esset cum tertio de emptione, vel etsi venditor esset in dispositione redimendi, imo ad id aliunde obligaretur, sed non ex jure emptoris, 1222. — *Vitalitius* quid sit, 1069 : qualis contractus, 1075. Constitui potest *titulo gratuito* ; quid tunc servandum, 1070: vel *numerata pecunia*, 1071 ; pretium non taxatur per legem, nec quidquam ibi occurrit usurarii aut injusti, 1072: vel demum *per cessionem boni* mobilis aut immobilis ; tunc census non videtur esse res vendita, sed potius rei pretium, 1073. In omni casu, requiritur ut *vivat persona* super cujus vita constituitur ; imo ex jure, ut non

laboret morbo quo moriatur intra 20 dies, 1074. Irrevocabilis est *alienatio summæ* traditæ : quid, si conditiones non impleantur, 1076. Irrevocabile etiam *jus ad pensiones;* qua proportione tractu temporis acquiratur, 1077. Quatenus in has pensiones jus habere possint creditores censualistæ, 1078. Quando legatur census vitalitius, quid intelligendum sit, 574. Exstinguitur census per mortem naturalem personæ, 1079; vel per præscriptionem, 1080. — *Census publici*, vid. *Rentes sur l'État.*

Certificat de vie an et qualis requiratur ad percipiendum censum vitalitium, 1079.

Certificateur de caution quis dicatur, et ad quid teneatur, 1370.

Cessio *bonorum* quid sit et quotuplex, 414. Cessionis *voluntariæ* conditiones et effectus, 415 : item cessionis *judiciariæ*, 416. Quid in materia commercii, 417. — Debitorem non liberat in conscientia, 418 : generatim in praxi non permittendum ut cessor sibi aliquid occulte retineat, 419. — *Creditorum ;* quid eo nomine designetur, 1240. Vid. *Credita, Chirographa.*

Cheptel seu locatio animalium quotuplex distinguatur, 812. Principia generalia, 813. — *Simple :* natura et conditiones, 814 et seq. — *A moitié*, item, 818. — *Donné au fermier*, vulgo *Cheptel de fer*, 819. — *Donné au colon partiaire*, 820. — *Improprie* dictum, 821.

Chirographa. Quatenus per eorum traditionem fieri possit *donatio* manualis, 554. — Utrum liceat ea *emere* infra valorem numericum, si sint incerta et litigiosa, 748 ; si sint certa, sive apud privatos reperiantur, sive sint in commercio, 749. — In quo consistat commercium quod vocant *Escompte des billets*, an recidat in mutuum, et quatenus in conscientia liceat, 1247 : an in eo standum sit taxationi legali auctarii, 1294. Quænam dicantur *Billets à ordre*, 1088 : an in ordine ad emptionem (*Escompte*) distingui debeant a chirographis simplicibus, 1294.

Chrisma (*sanctum*) : pro eo pretium accipere vetitum, 223.

Civitates quatenus mutuo accipere possint, 1039.

Clausula poenalis quid sit, 367. Ejus effectus, 368, 239. — Quomodo possit adjici *transactioni*, 1017.

Clerici. Quinam *ludi* ipsis per SS. canones prohibeantur, 926. — An possint contractum *assecurationis* inire, 974. — Cur de iis solis loquantur multi canones *usuram* prohibentes, 1133.

Collaterales. Nulla iis tribuitur reservatio, 529.

Colonus partiarius, seu *medietarius* (*métayer*), an sit vere conductor, an socius : quænam obligationes ipsi incumbant, 796.

Commandite, Commanditaires, Commandités : quid his verbis intelligatur, 865.

Commercium. Quo sensu *materia contractus* debeat esse in commercio, 218. Quænam ex jure naturali aut divino sint extra commercium, 219. Vid. *Spiritualis* (*res*). Quænam ex jure civili, 227 : talia sunt officia et munera publica, quibusdam exceptis, 228. — In *materia commercii* an applicentur quæ statuuntur de stipulatione aut promissione *pro alio*, 240. An magis rigorose præstanda *culpa juridica*, 283. Non datur locus *dilationi* post terminum, 351. Quænam *privilegia creditorum*, 386. Locum non habet nunc apud nos *cessio bonorum*, 417. Non applicatur lex irritans *venditionem rei alienæ*, 669 : an locus sit *rescissioni venditionis* bonorum mobilium, eo quod emptor defuerit obligationi rem tollendi (*de prendre livraison*), 731. Non applicantur quæ statuuntur de traditione *jurium incorporeorum*, 745 : item de *pignore*, 1377. Quid sit *mandatum* in ordine commerciali, 823, 825, 827. Non eadem taxatio auctarii *in mutuo* in materia commercii ac in materia

civili, 292, 1283 : quomodo unum ab altero distinguatur, 1285. *Cambium* commerciale et non commerciale quomodo differant in se, et quoad effectus, 1091, 1092. Facilius admittitur *apprehensio* corporalis, 1398.

Commissoriæ (*de pacto legis*), 741, 1223. Vid. *Pactum*.

Commodatum, quid sit, 1020. Qualis contractus, 1021. *Obligationes commodatarii* quoad custodiam rei : quandonam teneatur de casibus fortuitis, 1022; quæ culpa præstanda, 280. Quoad restitutionem rei, 1023. *Obligationes commodantis :* quoad vitia rei, quoad ejus repetitionem, et quoad impensas factas ad ejus conservationem, 1024. — An in commodato fieri possit *compensatio* legalis, 428.

Compagnie des Indes : quid olim sentiendum fuerit de ejus *actionibus*, 1264. — Quid de chirographis quæ dicebantur *Billets sur la Compagnie des Indes*, 1222.

Compensatio damnorum, vid. *Damnum*. — *Legalis* inter debita quandonam locum habeat, 427, 1023, 1064. *Conditiones* requisitæ, 428. *Effectus*, 429 : ea mediante fit solutio debiti per partes, 404. Quid sit compensatio *facultativa*, 430. Utrum compensationi renuntiari possit, 431 : quid de eo qui juravit se soluturum, *ibid.*

Compte courant inter duos bancarios aut negotiatores quid dicatur; an standum sit omnino intra limites auctarii legalis, 1296.

Conceptus (*nondum*) an possit donationem recipere, 511.

Concilium *familiæ* quibus personis confletur, 183. Quatenus requiratur ejus concursus ad actus sive tutoris, sive minoris emancipati, 184, 185. — *Judiciarium* quandonam detur, ad quosnam actus concurrere debeat; quid de actibus sine eo, vel antea initis, 197. Quid pro foro conscientiæ, 198.

Concordat. Quid eo nomine intelligatur, et quomodo iniri possit a debitore solvendo impari, 417.

Concubini an sint inhabiles ad sibi invicem donandum, 522.

Conditio. Quid sit in contractibus, 301. Quomodo dignosci possit et distingui ab aliis modis, 302 : in dubio, an præsumatur conditio, an modus, 358. Quotuplex distinguatur conditio, 303. — Conditionis *suspensivæ* effectus, *ante eventum*, 305 : an jus conditionatum transeat ad hæredes, si creditor moriatur, 306; cuinam res pereat, 307, aut fructificet, 308; an debitor possit a contractu resilire, 309, vel saltem valide revocare consensum, 310; quid possit creditor circa rem debitam, 311. *Quando conditio impletur*, obligatio fit absoluta, et quidem absque renovatione consensus, 312 : imo generatim habet in contractibus effectum retroactivum, 314, 315. *Si conditio deficiat*, actus nihil est, 316. Quodnam tempus respiciendum quoad habilitatem partium, et capacitatem materiæ, 317 et seq. Vid. *Tempus*. — *Potestativa* quid sit, et quandonam irritet contractum, 324; et donationem, 489; item testamentum, si adsit ex parte legatarii, 492. Quid, si quis dicat, *Si voluero, Quando voluero, Si rationi consentaneum judicavero*, 325; vel, *Si nupsero*, 489. — *Impossibilis* quid operetur ex jure naturali, 326. Quid leges statuerint circa contractus, testamenta, donationes, matrimonium, *ibid.* Quid in foro interno tenendum, 327. — *Turpis* quo sensu sumatur, 328. Ante eventum, contractus est certo irritus, 329. Post impletam conditionem, multiplex adest opinio, 330 et seq. Quid tenendum ex jure naturali, 333; ex jure civili, circa contractus, 334, circa donationes, 335. Post exsecutionem contractus, non concordant auctores, 336 : quid statuendum pro foro conscientiæ, 337, 338. — *Contraria substantiæ* irritat contractum, 339. — *Tacita* quid producat, 340. — *Resolutoria*, duplex : quid operetur ante eventum, 341; quando est impleta, 342, 343; quando deficit, 344. Vid. *Resolutio*. — De *conditionum implemento*, principium generale, 345. An possit impleri ab hæredibus debi-

toris, 346; an erga hæredes creditoris, 347. An possit adimpletio dividi, 348. Quandonam debeat impleri, et quandonam censeatur defecisse, 349, 350.

Condonatio æquivalet solutioni; an requiratur forma donationum, 424. Ejus effectus, si plures sint debitores, 426. — *Præsumpta* quatenus sufficiat, 425. — *Usuræ perceptæ* quatenus valeat, 1191.

Conductor seu *locatarius*, 766 et seq. Vid. *Locator*.

Confessio (*aveu de la partie*) extrajudiciaria, mere verbalis, quatenus prosit ad probationem, 464. — *Judiciaria* plures habet effectus, 465. Aliquando habetur ut conventio, quæ dicitur *Contrat judiciaire*, 466.

Confirmatio an idem sit ac ratihabitio, 127. Vid. *Ratihabitio*. Quænam dicatur in forma speciali, vel in forma communi, 130, 457.

Confusio quid sit, et quinam ejus effectus, 432.

Conjuges inter se contractum *venditionis* inire nequeunt nisi in triplici casu, 665. — Non possunt *transigere* de validitate dubia sui matrimonii, 1016. — Quomodo contra eos provocari possit *expropriatio* bonorum, 1393. — Conjugi superstiti cur nulla tribuatur *reservatio*, 533.

Consectaria contractus quæ dicantur: quo statuto regi debeant, 102.

Consensus essentialis in contractu, 19. Dotes, 20. — *Internus*, 21 et seq. De eo qui licte consensit, 22. An requiratur voluntas se obligandi, 24; an juxta objecti gravitatem, 25; an obligationem adimplendi, 26. — *Externus*, 27 : quænam signa, 29. — *Mutuus*, 30 : an alteri intimatus, 31. An et quatenus ferri debeat in idem objectum, 35; in eumdem contractum, 37, 905, 1028. — *Actualis*, 38 : ex quanam intentione procedere debeat, 39 et seq. Vid. *Intentio*. Quid de consensu indirecto, seu in causa, 42; vel præsumpto, 44. An requiratur utriusque consensus coexistentia physica, 45. — *Plenus et perfectus*, seu plene deliberatus, 46 : an plene voluntarius, 47. — *Vitia* consensui nociva, 48 : error, 49 et seq.; dolus, 61 et seq.; vis et metus, 66 et seq.; læsio, 81 et seq. Vid. hæc verba. — Quid de consensu dato ab *inhabilibus* pro tempore habili, 318 et seq.; vel ab habilibus pro *tempore inhabili*, 321. — *Novus* an dissolvat contractum, 377 : *unius* an ad id sufficiat, 838, 839.

Contractus. Natura et origo, 2, 3. Definitio, 6. Quid essentia, natura, accidens, 7. Divisio multiplex : unilateralis, et synallagmaticus, et iste vel perfectus, vel imperfectus, 8; gratuitus, et onerosus, hic autem commutativus, vel aleatorius, 9; principalis, et accessorius, 10; realis, et consensualis, 11 : an hodie sint apud nos contractus reales, 1019; solemnis, et non solemnis, 12; purus, et qualificatus, 13; nominatus, et innominatus, 14; bonæ fidei, et stricti juris, 15; proprie dictus, et quasi-contractus, 16. Divisio contractuum in specie, 471. — *Conditiones* requisitæ, 18 : ex parte consensus, 19 et seq.; in ordine ad leges, 88 et seq.; ex parte contrahentium, 174 et seq.; ex parte materiæ, 209 et seq. Quo tempore concurrere debeant hæ conditiones, 245 et seq. — *Effectus*, 259 et seq. Vid. *Obligatio*. — An et quatenus firmetur per juramentum, 369 et seq. Vid. *Juramentum*.

Contrainte par corps quid sit, et quomodo spectetur in præsenti tractatu, 1395. In *materia civili* locum habet aliquando vi solius legis, aliquando ex sententia judicis, aliquando ex conventione partium, 1396 : plura in lege statuuntur his omnibus casibus communia, 1397. In *materia commercii* facilius admittitur, 1398. Item in materia *denariorum publicorum*, 1399. Hæc omnia ordinantur præsertim per legem 17 april. 1832, quæ plura statuit in qualibet materia applicanda, 1395, 1400.

Contrat a la grosse, 1012 et seq. Vid. *Nauticum fœnus*.

Contrebande (*marchandises de*) an possint esse materia contractus, 227 : speciatim assecurationis, *ibid.* et 963.

Contre-lettre quid sit, et quæ-

nam vis tali scripto tribui possit juxta leges, 450.

Contributions, *impôts, etc.* Quatenus de iis solvendis teneatur conductor seu locatarius, 787.

Cooperantes ad usuram quatenus teneantur ad restitutionem, 1326 et seq. Vid. *Restitutio.*

Correi qui dicerentur in jure Romano, 362.

Coulissiers. In negotiatione censuum publicorum quinam, et unde sic dicti, 1251. Fictitiæ sunt eorum conventiones, *ibid.* et 1256.

Courtage (*droit de*), seu salarium solutum proxenetis legalibus pro negotiatione censuum publicorum, quale sit, 1249, 1251.

Crédit (*à*) : an carius eo modo vendere possint mercatores, 1199.

Crédit ouvert, seu promissio mutui apud bancarium, an det locum auctario supra taxationem legalem, 1295.

Creditor quis dicatur, 6. Dominium rei acquirit vi contractus, ante traditionem, 266 et seq. Si adsit conditio, potest ante eventum exercere actus conservatorios sui juris, 311. Si terminus, jus suspenditur, 352. — An semper creditori fieri debeat *solutio*, 381. Non tenetur recipere nisi rem debitam, 402 : nec cogi potest ad recipiendum per partes, 404. — Si plures sint creditores, et bona debitoris non sufficiant, inter eos dividuntur, nisi quidam habeant jus prælationis, 383 : jus illud habent primum privilegiati, 385, 386 ; vid. *Privilegium ;* deinde hypothecarii, 387 : vid. *Hypotheca ;* tandem chirographarii, 388 : an aliquis inter eos ordo servandus, 389 et seq. Vid. *Solutio.* An possit unus præ aliis solutionem petere aut recipere, vel cum debitore specialem conventionem inire, 401. Vid. *Faillite.* — *Societatis* an præferendus creditoribus sociorum, 892. — An possit *assecurare* rem debitoris, 966.

Credita. Possunt ab uno ad alterum transferri, 744 et seq. Vid. *Jura.* — Si annexum habeant *auctarium*, qui ea acquirit contrahendo cum debitore, non habet jus ad illud, 1241. Si contrahat cum creditore, variæ sunt auctorum opiniones, 1242 : quid tenendum, si auctarium debeatur ob periculum, 1243 ; si ob dotem non solutam, vel ob rem frugiferam nondum soluto pretio traditam, 1244 ; si titulo damni emergentis aut lucri cessantis, 1245 ; si ex pœna conventionali, vel sententia judicis, 1246.

Croupiers, seu socii adjuncti : quid de iis statuendum, 886.

Culpa est theologica vel juridica, 274. Si culpa debitoris præcessit casum fortuitum, de eo tenetur : cui incumbat onus probandi, *ibid.* — *Theologica* inducit obligationem compensandi damna, 275 : etiamsi res conditionate tantum deberetur, 307. — An et *juridica*, 276. Quotuplex hæc distingueretur, et quatenus esset præstanda ex jure Romano, 277 ; ex jure Gallico, variæ sententiæ, 278 : statuitur principium generale, 279 ; applicatur contractibus in quibus codex exigit curam boni patrisfamilias, 280 ; iis in quibus eamdem curam ac in rebus propriis, 281 ; iis de quibus nihil peculiare statuit, 282 : quid ergo ultimate tenendum, 283 : quid in muneribus et officiis, 285. Pro *foro conscientiæ*, culpa juridica in contractibus præstanda est saltem post sententiam, imo et probabilius ante, 284 : sed in muneribus et officiis, nonnisi post sententiam, 286. Quid in *quasi-contractibus* proprie dictis, 287.

Cura *boni patrisfamilias* in conservatione rei jure nostro exigitur modo generali, 278 ; speciatim in locatione, sequestro, commodato, tutela, et negotiorum gestione, 280 : *eadem ac in rebus propriis*, in deposito, et hærede beneficiario, 281. De societate, mandato, pignore, re ex indebito accepta nihil peculiare statuitur, 282. Quid ultimate tenendum, et quid in foro conscientiæ, 283 et seq. Vid. *Culpa.*

Curator ex jure Romano, 177. Ex jure nostro, concurrere debet ad quosdam actus *minoris emancipati ;* quomodo eligendus sit, 185. — An sit *inhabilis ad recipiendum* ab eo cujus est curator, 513.

D

Damnum *emergens*, quatenus sit titulus ad *vendendum* supra pretium commune, 689. — Est titulus ad aliquid percipiendum in *mutuo*, 1169 : modo mutuum sit vere illius causa, 1170; servetur æqualitas, 1171; moneatur mutuatarius, saltem de damno, sin de titulo, 1172. — *Compensari* debent damna ob contractum non impletum, 273 : non tamen regulariter quando orta sunt ex casu fortuito, 275. Unde requiritur *culpa*, vel theologica, 274; vel saltem juridica, 276 et seq. Vid. *Culpa*. Requiritur etiam generatim ut debitor sit in *mora*, 288 et seq. Vid. *Mora*. In quo consistere debeat hæc compensatio, 290. Si obligatio sit de *pecuniæ summa*, 291 : an in conscientia standum sit taxationi legis, 292 et seq.; an creditor possit recipere summam lege determinatam, quando nullum damnum passus est, 296. Si obligatio sit de *re aliqua præstanda*, standum conventioni, si adsit, 297; si non adsit, videndum an adfuerit dolus, 298.

Date. Quatenus requiratur in testamento, 562.

Debitor quis dicatur, 6. Ad quid teneatur in *obligatione dandi*, 265 : in *obligatione faciendi*, quatenus cogi possit, 271 : si desit suæ obligationi, tenetur compensare damna, 273; modo sit in culpa, 274 et seq., et in mora, 288 et seq. Vid. *Damnum*, *Culpa*, *Mora*. Si adsit *conditio*, tenetur exspectare eventum, 309 et seq. An possit solvere ante *terminum*, 352. Si sit debitis impar, an possit uni creditori præ aliis solvere, 393 et seq. Vid. *Solutio*. Ordinarie solvere non tenetur nisi in proprio domicilio, 410. Ad quid teneatur, si in clade communi rem propriam simul et alienam eripere nequeat, 440 et seq. Vid. *Interitus*.

Decoctio (*déconfiture*), quid sit : dicitur de iis qui commercium non exercent, 393. Quando aliquis in eo statu declaratur, quinam sint hujus declarationis effectus, 397. Vid. *Faillite*.

Découvert (*vente à*) quid sit in negotiatione censuum publicorum, 1251. quatenus valere possit, 1253.

Defectus *rei venditæ* : quotuplex genus distinguatur, 719. Ad quid obligetur venditor ob defectus circa substantiam, 720; circa quantitatem, 721; circa qualitatem, 722. Vid. *Vitia*.

Déguerpissement : modus quo olim debitor census reservativi se liberare poterat, 1044; non ita hodie, 1045.

Délaissement in materia assecurationis quid sit, et quatenus huic locus detur, 998.

Delegatio quid sit, et quomodo distinguatur a novatione, 422. — Qui delegatur a suo debitore ad solutionem accipiendam ab eo qui *usuras* debet, an teneatur ad restitutionem, 1333.

Delictum. Nemo potest obtinere *assecurationem* contra proprium delictum, 964. — Quatenus de eo *transigi* possit, 1016.

Demissio bonorum quid olim esset; hodie non admittitur, 640.

Demonstratio. Obligatio ad demonstrationem, 355.

Denaria *minorum* : An ex iis auctarium percipi possit, 1300 et seq. Vid. *Minores*. — *Publica* : quandonam eorum occasione locus detur apprehensioni corporali, 1399.

Denier (*au*) *dix, vingt, etc.* Sensus horum verborum, 1053, 1122.

Depositum quid sit, et quotuplex, 901. — *Proprie dictum*, qualis contractus sit, 902; illius objectum, 903; finis est essentialiter custodia rei, 904, postea identice reddendæ, 906. — *Voluntarium*, inter quas personas locum habere possit; quatenus debeant esse habiles, 909. Obligationes depositarii : quoad custodiam rei, *ibid.*; de qua culpa teneatur, 281; quoad restitutionem : quænam res

restituenda, et quid si perierit, 910; cui facienda restitutio, 911; quo loco, 912; quo tempore, 913. Obligationes deponentis, 914. Non admittitur compensatio, 428.—*Necessarium*, duplex: in casu incendii, etc., 915 : dat locum apprehensioni corporali, 1396; apud caupones (*les hôtelliers*), quid jura statuant, *ibid.* — *Improprie dictum*, 916. Vid. *Sequestrum.* — *Irregulare* quid sit, et quatenus differat a mutuo, 906.

Destinatio lucrativa quid sit, 1179. An sit titulus aliquid in mutuo exigendi, duplex adest opinio, 1180: anteponitur opinio negans, 1181: quid in praxi intersit, *ibid.*

Détail (*en*). Utrum merces eo modo carius vendi possint, 693.

Dies. Obligatio ad diem, 351. Vid. *Terminus.*

Différence quid sit in negotiatione censuum publicorum, 1251.

Dilatio solutionis an sit causa sufficiens mutandi pretium in *cambio locali*, 1100. — An titulus aliquid percipiendi in *mutuo*, 1193 et seq. : in casu venditionis *rei frugiferæ*, 1196 et seq. Vid. *Frugifera* (*res*). — An mercatores possint carius vendere *à crédit*, 1199 : an etiam ultra taxationum legalem auctarii, 1290. — *Coacta* an det jus ad auctarium, 1201.

Dispensatio *in radice* quid sit, et quandonam locum habere possit, 247. — *Juramenti* an postulari possit ab eo qui illud contractui adjecit, 374.

Disponibilitas bonorum. Quid de *nullitatibus* generatim quæ ipsam respiciunt, 154. — De *tempore* quoad eam respiciendo, 252 et seq. Vid. *Tempus.*

Dividende, quid sit, 866, 1262, 1265.

Dolus quid sit, et quotuplex, 61. Quandonam irritet contractum, quandonam rescindibilem faciat, 62 et seq. Quid, si proveniat a tertia persona, 65.

Domicilium *originis* quale sit, 96. — *Matrimoniale* quale dicatur, 98. — An possit mutari ad se subtrahendum legi, 100, 156, 172. Vid. *Fraus.* — Quale requiratur ut aliquis sit *fidejussor*, 1365.

Dommages-intérêts, quid eo nomine intelligatur, 273. Vid. *Damnum.*

Donatarius quo tempore *habilis* esse debeat ad donationem recipiendam, 249. — Qualis *acceptatio* ex ejus parte requiratur, 542 et seq., 34. — An et quatenus teneri possit solvere *debita* donatoris, 489; vel restituere *usuras* a donatore perceptas, 1323.

Donatio *inter vivos* definitur, 487. Est verus contractus, *ibid.* Debet transferre dominium actualiter, 488; irrevocabiliter, 489, et gratuito, 490. — *In causa mortis*, quid sit, 493. An admitteretur in jure Romano et Gallico veteri, 494 : an in jure novo, 495. — *Facultas donandi* est a jure naturali, 497 : competit iis omnibus quos lex non declarat inhabiles, 499. Vid. *Inhabilitas.* — Quænam *pars bonorum* donari possit, 527 et seq. Vid. *Portio disponibilis, Reservatio, Reductio.*— Generatim pluribus subjicitur *formis* quam cæteri contractus, et cur, 540 : quatuor generatim præscribuntur, 541 et seq. Vid. *Acceptatio, Notarius, Index æstimatorius, Transcriptio.* An omnes donationes his formis subjiciantur, 552. — *Manualis*, quid sit; est certo valida, 553 : quid, si agatur de bonis mobilibus incorporeis, 554; de donatione conditionata, sive irrevocabili, sive revocabili, 555. Qualis traditio requiratur, ut valeat donatio manualis, 556. — *Indirecta*, id est, vel simulata, vel accessoria, an subjiciatur formis solemnibus, 557. — Quid de donationibus *remuneratoriis*, vel *onerosis*, 558. — Quid *in conscientia* de donationibus in quibus servata non fuit forma, 282, 583, 598 et seq. Vid. *Forma.* An et quatenus donatio irrita in forma confirmari possit a donatore vel ejus hæredibus, 137, 138.— An et quibus de causis *revocari* possit donatio, 607 et seq. Vid. *Revocatio.* — Donationes *in causa matrimonii* sub-

jiciuntur formis minus rigorosis, 645. Non revocantur ob ingratitudinem, 609 : an ob supervenientiam filiorum, 611. Quonam tempore in iis necessaria sit habilitas donandi et recipiendi, 654. Si fiant sponsis *in contractu matrimonii*, quatenus ab aliis differant, 646, 650. De donatione bonorum præsentium, 647; bonorum quæ donatori supererunt tempore mortis, 648; bonorum præsentium et futurorum, 649. — *Inter sponsos* fiunt vel in contractu matrimoniali, vel durante matrimonio : regulæ utrisque communes, 651; speciales prioribus, 652, et posterioribus, 653. — Donationes *mutuæ* an revocentur ob ingratitudinem ; item et *remuneratoriæ*, 609 : an ob supervenientiam filiorum, 611. — Donatio est titulus aliquid percipiendi *in mutuo*, modo sit sincera, libera, et acceptata, 1188. Quid, si fiat ne altera vice mutuum denegetur, vel ne mutuatarius ingratus appareat, 1189. Aliquando est velum quo palliatur usura, 1290.

Dos, DOTALE BONUM. Hujus *venditio* absolute prohibita ; qualis sit venditionis nullitas, et a quo invocari possit, 674. — Fructus *pignoris* pro dote non soluta quatenus a genero percipi possint, 1227 et seq. Vid. *Pignus*. — Si dos *mercatori* committatur, an et quomodo possit exinde lucrum percipi, 1230.

E

EBRII an possint contrahere, 174. — *Semi-ebrius* an possit retinere lucrum ex *ludo* obtentum, 928.

EFFECTUS contractuum duplex, 259. Distinguuntur a consectariis, et quo statuto regi debeant, 102.

EFFETS PUBLICS, 1248. Vid. *Bourse*.

EMANCIPATIO quid sit et quotuplex, 185. Minor emancipatus quid possit, *ibid.* Quatenus ejus actus rescindi possint ob læsionem, 190.

EMERY (D). Ejus sententia de lucro percepto in mutuo quod dicunt negotiationis, 1347, 1348.

EMIGRANTES. An indemnitas ipsis concessa, solvenda sit hæredi, an illi cui hæreditas vendita fuit, 753.

EMPHYTEUSIS an hodie subsistat, et quatenus differat a locatione, 770.

EMPTOR. Quatenus possit invocare *nullitatem* venditionis, qua venditor ipsi tradidit rem non suam, 671; item compensationem *damni*, 673. An nullitatem venditionis *boni dotalis*, 674. — Non potest postulare rescissionem causa læsionis, 684. Quandonam possit emere infra pretium commune, 695. — In casu evictionis, recursum habet contra venditorem, 713 et seq.; item in casu vitii redhibitorii, 723. — Tenetur *pretium* solvere, 726 ; et aliquando *interesse*, 727 : item rem emptam tollere (*prendre livraison*), 731. — Ad quid teneatur quando adfuit pactum redimendi, 739 et seq. ; in emptione hæreditatis, 754. — Quid de emptoribus qui in auctione publica inter se paciscuntur, 759.

ENCHÈRES, 756 et seq. Vid. *Auctio*.

ENTREPRENEURS. Contractus cum iis initus quodnam objectum habeat, et quotuplici modo fieri possit, 808. Quid statuatur in jure : quoad interitum rei, 809; speciatim quoad constructionem ædificiorum, 810; quoad resolutionem contractus, 811.

ERROR quid sit, et quotuplex, 49. — *Substantialis* irritat contractum, 51 : quandonam talis sit, 52; in contractibus indissolubilibus, 56 ; dissolubilibus onerosis, 57 et seq ; gratuitis, 60. — *Accidentalis* aliquando irritat, aliquando non, 53. — *Juris* an distingui debeat quoad effectum ab errore facti, 54, 55 : an impediat quin executio testamenti vim habeat confirmationis, 144.

ESCOMPTE in emptione *mercium*, 1200. Vid. *Anticipata solutio*. — In emptione *chirographorum*, quid *Escompte en dedans, en dehors*, et quid de utroque sentiendum, 1247 : utrum bancarius teneatur stare intra limites

auctarii legalis, 1294. — In negotiatione *censuum publicorum* quid ea voce designetur, 1251.

Établissements *d'utilité publique*, 523 et seq. Vid. *Instituta*.

Evictio quid sit, et quatenus contra eam emptorem assecurare teneatur *venditor*, 713 et seq. Vid. *Assecuratio (garantie)*. — An *donator* teneatur de evictione erga donatarium, 491.

Exécution parée (*voie d'*) quid sit, et quandonam detur, 262.

Exsecutio voluntaria actus irriti quandonam includat ejus confirmationem, 144.

Exsecutor testamentarius quid sit, et quænam ejus officia et jura, 581.

Expromissio quid esset apud Romanos, 1362.

Expropriatio coacta quid sit, 756, 1390 : dicitur solum de bonis immobilibus, *ibid.* (de mobilibus, vid. *Saisie*). Quænam bona huic subjiciantur, 1391; ad quosnam pertineat hanc provocare, 1392; contra quosnam, 1393; quisnam ad hoc titulus requiratur, 1394. — Quo *statuto* regantur quæ ad illam spectant, 98.

Exstinctio *obligationum*. Quibus modis exstinguantur obligationes, 376. An per novum contrahentium consensum, 377. Vid. *Compensatio legalis, Condonatio, Confusio, Interitus rei, Novatio, Solutio.* — Exstinctio promissionis, 481; mandati, 838 et seq.; societatis, 894 et seq ; assecurationis, 1006 et seq.; transactionis, 1018; census vitalitii, 1079, 1080; fidejussionis, 1371; hypothecarum, 1389. Vid. *Rescissio, Resolutio, Revocatio.*

Extranei hodie æquiparantur regnicolis quoad *facultatem disponendi* et accipiendi, 512. — Quo statuto regi debeant *contractus* quos ineunt sive inter se, sive cum regnicolis, 102. — An liceat carius iis *vendere*, 694. — An *auctarium* in regione extranea stipulatum subjiciatur apud nos taxationi legali, 1298. — Quatenus subjiciantur *apprehensioni* corporali, 1396.

F

Faillite (*état de*) non dicitur nisi de iis qui commercium exercent; quid sit, 393. Qui per judicium declarati sunt in eo statu versari, jam non possunt de suis bonis disponere, 394, 663 : quoad actus anteriores, irriti sunt si fiant *in fraudem creditorum;* quidam autem legaliter præsumuntur fraudulenti, ex parte omnium contrahentium, quidam ex parte debitoris tantum, 395; quoad alios, probatio fraudis requiritur, et quatenus, 396. — Utrum *in conscientia* possit qui in eo statu versatur uni præ aliis solvere, varie resolvunt theologi, prout adest, vel non adest, *petitio creditoris* vel judiciaria, vel extrajudicialis, 398 : videtur non habendam esse rationem petitionis, 399; sed videndum an creditor cognoscat statum debitoris, 400, 401 : neque potest debitor per ullam compositionem seu conventionem uni e creditoribus favere, 401. — An possit sibi aliquid *occulte retinere*, 419. Vid. *Cessio bonorum.* — Dat locum dissolutioni mandati, 842; societatis, 897; assecurationis, 1008. — Quid in cambio efficiat circa *provisionem*, 1106.

Famuli qui dicantur ubi agitur de *locatione operarum :* non possunt sese obligare nisi ad quoddam tempus, vel ad opus determinatum; in discussionibus, fides hero adhibetur, 803. An solvi debeat stipendium, si non præstita opera, 804. Quid in casu morbi, aut mortis, *ibid.* An, si locatio facta fuerit viliori pretio, teneatur conductor pretium augere, 805. An qui pluribus eamdem operam locat, possit idem pretium exigere a singulis, ac si uni locaret, 806. — Famuli quatenus teneantur ad restitutionem ob *cooperationem ad usuras*, 1331.

Fermier, seu *conductor ordinarius*

agrorum. Quænam de eo statuantur, speciatim quando amittit partem fructuum, 797.

Feudale *pignus*, 1225.

Fideicommissum tacitum quid sit, 162. Differt a substitutione prohibita, 167. Si in gratiam personæ prohibitæ, est irritum, 162 : si adsit pactum, vel conditio expressa, 164; quid, si intentio donatoris deducatur tantum ex circumstantiis, 165; si adsit mera rogatio, aut spes, 166.

Fidejussio quid sit, et an licita, 1361. Qualis contractus, 1363. Irritus est, si irrita obligatio principalis; non potest ultra eam extendi, nec eam tollit, 1362. — Obligationis *ab uxore* contractæ an valeat, 201, 1362. — Tres *species* : quomodo differant, 1364. — *Exstinguitur* indirecte per exstinctionem debiti principalis; vel directe, variis modis, 1371.

Fidejussor debet esse habilis, habere domicilium, et bona sufficientia, 1365. Non solvente debitore, tenetur solvere, sed habet *beneficium excussionis*, 1366. Potest antea invigilare suæ securitati; et postquam solvit, recursum habet in debitorem, et subrogatur juribus creditoris, 1368. An possit postulare ut dividatur debitum, 404. An *remissio* ipsi facta liberet debitorem, et vice versa, 426. Quid de *compensatione* inter debita, 428. An possit a debitore lucrum aliquod percipere, 1369; an ultra taxationem legis, 292, 1292. — Si plures sint fidejussores, unusquisque tenetur de toto debito, sed ei conceditur *beneficium divisionis*, 1367. Inter cofidejussores quænam sint obligationes et jura, 1370.

Fiducie quid sit, et quomodo differat a substitutione prohibita, 623.

Filii familias qui dicerentur, et quænam eorum capacitas sub jure Romano, 177. Quatenus in conscientia obligarentur ex mutuo accepto, 180. Vid. *Minores*.

Foncière (*rente*), 1043 et seq. Vid. *Census*.

Fonds publics, 1248 et seq. Vid. *Bourse*.

Forfait (*à*), 810. Vid. *Ædificiorum constructio*.

Forma. An lex formam actuum præscribens sit eo ipso *irritans*, 110. — Specialis non requiritur in contractibus non solemnibus, 154. — Si desint formæ speciales præscriptæ pro *actibus minorum*, hi sunt prorsus irriti ad nutum eorum, 189 : si adsint, sunt, saltem plerumque, irrescindibiles, 191. — Quodnam *tempus* respiciendum quoad observationem formarum, 256 et seq.: an denuo adhibendæ sint quando actus fuit aliunde invalidus, 258. — An et quatenus irrita sint in conscientia *donationes* et *testamenta* in quibus servatæ non sunt formæ legales, 582 et seq. Quid ex jure Romano de hoc deduci possit, 583, 584. Quoad *testamenta*, 1ª opinio ea valida agnoscit, ex variis argumentis, quæ alii evertere conantur, 587 et seq.: 2ª opinio habet pro omnino irritis, 590, 591 : 3ª pro irritis post sententiam tantum, 592 et seq. Quoad *donationes*, variæ opiniones sub jure Romano, 598; sub jure Gallico veteri, 599; sub jure novo, 600, 601. Quid nobis tenendum videatur, 602 et seq.

Fraus. Quandonam actus censeatur in fraudem legis, 156. — Si lex sit irritans, actus est irritus, 157; in conscientia ante sententiam, 158; et non tantum rescindibilis, 159. — Præcipui modi, 160 : de re ad rem, 161; de persona ad personam, 162 et seq. Vid. *Interposita persona*, *Fideicommissum*; de contractu ad contractum, 168. Vid. *Simulatio*; de loco ad locum, 172. — Fraus quid operetur in *ludo*, 929.

Fructus e radice pendentes an vendi possint, 214. — Venditio fructuum quo sensu sumenda, 215. — An amissio partis fructuum det conductori agrorum jus obtinendi imminutionem pretii, 797. Quid de insolita ubertate, *ibid.* — Olim non poterat constitui *census* in fructibus solvendus, seu fructuarius, et quare, 1049.

Frugifera (*res*). Quando vendita fuit et tradita ante solutum pretium,

emptor debet *interesse*, 727. Quid in conscientia, si conventum fuerit de dilatione solutionis, 1196; si post contractum concessa dilatio, probabilius licet auctarium percipere, 1197. Quid, si contra emptor solverit pretium ante traditionem, 1198.

Fungibilis (*res*) quæ dicatur; ejus natura, 1026. — An *locari* possit, 774. In iis rebus usus non potest a dominio separari, 1147, 1152, 1155, 1274. — Valet *solutio* rei fungibilis facta a non domino, 380. — Cui pereat in *societate*, 874. — An mutuo rerum fungibilium a pecunia diversarum applicetur *taxatio legalis* auctarii, 1287.

Fur lucrum educens e pecunia furtiva non obligatur ad illud restituendum : quid inde circa prohibitionem usuræ ex jure naturali, 1150; circa titulum periculi, 1186.

Futura (*bona*) hodie non possunt esse objectum *donationis*, 488; nisi in causa matrimonii, 648, 649, 652 et seq. — An possint subjici *hypothecæ*, 1384.

G

Gains de survie : quid eo nomine olim intellectum, 533.

Gestio negotiorum distinguitur a mandato, 823 : est quasi-contractus, quando concurrunt quædam conditiones, 843. Quatenus necesse sit ut geratur negotium alterius, *ibid.*; voluntarie, 844; inscio domino, 845 : quid, si eo invito, 846. An requiratur intentio gerendi pro eo cujus interest, 847. — Quænam sint obligationes gestoris, 848, 280; illius cujus negotium actum est, 849 : quatenus requiratur ut negotium bene gestum fuerit, *ibid.* — An gestor jus habeat ad *salarium*, 850.

Græci quid sentiant circa usuram, 1112.

H

Habilitas. Vid. *Capacitas*.

Hæreditas. Quid intelligatur per *venditionem* hæreditatis : ad quid obligetur *venditor* quoad assecurationem, 750; quoad traditionem, sive de rebus quas non amplius habebat tempore venditionis, 751; sive de iis quas habebat, 752; sive de iis quæ post venditionem obveniunt, 753. — Ad quid obligetur *emptor*, speciatim quoad summam a venditore solutam quamvis ab hæreditate non deberetur, 754.

Hæres *institutus* quatenus olim differret, et hodie differat a legatario, 568, 572. Debet esse *habilis* tempore quo moritur testator, 251 : quid, si dispositio fuerit conditionata, 322; quid de tempore quo impletur conditio, 323. — Utrum et quænam obligationes et jura transeant ad hæredes contrahentium, 264. An conditio imposita possit impleri ab hæredibus debitoris, 346; an erga hæredes creditoris, 347. Quatenus hæredes possint agere ut satisfiat oneribus in testamento vel donatione appositis, 357. — Quatenus hæredes *usurariorum* teneantur ad restitutionem, 1321. — An si hæres *naturalis* testatori promiserit traditionem legati, etiamsi testamentum sit irritum, hac promissione ligetur, 605. — An valeat venditio facta ab hærede *putativo*, 672. — *Beneficiarius* de qua culpa teneatur, 281.

Hypotheca. Quid sit, 1382. Qualis momenti, et quam ardua legislatori sit hæc materia, 1381. — Quotuplex : *legalis* cuinam competat, et quomodo obtineatur ejus publicitas, 1383. *Judiciaria*, 1384. *Conventionalis* definitur, 1385; non potest attingere bona futura, *ibid.* — Confert creditori *jus prælationis* post privilegiatos, 383, 387 : an ad id requiratur inscriptio, 387; et quidem an in ordine ad creditores etiam mere chirographarios,

1386 : quomodo fiat hæc inscriptio, et qualis rigor adhibendus in observatione formarum, *ibid.* Confert etiam *jus contrà boni detentorem*, qui, nisi recurrat ad media luendi hypothecam, cogitur vel solvere omnia debita hypothecaria, vel bonum derelinquere, 1387, 1388. — Quomodo *exstinguantur* hypothecæ, 1389. — Quo *statuto* regendæ, 102.

I

Illegitimi (*filii*) inhabiles sunt ad recipiendum a parentibus ultra quod eis tribuitur a lege, 519. Hujus inhabilitatis motivum et vis, 520. An ea attingantur etiam qui non sunt legaliter agniti, 521.

Immobilia, vid. *Bona.*

Impensæ quænam refundi debeant a commodante; 1024; ab eo cujus negotium actum est, 849; a venditore in casu evictionis, 717, vel redemptionis, 738; a debitore qui pignus tradidit, 1376; in casu derelictionis boni hypothecæ subjecti, 1385. — Necessariæ ad traditionem rei venditæ a quo perferendæ, 709.

Impuberes qui dicerentur, et quænam eorum capacitas sub jure Romano, 177. Conventio ab iis inita ratihaberi nequit, 135.

Imputatio *solutionum* quid sit, et quomodo fiat a debitore, vel creditore, vel ipsa lege, 413. — Quatenus fiat imputatio *usurarum* in sortem, et quid inde deducendum circa earum restitutionem, 1313.

Incapacitas contrahendi ex jure naturali, 174; ex jure civili, 176. Vid. *Interdicti, Minores, Mortui civiliter, Uxores.*

Incendium. Quatenus locatarius domus de eo teneatur, 785.

Incorporea *jura*, vid. *Jura.*

Indemnitas emigrantibus concessa, 753. Vid. *Emigrantes.* — Debita ab assecuratore rei quæ periit, an solvenda creditoribus privilegiatis assecurati, an inter omnes indiscriminatim distribuenda, 1003.

Index æstimatorius quatenus requiratur in donationibus, 550.

Indossatio quid sit, 1088. Ejus origo, quotuplex distinguatur, et quinam ejus effectus, 1103.

Inexsecutio conditionum quatenus det locum revocationi contractuum, 342; donationis, 608; locationis, 789; assecurationis, 1007.

Infantes incapaces contrahendi; an accipiendæ donationis, 174. Quid de iis jus Romanum, 177, 178. Quid sub jure hodierno, 182.

Ingratitudo quatenus det locum revocationi donationis, 609.

Inhabilitas ad donandum vel recipiendum quotuplex distinguatur, 499, 510. — Cujus temporis ratio habenda ad determinandam habilitatem, 246 et seq. Vid. *Tempus* : quid in donatione circa inhabilitatem relativam, 251; an requiratur habilitas etiam post acceptationem, seu quando notificatur acceptatio, 249. — Quinam sint inhabiles ad donandum, sive inter vivos, sive per testamentum, 500 et seq. Vid. *Interdicti, Minores, Moniales, Uxores.* — Quinam inhabiles ad recipiendum absolute, 511 et seq. Vid. *Conceptus* (*nondum*), *Extranei* : relative, 513 et seq. Vid. *Concubini, Illegitimi* (*filii*), *Medici, Ministri cultus, Tutor, Xenodochia.*

Inscriptio *hypothecæ*, 1386, 1387. Vid. *Hypotheca.*

Insinuatio donationum cur inducta, et quamnam vim haberet in jure Romano, et Gallico veteri, 551. Quamnam nullitatem in conscientia produceret hujus omissio, 598, 599.

Instituta utilitatis publicæ quæ dicantur, 523. An possint dispositiones fieri in eorum gratiam *antequam existant*, 511. — Non valent donationes in eorum gratiam, nisi fuerint a rege approbatæ; cur, 523. Hæc prohibitio non respicit dispositiones titulo oneroso, 524; nec donationes manuales, 525 : quid de donationibus indi-

rectis, *ibid.*; vel factis per personas quæ supponantur interpositæ, præsertim si agatur de communitate non approbata? 526.— Quomodo *acceptari* debeant donationes ipsis factæ, 548. — Quomodo possint *transigere*, 1015.

Institution contractuelle, quid eo nomine intelligatur, 648, 649.

Intentio quotuplex, 39. Actualis non requiritur, *ibid.*; virtualis sufficit, 40; non vero habitualis, 41; nec interpretativa, 43. — Lucri in mutuo, 1159, 1190. Vid. *Spes*.

Interdictio, quid sit, et quomodo pronuntietur, 194. Quid lex statuat de actibus interdicti, 195. Quid de interdictione *legali*, 196. Quænam sit nullitas *in foro conscientiæ*, 198. — An interdicti possint *transigere*, 1015. An *mutuum* dare, 1038, vel accipere, 1039.

Interitus rei debitæ quatenus liberet ab obligatione: circa rem *indeterminatam*, 433; circa rem *determinatam*, 434: quid si interitus oriatur ex facto debitoris, sed inculpato, *ibid.* An liberet etiam eum cui res tradenda erat, quando agitur de contractu *bilaterali*, 435; de contractu *conditionato*, 436 et 307; de *venditione*, 437; de *locatione*, quæ discrepat sub eo respectu ab usufructu, 438, 781; de *societate*, 439, 269, 895. — Quid agere teneatur debitor qui *in clade communi* rem propriam simul et alienam eripere nequit, 440: si contractus sit in utilitatem creditoris tantum, 441; si debitoris tantum, 442, 1022; si utriusque, 443. Quale detrimentum requiratur ut qui rem alienam habet excusetur ab ea servanda, 444. — Si quis aliquod *opus exsequendum* suscepit, an ipsi, an conductori res pereat, 809. — Perimit *hypothecam*, 1389.

Interlignes quid efficiant in testamento, 561.

Interposita *persona* quæ dicatur, 162. Quænam personæ legaliter præsumantur interpositæ, 163; quænam de facto tales reputari debeant, 164 et seq. Quænam nullitas actus sic eliciti in gratiam personæ prohibitæ, 162. Vid. *Fideicommissum*.

Interpretatio contractuum fit ex regulis vel æquitatis naturalis, vel in jure traditis, 272.

Intervention (*payement par*) in cambio, quid, 1108.

Intimatio quid sit, 31. An consensus unius debeat alteri intimari, 31; an et ipsa acceptatio, 34. Quid speciatim in *donatione*, 542; quando traduntur in pignus *jura incorporea* mobilia, 1373.

Instrumentum conventionis accurate distinguendum ab ipsa conventione, 115. Nullitas unius non inducit nullitatem alterius, 152.

Ivetta (B.). An dici possit ejus tempore mutatam fuisse Ecclesiæ doctrinam circa usuram, 1140.

J

Jeux de Bourse: quænam conventiones pro talibus haberi debeant, 1251, 1256. Quamnam vim habere possint, 1253.

Judæi. An ipsis prohiberetur usura erga omnes judæos, 1128; an et quatenus permitteretur erga alienos, 1129. — Regulæ transitoriæ an. 1808 sancitæ quoad pignora ipsis tradita, 1377.

Judices, procuratores, scribæ, etc., emere nequeunt *jura litigiosa* sui fori, 664. — An teneantur restituere, quando ad *usuras* solvendas cogunt, 1329.

Jura *incorporea*. Quid sint, quotuplicis generis, et quatenus esse possint objectum venditionis, 744. Quomodo fiat eorum traditio, 745, 708. Quid includat hæc traditio, 746. Quid de assecuratione, sive juris, sive facti, 747. De pretio, 748. Vid. *Chirographa*. Si tradantur in *pignus*, traditio intimanda est debitori, 1373. — *Litigiosa* quæ dicantur, et quænam

de eorum venditione statuant jura, 755, 664.

Juramentum contractui accedens, quotuplex sit, et quos effectus producat, 360. Si accedat *contractui valido*, addit obligationem religionis, 370. Quid, si contractui *invalido*, sive ex jure naturali, sive ex jure positivo, 371 : quid speciatim in ludo, 937. Si contractui *rescindibili* ob nullitatem relativam, non inde validus apud nos efficitur contractus, 372; si rescindibili ob injuriam ab uno e contrahentibus alteri illatam, contractus non firmatur, sed juramentum servandum est ex virtute religionis, 373. An qui illud præstitit possit dispensationem postulare, 374; an etiam, ea non obtenta, solutum repetere, 375. — Adhibitum ad *probationem* obligationum, quotuplex distinguatur, 467 : *decisorium* quid sit, et quantam vim habeat, 468; item juramentum *judiciale*, quod dicitur vel *suppletorium*, 469, vel *in litem*, 470.

L

Labor in numeranda pecunia an sit titulus aliquid in mutuo exigendi, 1168. — An in lucro cessante deduci debeat pretium laboris quem mutuans adhibere debuisset, 1176.

Læsio quid sit, 81. *Effectus* in foro interno, 82; et externo, 83 : quoad majores, 84; quoad minores, 85. — An requiratur læsio ut sint rescindibiles *actus minorum*, 186; an sufficiat, 188. — Cui incumbat *onus probandi* læsionem, 189. — An et quatenus det locum rescissioni in *venditione*, 684 et seq. Vid. *Rescissio*. Idem locum non habet in *permutatione*, 765; nec in *locatione*, 771; nec in *assecuratione*, 985; nec in *transactione*, 1018.

La Luzerne. Operis ejus de usura analysis, 1117 : quid de eo sentiendum, 1230, 1335.

Lator *litterarum cambii* quis dicatur, 1088 : ejus jura et obligationes : potest exigere *acceptationem*, 1104; debet exigere *solutionem* die assignato, 1105; quodnam jus habeat in *provisionem*, 1106.

Legatarius quatenus olim differret ab hærede, 568. Quotuplicis hodie generis sint legatarii, 571. Quænam sint *jura* legatariorum universalium, 572; titulo universali, 573; titulo particulari, 574. — Quænam *onera* imponantur legatario universali, si solus hæreditatem accipiat : an teneri possit ultra vires hæreditatis, 576 : si concurrat cum hærede legitimario, 577; an teneatur de debitis erga creditores, an solum erga legitimarium, 578 : quænam legatario titulo universali, 579; quænam legatario titulo particulari, 580. — An legatarii *usurariorum* teneantur ad restitutionem, 1322.

Legati (*ambassadeurs*) non subjiciuntur legibus locorum in quibus munus suum obeunt, 101.

Legatum quomodo differret a testamento sub jure Romano et Gallico veteri, 568 : speciatim in ordine ad confirmationem ab hærede faciendam; quid hodie tenendum, 583, 584. — *Rei alienæ* an valeat ex jure civili, 237. — *Conditionatum* quomodo differat a substitutione prohibita, 626. Sub conditione potestativa an sit obligatorium, 325. An conditio impleta habeat effectum retroactivum, 314.

Leonina (*societas*) quid sit, et quatenus prohibeatur, 878 et seq. Vid. *Societas*.

Lex civilis an possit irritare contractus in conscientia ante sententiam judicis, 88. — Quanam lege regi debeant contractus, 89 et seq. Vid. *Statutum*. — *Irritans* quomodo discernatur, 105 et seq. Lex prohibens non est eo ipso irritans, 106-108, 328. Si a lege oriatur potestas eliciendi actum, an ex neglecta forma sit semper irritus, 111. — An possit creare *titulum* ex quo lucrum percipiatur *in mutuo* : affirmant non pauci, 1276; quibus contradicunt alii plures, nixi

tum auctoritate multiplici, 1277 et seq., tum ratione, 1280 : istorum opinio videtur probabilior, 1281 : nec contrarium educi potest ex Responsis Romanis, 1316. An legislator apud nos sufficienter voluerit hunc titulum creare, 1282. Series legum nostrarum, 1283. Vid. *Taxatio*. An saltem in quibusdam casibus specialibus vim habere possit lex circa auctarium, 1299. Vid. *Denaria minorum, Ærarium publicum*.

Licitatio quid sit, et quotuplex, 756. Vid. *Auctio*.

Liquidatio societatis dissolutæ quomodo fiat : liquidatorum obligationes et jura, 900.

Lis. *Assecurationes* de exitu litium quatenus prohibeantur, 964. — Quatenus possit esse objectum *transactionis*, 1016.

Livraison. Quatenus emptor teneatur, ut dicunt, *de prendre livraison* : si desit, quænam jura venditoris, 731.

Locatio - conductio. Quid sit et quotuplex, 766. Variarum specierum nomina, et quibusnam regulis subjiciantur, 767. — *Rerum*, quid sit ; quatenus differat ab usufructu, 769. Fieri nequit in perpetuum, 770. Quale debeat esse pretium, 771. Locari possunt omnia bona immobilia, et mobilia, exceptis tamen fungibilibus, 774 ; ac proinde pecunia, 1113, etc. Vid. *Pecunia* : quid de re aliena, 774. Inter quos iniri possit locatio, 775. Nulla specialis forma præscribitur ; quomodo probetur, 776. — *Locator* tenetur rem tradere conductori, 777 ; ipsi præstare liberum usum rei : quid de reparationibus, de alluvione, 778 ; rem assecurare, sive quoad vitia rei, 779, sive quoad interitum, 780, sive quoad perturbationem a tertio illatam, 781. — Quomodo *conductor* debeat re uti, 782 : de qua culpa teneatur, 280. An possit sublocare, vel locationem transmittere, 783. In quonam statu rem reddere teneatur, 784. Quid in casu incendii, 785. Quatenus teneatur de damnis illatis per personas quæ de domo ejus sunt, 786. Quatenus teneatur solvere pretium, et tributa, 787. — Quomodo cesset locatio, sive terminus assignatus fuerit, sive non, 788. An per venditionem rei locatæ, 790. — Dantur regulæ speciales pro locatione ædium et *bonorum ruralium* ; quo sensu sumendæ, 791. Indicantur regulæ quoad locationem *ædium*, de obligationibus locatoris, 792 ; locatarii, 793 ; de duratione locationis, 794 : quoad locationem *agrorum*, de obligationibus locatoris, 795 ; conductoris, si sit colonus partiarius (*métayer*), 796, vel conductor ordinarius (*fermier*), 797 ; de duratione locationis, 798. — De locatione *mobilium*, 799 : bonorum *nationalium*, communium, etc., 800. — Locatio *operarum* quid sit, et quatenus differat a mandato, 801. Tres præcipuæ species distinguuntur, 802. Vid. *Famuli, Entrepreneurs, Vectores*. — De locatione *animalium*, 812 et seq. Vid. *Cheptel*.

Locator, *locatarius seu conductor* qui dicantur, speciatim quando agitur de locatione operarum, 766. Ejus obligationes, 777 et seq. Vid. *Locatio*. — Qui domum suam locat *usurario*, an teneatur ad restitutionem, 1332.

Locus regit actum : est axioma receptum, 99. An applicetur in casu fraudis, 100 ; matrimonii, *ibid.* ; actuum sub signo privato, 101 ; testamenti olographi, *ibid.* An sit regula imperativa, an tantum facultativa, *ibid.*

Lombardi, 1236. Vid. *Montes pietatis*.

Loteria quid sit, 947 ; quotuplex, 948 : series legum ea de re, *ibid.* — Potest esse licita, 949 : modo serventur debitæ conditiones, 950.

Lucrum cessans, quatenus sit titulus ad *vendendum* supra pretium commune, 689. — Est titulus aliquid exigendi *in mutuo*, 1173 : modo sit certum aut probabile, 1174 ; vere oriatur ex mutuo, 1175 ; moneatur mutuatarius, *ibid.* ; servetur æqualitas, 1176 ; statim non exigatur, 1177 ; et mutuatarius non versetur in necessitate, 1178.

Ludus generatim quid sit, et quid

de eo statuant theologi, 921. Hic spectatur ut *contractus*, 922. Quotuplex distinguatur, 923. Ludus cum pacto lucri, ex jure naturali non est per se illicitus, quamvis sæpe periculosus, 924. Quid statueret jus Romanum, et Gallicum vetus; quid jus novum, 925. Quid SS. Canones quoad clericos, 926. — Ad *justitiam* ludi requiritur, ut ludentes possint disponere de iis quæ exponunt, 927; ut adsit liber ludentium consensus, 928; ut serventur ludi leges, 929; æqualitas inter ludentes, 930 : quid, si ludant duo sibi invicem ignoti, 931. — Ad *honestatem* ludi requiruntur conditiones : ex parte finis. 932; quid, si intendatur unice, aut præcipue lucrum? *ibid.*; summæ quæ exponitur, 933; vid. *Preces*; temporis, 934; personarum, 935; circumstantiarum, 936. — Qualis *obligatio* exsurgat ex ludo prohibito, 937 : ex jure Romano, et Gallico veteri, 938; ex jure novo, 939. Obligatio ex ludo non potest esse objectum *fidejussionis*, 1362.

M

Majoratus quid sint, et quid de iis statuat jus nostrum, 621, 639, 1391.

Mandat in materia cambii quid dicatur, 1091.

Mandatarius emere nequit bona suæ administrationi credita, 664. — Ejus obligationes, 832 et seq. Vid. *Mandatum*. — Generalis nequit transigere, 1015.

Mandatum quid sit, 822 : quomodo differat a procuratione et negotiorum gestione; hic spectatur *in ordine civili*, non vero in ordine commerciali, 823. Quatenus necessarium sit ut negotium commissum sit in gratiam mandantis, 824; ut geratur ejus nomine, 825; ut geratur gratuito, 827; ut mandans et mandatarius sint negotii gerendi capaces, 826. — Est contractus consensualis, regulariter loquendo; synallagmaticus imperfectus, 828; non solemnis : an abrogatum fuerit mandatum *tacitum*, 829. — Est vel generale, vel speciale, 830. Quid, si mandatarius non steterit pretio per mandatum determinato, 831. — *Mandatarius* tenetur implere mandatum, 832; negotium diligenter gerere, 833, 282; rationem reddere, 834. — *Mandans* tenetur erga tertium implere obligationes a mandatario contractas, 835; erga mandatarium, ipsum indemnem servare, 836 : quid, si plures mandatarium constituerint pro negotio communi, 837. — *Solvitur* per revocationem expressam vel tacitam, 838; per renuntiationem mandatarii, 839; per mortem mandantis, 840; aut mandatarii, 841; per interdictionem aut decoctionem alterutrius, 842.

Marchés a terme. In negotiatione censuum publicorum quænam conventiones sic vocentur; quænam dicantur *marchés fermes*, quænam *marchés libres ou à prime* : quomodo iniri soleant, 1251. Si expendantur *ex principiis generalibus juris*, nihil occurrit per se injustum ex parte pretii, 1252 : quid vero, si attendantur varii modi quibus ineuntur, 1253. Si *ex dispositionibus legum*, earum series, 1254 : diversa pro diversis temporibus *jurisprudentia*, 1255; *auctores* inter se divisi, 1256 : quæstio, speciatim quoad conscientiam, solvenda videtur ex principiis generalibus juris, 1257. An iisdem legibus attingantur conventiones circa *actiones* variarum societatum, 1262.

Marrons qui dicantur in negotiatione censuum publicorum, 1251.

Martinus V : de ejus Constitutione contractum censualem approbante, 1048.

Mastrofini. De eo et ejus opere circa usuram, 1118. Quid de opere sentiendum, 1146, 1335.

Materia contractus, quid, 209. Quatenus debeat esse *possibilis*, absolute vel relative, partim vel in totum, 210 et seq. *Existere*, vel nunc, vel in futurum, 213 et seq. Esse *determinata*, quoad qualitatem et quanti-

tatem, 216. Pretio *æstimabilis*, 217. In *commercio*, 218 : quænam sint extra commercium ex jure naturali aut divino, 219 : vid. *Spiritualis (res)* ; ex jure civili, 227. *Ad contrahentes spectare*, 229 : an quis possit pro alio stipulari, 230 et seq. ; an promittere rem alteri debitam, 234, 235, vel actu alienam, 236, 237; an factum alienum, 238 et seq. Aliunde *indebita*, 241 et seq. — Quo tempore materia debeat esse apta, 252 et seq. Vid. *Tempus*.

Matrimonium. Quoad *originem* multum differt a cæteris contractibus, 2. — Essentialis est in eo *consensus* internus, 21. — Quis *error* irritet, 56. — Quo jure *metus* irritet, 76; non irritat metus levis, 79. — Quo *statuto* regatur forma illius celebrationis, 100, 156 : quo item statuto conventiones matrimoniales, 98. Utrum in iis applicetur taxatio legalis auctarii, 1293.

Medici, *chirurgi, etc.*, quatenus sint *inhabiles* ad recipiendum ab illo cui in ultimo morbo curas præbuerunt, 517. Vis hujus legis *in conscientia*, 518.

Mendacium an adsit in venditione simulata, 171.

Meretrices an possint retinere lucra ob meretricium percepta, 338.

Merx, seu res vendibilis, 666 et seq.

Métayer, 796. Vid. *Colonus*.

Metus quid sit, 66. — Quotuplex, 67. — Quid operetur generatim circa contractus, 68 et seq. ; gratuitos, 71; onerosos dissolubiles, 72 et seq. ; indissolubiles, 76. — Quid de metu reverentiali, 66 ; de metu relative tantum gravi, 77 ; levi, 78. — An hæc applicanda *pactis publicis*, 80. — Quid operetur metus in contractu *ludi*, 928.

Ministri cultus, quinam, et quatenus sint inhabiles ad recipiendum ab iis quibus curas præbuerunt in ultimo morbo, 517. Quid in conscientia, 518.

Minores. Qui dicerentur in *jure Romano*, 177. Quatenus obligarentur in conscientia, 178 et seq. — Quid sub jure *Gallico veteri*, 181. — Sub *jure hodierno*, quotuplex minorum status, 182. Quid possint sub potestate paterna, *ibid.* ; sub tutela, 183, 184; emancipati, 185. — Quænam sit *nullitas* actuum quos eliciunt ; principia generalia, 186 et seq. Applicantur variis speciebus actuum, 189 et seq. Quid, si minor alterum deceperit ? 190. Quænam læsio requiratur, 85. Quid *in conscientia* de actibus minorum, 192. Quid, si alter contrahens ignoraverit minoritatem, si ipse minor scienter egerit, factus sit ditior, vel delictum commiserit, *ibid.* — Quædam restrictiones afferendæ decisionibus generalibus, 193. — An et quatenus *donare* possint, sive inter vivos, sive per testamentum, 500 et seq. — Quomodo *acceptari* debeant donationes ipsis factæ, 545 et seq. — An minor retinere possit lucrum ex *ludo* obtentum, 927. — An possit contractum *assecurationis* inire, 974. — An *transigere*, 1015. — An *mutuum* dare, 1038, vel accipere, 1039. — An *fidejubere*, 1365. — An liceat *lucrum* percipere ex *denariis* minorum mutuo datis, 1300 : si injuste perceptum fuerit, a quo restitutio facienda, 1303. Vid. *Tutor*. — An possint *interdici*, 194 ; subjici *expropriationi*, 1393 ; *apprehensioni* corporis, 1397.

Missæ. Legatum factum cuidam communitati ut missæ celebrentur pro testatore, an indigeat approbatione regia, 524.

Mobilia, vid. *Bona*.

Modus in contractibus quid sit, 356. In dubio an præsumatur modus, an conditio, 358. An eo non servato, actus corruat, 357.

Mohatra (*contractus*) quid sit ; an aliquando ab usura excusari possit, 1207, 1290.

Moniales quatenus ex decreto 1809 et lege 1825 possint disponere, sive per testamentum, sive inter vivos, 509.

Monopolium, quid sit et quotuplex, 700. — *Auctoritate publica*, est licitum, positis quibusdam conditionibus, *ibid.* — *Auctoritate privata*, quatenus sit illicitum, si unus vel

pauci coemant omnes merces cujusdam generis ut raritatem et caritatem inducant, 701; si impediant ne aliunde merces advehantur, 702; si inter se conveniant ut nonnisi tali pretio vendant, 703. — Ex iisdem principiis judicandum de iis qui conveniunt nonnisi certo pretio *emere*, 704. — An monopolio semel facto, liceat vendere pretio quod monopolium induxit, 705.

Montes pietatis quid sint : eorum origo, et quotuplicis generis distinguantur, 1231. Licitum est auctarium quod percipiunt, 1232 : non potest tamen majus exigi ut mons augeatur, 1233. Sed qui pecuniam apud Montes deponunt non videntur jus habere per se ad auctarium, 1234; quamvis excusentur ipsi Montes qui solvunt ex necessitate, 1235. — Quid de *Lombardis;* an possint privata auctoritate erigi, 1236. — *Apud nos* quales Montes existant, et quibusnam legibus regantur, 1237 : qualiter mutuum dent, et quale auctarium percipiant, 1238; quale item mutuum recipiant, et auctarium solvant, 1239. Non iis applicantur regulæ codicis Civilis de pignore, 1377.

Mora debitoris in eum rejicit *casus fortuitos*, 274. — An requiratur, ut adsit obligatio compensandi *damna*, 288. Quomodo debitor constituatur in mora coram lege civili, *ibid.;* quid in foro conscientiæ, 289. — Requiritur, ut clausula pœnalis effectum suum sortiatur, 368.

Mors civilis quid sit et quandonam incurratur, 204. An orta ex sententia condemnatoria vim habeat in regnis alienis, 97. — Privat omnibus et solis juribus civilibus, 205. — Effectus mortis civilis quoad bona acquisita, 206; et acquirenda, 207. — Conscientiam attingunt legis dispositiones, 208. — Quatenus per eam solvatur *mandatum*, 840, 841; *societas*, 897; non solvitur *census vitalitius*, 1079.

Motivum. Error circa motivum quatenus irritet contractus onerosos, 59; gratuitos, 60.

Mutiana (*cautio*) quid sit, 350.

Mutuum. Ejus natura, seu objectum materiale et formale : definitio, 1026. Quatenus pro objecto habeat rem primo usu consumptibilem, seu fungibilem, 1027. Non perficitur, nisi duo consentiant circa eumdem contractum, 1028; et nisi res tradita fuerit, 1029. Transfert dominium, 1030, 1146. Qualis contractus sit; an essentialiter gratuitum, 1040. — Tenetur *mutuatarius restituere*, nec liberatur per interitum rei, 1031; *rem similem* in bonitate et quantitate : si agatur de pecunia, ratio habetur solius valoris extrinseci; si autem de aliis mercibus, solius valoris intrinseci, 1032 : sed potest iniri conventio in alio sensu, saltem si nec augmentum, nec imminutio valoris prævideatur, imo forsan etsi prævideatur alterutrum, 1033. Quo tempore fieri debeat restitutio, 1034. — Obligatur saltem aliquo modo et ipse *mutuans:* debet aperire vitia rei; non repetere ante tempus, 1035; nil exigere ultra sortem, 1036. Vid. *Usura*. — Quatenus mutuum sit *de præcepto*, 1037. — Quinam mutuo dare vel accipere possint : mutuans debet habere dominium rei, quatenus; et capacitatem alienandi, 1038. Quatenus mutuo accipere possit minor, aut interdictus, vel ejus tutor, 1039. Quid de mutuo præstito filiis familias statueret jus Romanum, 177, et Gallicum vetus, 181 : quid tunc in conscientia, 180. — *Negotiationis :* quid eo nomine intelligatur, 1267. Ad Ecclesiam spectat determinare an ex eo lucrum percipi possit, 1268. Illud attingi per prohibitionem usuræ, ostenditur ex Benedicto XIV, 1269, 1270; ex auctoritatibus ante allatis, 1273; item ex ratione, adstruendo non sufficienter differre a mutuo consumptionis, 1274 : non tamen est absolute definitum, 1273, 1347, 1348.

Mysticum testamentum, 566.

N

Nantissement, 1372 et seq. Vid. *Pignus.*

Nauticum foenus, Gallice *Contrat à la grosse*, quid sit, qualis contractus, et quatenus conveniat cum assecuratione, 1012. Licitum vulgo agnoscunt theologi, 1013. — Non attingitur per *taxationem* legalem auctarii, 1291.

Naviganti (*Cap.*), e libro Decretalium, variis dat locum interpretationibus, 1183.

Navis, licet res mobilis, potest subjici cuidam hypothecæ, 1382.

Non potest: an hæc verba sufficiant ad indicandam legem irritantem, 109.

Notarius. Quatenus requiratur ejus interventus in *donatione*, 541. — Emere nequit *jura litigiosa* sui fori, 664. — Si conficiat *contractus usurarios*, quatenus teneatur ad restitutionem, 1330. — Subjectus aliquando *apprehensioni corporis*, 1396.

Novatio quid sit, 420. Quotuplici modo fieri possit, 421 : aliquando fit per delegationem, 422. Ejus effectus, 423.

Nullitates. Quotuplicis sint generis, 113 et seq. — Quandonam sint *pœnales*, 114. — *Pleni juris*, vel simpliciter *juris*, quæ dicantur : ex rerum natura, 116; ex jure Romano, 117; sub jure Gallico veteri quid *Nullités d'Ordonnance, de Coutume*, 118; sub jure novo, 119 et seq. — Quid *absolutæ*, quid *relativæ*, 124, 125 : quis effectus nullitatis relativæ, specialim ante sententiam, 126. — An et quatenus per confirmationem seu *ratihabitionem* tolli possint, 127 et seq. — Quænam sit *in conscientia* vis nullitatis fundatæ in lege determinativa proprietatis, 147; in præsumptione facti, 148; in ordine publico aut bonis moribus, 149; motivo boni publici, 150; motivo boni privati, 151: respicientis solum instrumentum, 152; latæ in pœnam delicti, 153. — Vis nullitatum generatim circa disponibilitatem bonorum, capacitatem personarum, formas actuum, 154. — An nullitas tolli possit per *juramentum* contractui adjectum, 371. — Quatenus urgendæ sint, quando agitur de *inscriptione hypothecarum*, 1385.

Nummi. Vid. *Pecunia.*

O

Objectum contractuum, vid. *Materia.*

Obligatio est civilis, naturalis, aut mixta : quinam effectus obligationis *naturalis*, 261, 179, 588. — Realis, personalis, vel mixta, 264. — Oritur ex contractu, 259 : et quidem regulariter obligatio *civilis*, 262; bona fide implenda, 263 : an transmittenda ad hæredes, vel etiam ad successores titulo particulari, 264; an idem dicendum de obligatione meræ fidelitatis, 480. — *Dandi* adstringit debitorem ad rem tradendam et interim servandam, 265. Confertur creditori dominium rei vi contractus, etiam ante traditionem, 266, 267 : principii hujus consectaria, de re duobus successive obligata, 268; de interitu rei per contractum obligatæ, 269 : an idem dicendum de obligatione orta ex quasi-contractu, 270. — *Faciendi* quo sensu apud nos intelligatur, 271. — Obligationes puræ et qualificatæ : variæ modificationes, 299. Obligatio *ad causam*, quid sit, 354; ad *demonstrationem*, 355; ad *diem*, seu ad terminum, 351 et seq.; ad *modum*, 356 et seq. Vid. *Modus.* — *Alternativa*, quid sit, 359 : distinguenda ab obligatione *facultativa*, 261 : quid, si res una non possit esse objectum obligationis, vel pereat? 360. An æquivaleat obligationi absolutæ, 1362, 1219. — Cum *clausula pœnali*, 367, 368. Vid. *Clausula.* — *Conditionata*, 300 et seq. Vid. *Conditio.* — *Dividua* vel individua, 365, 366. — *Juramento* firmata, 369 et seq. Vid. *Juramentum.* — *In solidum*, 362 et seq. Vid. *Solidaritas.* — Obligatio orta ex con-

tractu quo *statuto* regi debeat, 102. — *Mutuandi in posterum* an possit imponi mutuatario absque usura, 1163. — *Non repetendi sortem* ante quoddam tempus an possit esse titulus aliquid exigendi in mutuo, 1192.

Officia et munera publica an possint esse materia *contractus*, 228; speciatim *societatis*, 853. — De *culpa* in iis præstanda, 285, 286.

Oleum (*sanctum*): pro eo pretium accipere vetitum, 223.

Olographum testamentum, 561 et seq. Vid. *Testamentum*.

Operarii (*ouvriers*). Vid. *Famuli*.

Opérations *de Banque, de Bourse*, vid. hæc verba.

Originalis titulus quid sit, et quænam illius vis, 456.

P

Pactum diversum a contractu apud Romanos, 4; an apud nos, 5. — *Addictionis*, seu *adjectionis in diem*, quid sit, et an justum, 742. — *Legis commissoriæ* est affine cum pœna conventionali. 1205. In *vendítione*, quid sit, et an licitum, 741 : item in *pignore*, tum ex principiis generalibus, tum ex jure positivo, 1223. — *Redimendi*. Quid sit *venditio* cum pacto redimendi, 733. Licita est cum pacto *in gratiam venditoris*, 734 : si in gratiam *emptoris*, potest absolute esse licita, sed est valde periculosa, 735, 1290. Vera illius natura, 736. Ad quid obligetur venditor jure suo utens : quale pretium restituere debeat, 737; quænam alia, 738. Emptor debet restituere rem : quid si augmentum aliquod acceperit, si inventus thesaurus, 739; non tenetur restituere fructus perceptos, 740. — Pacta *mutuo adjecta* aliquando recidunt in usuram prohibitam, 1161 et seq. Vid. *Usura*.

Pagès. De ejus opere circa usuram, 1117, 1118.

Partitio bonorum inter hæredes quatenus olim admitteretur, et nunc locum habere possit, 640. Fieri potest sive testamento, sive donatione inter vivos, 641. Necessarium non est ut extendatur ad omnia bona, sed debet extendi ad omnes filios, 642. Qua de causa *rescindi* possit, 643. An illi quibus fit partitio teneantur solvere *debita* disponentis, 644. — Bonorum *societatis* dissolutæ quomodo fieri debeat, 900. — In partitionibus unius generatim admittitur, etiam inter majores, rescissio *læsionis* causa, 84.

Pauperes. An valeat testamentum de summa distribuenda pauperibus, a legatario vel alia persona designandis, 570. — Quatenus exstet præceptum de mutuo ipsis dando, 1037. — Utrum ibi valere possit titulus *periculi*, 1186. — Cur de iis loquantur SS. Patres usuram insectantes, 1136.

Pecunia ut objectum *cambii manualis* habetur pro merce vendibili, 1083. — In usu communi habetur tantum ratio *valoris legalis*, 406, 1032. An possit iniri pactum de attendendo *valore intrinseco*, 1033. An possit quædam species pecuniæ æstimari supra valorem legalem, 1085 : an infra, ob prævisionem imminutionis, 1087. — Est primo usu *consumptibilis*, 1147. Quatenus dicatur *sterilis*, 1148. An *locari* possit, 1113, 1149, 1152, 1155.

Pensio alimentaria. An de ea *transigi* possit, 1016.

Periculum *damni emergentis* in mutuo est titulus aliquid exigendi, 1182. Item periculum *juris* circa sortem, seu a mutuante in se susceptum, 1183. Non vero periculum *facti* ordinarium, 1184. *Extraordinarium* multi admittunt ut legitimum, 1185; alii rejiciunt, 1186. Anteponitur prior opinio : sed requiruntur variæ conditiones, quæ non raro desunt in praxi, 1187.

Permutatio, quid sit, 762. Quænam ejus natura : quid, si inæqualitas

rei cum altera compensetur per aliquam pecuniæ summam, 763. Regulæ venditionis applicandæ permutationi, nisi lex aliud statuat; speciatim quoad permutationem *rei alienæ*, 764. Quatenus differat a venditione, speciatim quoad rescissionem *læsionis* causa, 765. — Aliquando sub ejus specie occultatur *usura*, 1290.

Perturbatio sive juris, sive facti, in usu rei locatæ, quasnam obligationes inducat pro locatore, 781.

Pignoratitius contractus, quid sit, 734. — Pignoratitium *mutuum*, quid, 1223.

Pignus, Gallice *Nantissement*, quid sit, et qualis contractus, 1372. Creditor jus habet rem sibi oppigneratam *detinendi* usque ad integram solutionem, 1374; et *solutionem accipiendi* ex pretio præ cæteris creditoribus, 1373; unde plura præscribuntur ut constet de pignore, *ibid.* : tenetur creditor, rem custodire, fructus imputare, rem reddere post solutionem, 1375; de qua culpa teneatur, 282 : an possit *præscribi* debitum, servato pignore per 30 annos, *ibid.* — Ipse debitor tenetur refundere *impensas* necessarias aut utiles, 1376. —*Feudale*, quid sit : dominus directus potest non imputare in sortem fructus feudi, et cur, 1225. — Idem locum habet in pignore *beneficiali*, 1226. — Item in pignore *dotali*, 1227 : quod explicatur per varias hypotheses, 1228. Fructus percipi possunt, licet gener dotem relicturus fuisset otiosam, vel ab alio quam socero fuerit constituta, 1229. Quid, si constituens ferat onera matrimonii, vel si gener pignus acceptum oppigneret alteri, vel si maritus moriatur ante dotem solutam, *ibid.* Quid de *pignore dato viduæ* ob dotem ab hæredibus mariti non restitutam, *ibid.*

S. Pius V. Ejus Constitutio contra *censum* personalem, 1050; circa *cambium*, 1094, 1101.

Poena conventionalis, quid sit : an sit titulus aliquid in mutuo percipiendi, 1203. Quandonam solvenda sit, 1204.

Poenæ usurariorum ex jure ecclesiastico, et civili, 1334.

Police d'assurance, quid sit, et quamnam vim habere possit, 979.

Pollicitatio, quid esset apud Romanos, 6.

Porte-fort, quis dicatur, et quomodo distinguatur a fidejussore, 1363. — *Se porter fort*, quid sit, et quid inde exsurgat, 239.

Portio disponibilis, quid sit, 527. Cujusnam temporis ratio habenda, ut determinetur, 252 et seq. Vid. *Tempus*. — An pater qui dedit portionem disponibilem, possit adhuc fructus seu reditus dare extraneo, vel relinquere ipsi filio cui hanc portionem dedit, 538.

Præpositi publici prohibentur emere bona nationalia quæ ipsorum ministerio venduntur, 664. — Item quoddam commercii genus exercere, *ibid.* et 227.

Præscriptio. Quandonam confirmet actum *irritum*, 145. — Quodnam tempus requirat præscriptio rescissionis seu nullitatis *testamenti*, 618 : item revocabilitatis *donationis*, ob supervenientiam filiorum, 612. — An possit attingere bona *substitutione* gravata, 635. — An possit exstinguere *censum vitalitium*, 1080. — An valere possit quoad *usuras*, 1316; an ut medium acquirendi, ideoque etiam ante 30 annos, 1317. — An possit extinguere debitum *pignore* creditori tradito assecuratum, 1375. — Quomodo exstinguat *hypothecam*, 1389.

Præsumptio facti et periculi, quomodo distinguantur, 148. — Quid per præsumptiones intelligatur in genere probationis, 460. *Legalis* dicitur vel juris et de jure, vel simpliciter juris : an hæc distinctio apud nos vigeat, 461. Quales esse debeant præsumptiones *simplices*, 462. Quænam vis præsumptionum quoad forum *conscientiæ*, 463.

Precarium, quid sit, et quomodo distinguatur a commodato, 1025. —

Olim sic vocabatur census vitalitius ex cessione boni facta Ecclesiæ obtentus, 1073.

Preces sacræ, an possint esse objectum contractus *ludi*, 933.

Pretium. In *venditione* quale esse debeat : in pecunia, 678; serium, seu nec simulatum, nec derisorium, 679; determinatum, 680; quid, si determinatio committatur arbitrio tertii, 681. — Quid sit pretium *legale;* quid *vulgare,* et quotuplex, 682. Utrum et quatenus peccent qui non stant justo pretio, 683. Quid de rebus quæ dicuntur non habere pretium, *ibid.* An et quatenus ea de causa contractus rescindi possit, 684 et seq. Vid. *Rescissio.* — An aliquando liceat vendere supra pretium commune, et quo sensu, 688 : ob damnum emergens et lucrum cessans, 689, 690; ob specialem affectum venditoris, 691; an ob affectum aut utilitatem emptoris, 692; ob modum quo fit venditio, 693; an extraneis, 694. — An liceat emere infra pretium commune : si merces ultro offerantur, vel emantur, ut dicitur, *de rencontre,* 695; si emptio fiat sub conditione onerosa, 696. — Quid de eo qui novit scientia privata pretium brevi augendum vel minuendum : ob causam intrinsecam, 697; ob causam extrinsecam, 698. Quid, si quis inveniat inter res communes rem quam ipse scit esse valde pretiosam, 699. — Quomodo teneatur emptor solvere pretium, 726. Interim ex jure debet solvere *interesse,* 727. Potest aliquando hanc solutionem suspendere, 728. Si tandem non solvat, potest resolvi venditio, 729 et seq. Vid. *Resolutio.* — In *Locatione* quale esse debeat, 771. Quid, si locator privatim noverit mox futuram imminutionem, 698. — Pretium *census* consignativi, 1053 et seq. Vid. *Census.* — In *assecuratione*, vid. *Prime.*

Prime quid sit in assecuratione, 952. Qualis obligatio solvendi, 984 et seq. Vid. *Assecuratio.* — *Liée*, quid, 987. — *De Prime*, 988. — In negotiatione censuum publicorum; *marchés à prime*, 1251, 1252.

Privilegium inter creditores, quid sit, et quatenus valeat in conscientia, 383, 385. Quænam sint varia privilegia, et quisnam ordo inter eos qui habent servandus, 385. Quodnam competat *venditori* quoad rem venditam, et nondum solutam, 386 : quid in *materia commercii*, *ibid.*

Probatio. Onus probandi incumbit actori, 445. Si agatur de *casu fortuito,* cui incumbat onus probandi præcessisse vel non præcessisse culpam, 274. — Præcipui probationis modi, 445 : ex *scriptura,* seu ex titulo, 446 et seq. Vid. *Titulus.* Per *testes*, 458, 459. Vid. *Testes.* Ex *præsumptionibus,* 460 et seq. Vid. *Præsumptio.* Ex *confessione* partis, 464 et seq. Vid. *Confessio.* Ex *jurejurando*, 467 et seq. Vid. *Juramentum.* — Quomodo probari possit *locatio,* 776 : item *interpositio* personæ in donatione, 164.

Procuratio quomodo differat a mandato, 823.

Procuratores, 664. Vid. *Judices.*

Prodigalitas non est hodie, ut olim, causa interdictionis, 194; sed dat locum concilio judiciario, 197 : actus antea initi non possunt impugnari, *ibid.*

Promissio *gratuita*, quid sit, 473. Quatenus obliget in conscientia, sive ex sua natura, 474 et seq., sive ex modo quo fieri solent promissiones, 477, 478 : quid in dubio, 479. Quomodo cesset promissionis obligatio, 481. — *Onerosa,* v. g., venditionis, duplex, 482 : *unilateralis* vim habet, licet non æquivaleat venditioni, 483; æquivalet vero *bilateralis,* quo sensu, 484. Quid de promissione cum *arrhis,* 485. — Promissio exsequendi testamentum in forma irritum, an obliget, 605 : item, promissio solvendi usuras, 1157.

Protestantes quid sentiant circa usuram, 1113.

Protestatio (*Protêt*) locum habere potest, quando litterarum cambii denegatur acceptatio, 1102; vel solutio, 1105.

Provisio in cambio quid dicatur, 1088. Quis in eam jus habeat, spe-

ciatim in casu decoctionis (*de faillite*), 1106.

Proxeneta in *venditione* quis dicatur, 760. Si vendat supra, aut emat infra pretium sibi assignatum, an possit excessum retinere, *ibid.* An aliquid a mercatoribus recipere, vel pretium majus quam solvit exigere, 761. — In negotiatione *censuum publicorum*, vid. *Agents de change.*

Pupilli qui dicerentur, et quænam eorum capacitas sub jure Romano, 177. Vid. *Minores.*

Purge des hypothèques, quid sit, et quomodo obtineri possit, 1387.

Q

Qualitates. *Error* circa qualitates an irritet matrimonium, 56; an contractus dissolubiles onerosos, 58; an gratuitos, 60. — Ex quonam *statuto* determinentur, 96.

Quanti minoris (*actio*) quænam diceretur in jure Romano, 723.

Quasi-contractus quid sit secundum theologos, quid secundum jurisperitos, 16. An iste requirat easdem conditiones ac contractus, 175. An transferat dominium rei ante traditionem, 270. — Quæ *culpa* præstanda, 285, 286, 287.

Quota-litis (*de*) conventio, quid sit juxta jurisperitos, 664.

R

Raison sociale. Quid his verbis intelligatur, 864.

Ratihabitio. An idem sit ac confirmatio, et quotuplex distinguatur, 127. — Hujus natura, 130. — A quibusnam fieri possit, 131, 132. — Quoad quosnam actus, 134 et seq. — Hujus *effectus*, 140 et seq. — *Expressa* quandonam valeat, 143. — *Tacita*, per exsecutionem voluntariam actus, 144; per præscriptionem, 145; aliis modis, 146. — Nullitas actus ab *uxore* initi an tolli possit per ratihabitionem mariti, 202, 248: et nullitas actus *minoris* per ratihabitionem tutoris, 248.

Ratures quid efficiant in testamento, 561.

Realis *contractus*, quid sit, 11; an hodie apud nos detur, 1019. — *Obligatio*, quid sit, et quotuplex, 264. — *Usura*, 1122.

Réassurance quid sit, et quatenus permittatur, 967.

Recambium quid sit, et quatenus licitum, 1108. — Non ibi applicatur *taxatio legalis* pro compensatione damnorum, 292.

Receveurs généraux an possint auctarium ab ærario publico recipere, 1306. Quid de mutuo ipsismet præstito, *ibid.*

Reconductio tacita quid sit, et quandonam locum habeat, 788, 794, 798.

Redhibitio quid sit, 719. Quænam vitia *redhibitoria*, 722. Vid. *Vitia.*

Redimendi (venditio cum pacto), 733 et seq. Vid. *Pactum.*

Reductio donationum quid sit, et quandonam locum habeat, 534. A quibusnam postulari possit 535. Quomodo fieri debeat, 536. Illius *effectus*, 537: specialiter quoad fructus ante mortem donatoris perceptos, si fuerint objectum directum donationis, præsertim si superent portionem disponibilem, 538.

Réintégrande quid sit: dat locum apprehensioni corporali, 1396.

Religio. Obligatio religionis quomodo differat ab obligatione justitiæ, 369.

Remissio debiti, 424 et seq. Vid. *Condonatio.* An ad validitatem requiratur *acceptatio*, 33.

Rencontre (*de*) res minori pretio emuntur, 695.

Renovatio consensus an necessaria, ut, impleta conditione, contractus perficiatur, 312.

Rentes sur l'État. De eorum redimibilitate seu *conversione*, 1065. — Licite *emuntur* pretio currenti, 1249. De eorum *negotiatione*, seu de variis conventionibus quæ circa eos ineuntur, 1249 et seq. Vid. *Bourse*.

Reparationes. Quatenus de iis teneatur locator alicujus rei, 778 : si agatur de locatione ædium, 793.

Reports. In negotiatione censuum publicorum quænam conventiones hac voce designentur, 1258. Reducuntur ad mutuum quoddam pignoratitium, 1259. An iis applicari debeant quæ statuuntur de conventionibus quæ vocantur *Marchés à terme*, 1260 : an saltem aliquid in iis occurrat usurarium vel injustum, 1261.

Rescissio. An et quo modo differat a nullitate, 116 et seq.; speciatim sub jure novo, 119, 122. Ad eam obtinendam, cujusnam *statuti* ratio habenda, 102. — Confundi non debet cum *resolutione*, 123. — *Testamenti* quandonam ab hæredibus postulari possit, 617 : per quodnam tempus, 618. — *Venditionis* quandonam locum habeat ob non servatum justum pretium, seu læsionis causa, 684 : quatenus in venditione immobilium, 84. Quid agendum ut obtineatur, 685. Quisnam sit effectus actionis venditori concessæ, 686. Quid in conscientia tenendum, 687.

Reservatio quid sit, 528. Nulla est, si supersint soli *collaterales*, 529, 539; nec in gratiam *conjugis* superstitis, 533. Quomodo determinetur, si supersint ascendentes, non descendentes, 530; si supersint descendentes, 531 : an ratio habenda filiorum existentium, an vero tantum acceptantium, 532. — Servari debet *in conscientia*, 533.

Resolutio obligationis per adimpletionem *conditionis resolutoriæ*, an habeat locum pleno jure, 342. — Consectaria quoad interitum rei, onera annexa, et fructus, 343. — *Venditionis* ob pretium non solutum potest postulari a venditore, sed non fit pleno jure, saltem regulariter, 729. Quosnam effectus habeat, speciatim si res ad alios transierit, 730. — *Locationis* quandonam locum habeat, 783, 787, 789 : si ortum ducat e culpa locatarii, quodnam pretium solvere teneatur, 791. — Quando *opifex* opus aliquod exsequendum suscepit, an solvi possit conventio a conductore; an solvatur per mortem opificis, 811. — An in *censu vitalitio* locus esse possit resolutioni contractus, 1076.

Responsa Romana circa usuram. Brevis historia, 1118. In extensum referuntur, 1409 et seq. Variæ de eorum sensu sententiæ, 1339. Utrum ex iis infirmari possit auctoritas Encyclicæ Benedicti XIV, 1340 et seq. Quænam sit eorum auctoritas, 1340, 1344. An saltem ex iis infirmentur argumenta quæ desumpsimus ex Benedicto XIV circa lucrum perceptum sive ex mutuo consumptionis, 1345; sive vi legis civilis, 1346; sive ex mutuo negotiationis, 1347, 1348. Quonam sensu intelligenda sint, quisnam sit eorum scopus, 1349. Quædam explicari possunt ex circumstantiis peculiaribus in quibus aut pro quibus data sunt, *ibid.* Omnia exigunt bonam fidem, 1351; quandonam sufficienter adsit, 1352 : exigunt pariter dispositionem standi mandatis S. Sedis, 1353. Quo sensu dicant *Non esse inquietandos*, et *Acquiescant*, 1354. Summarium eorum practicum, 1355.

Restitutio facienda est usuræ perceptæ, 1309. Tenetur *usurarius realis*, sive dicatur acquirere dominium usurarum, sive non, 1311. Si fuerit *bonæ fidei*, non tenetur de fructibus, sed de usuris perceptis, 1312 : saltem quatenus factus est ditior; quid de imputatione usurarum in sortem, 1313 : quatenus dici debeat factus ditior, 1314. Quid speciatim, quando bona fide contractum usurarium iniit, contractum justum alioquin initurus, 1315. Excusatur, si legitime præscripserit, 1316 : an valere possit

præscriptio ut medium acquirendi, ideoque etiam ante 30 annos, 1317. Si usurarius fuerit *malæ* aut *dubiæ fidei*, applicantur principia generalia, 1318, 1319. Usurarius *mentalis* quomodo restituere teneatur, 1320. — Tenentur quoque *hæredes* naturales usurarii, sed non per se ultra vires hæreditatis, nec in solidum, 1321; *legatarii*, universales aut titulo universali, 1322; quid de *donatariis*, 1323; de iis qui *titulo oneroso* contraxerunt cum usurario, 1324; de *uxore*, 1325. — Tenentur demum ii qui efficaciter et injuste *cooperati sunt*, 1326 : quid de iis qui *suadent* mutuum usurarium, 1327; qui *dant pecunias* usurario ad usuras exercendas, 1328; de *advocatis, judicibus* qui usuras solvere cogunt, 1329; de *notariis* qui contractus usurarios conficiunt, 1330; de *famulis* qui adjuvant, 1331; de eo qui *domum suam locat* usurario, 1332; de eo cui debitor suus assignat solutionem petendam ab eo qui usuras debet, 1333.

Restitutio in integrum. Quid esset sub jure Romano, 117.

Retenue. Quid eo nomine intelligatur in censibus, 1056. — In mutuo, 1284.

Retour (*compte de*) in cambio, quid, 1808. — (*Droit de*) quid sit, quotuplex, et quid de eo statuat jus novum, 607. — *de Partage* quid sit, et quatenus det locum auctario percipiendo, 1198.

Retractus quid sit, et quotuplex, 743. — Quandonam locus esse possit retractui in venditione jurium litigiosorum, 755.

Retraite in cambio, quid, 1108.

Revocatio *consensus*. An qui prior dedit consensum possit illum revocare ante alterius acceptationem, 34. An, si apposita conditio, valeat revocatio ante eventum conditionis, 310. An per revocationem consensus exstingui possint hodie obligationes, 377. — *Contractus* quomodo fieri possit per voluntatem contrahentium, 262. — *Donorum* inter vivos quibusnam ex causis locum habere possit, 607 et seq. Vid. *Retour* (*droit de*), *Inexecutio, Ingratitudo, Supervenientia filiorum*. — *Testamenti* an impediatur per juramentum contrarium, 613. Est aliquando *expressa*; an oriatur ex secundo testamento in forma irrito, 614; an ex secundo testamento conditionato, deficiente conditione, 316 : aliquando *tacita*, 615.

Ristourne in assecuratione quid sit, 1006.

Rosaria, *numismata*, etc., quibus annexæ indulgentiæ, an commodari aut vendi possint, 223.

S

Saisi quis dicatur; quatenus sit incapax vendendi et emendi, 663, 664.

Saisie-*Arrêt* — *Exécution* — *Brandon* quoad mobilia quid sint, 756, 1390. Quoad immobilia, vid. *Expropriatio*.

Saisina bonorum defuncti quid sit, et quibusnam competat, 568, 572, 573. Quandonam exsecutori testamentario, 581.

Sauvetage (*frais de*) : quatenus teneatur assecurator de his impensis erga assecuratum, 1000.

Scribæ, 664. Vid. *Judices*.

Seing-privé (*acte sous*) per se fidem non facit, ut titulus authenticus, 451; hinc titulus authenticus præfertur privato, etiam anteriori, 452. Requirit subscriptionem partium, et tot originalibus conscribi debet quot sunt contrahentes diversum interesse habentes, 453. — An regatur statutis attestatoriis loci in quo initur, 101. Vid. *Statutum*.

Senatusconsultum *Macedonianum* in gratiam filiorum familias, quid in jure Romano, 177 : quamnam vim haberet in conscientia, 180; an possent filii familias huic renuntiare, *ibid.* Quid sub jure Gallico veteri, 181. —

Velleianum in gratiam uxorum, quid pariter ex jure Romano, 200.

Sententia *condemnatoria* an ubique sequatur condemnatum, 97. — Ad obtinendam sententiam judicis, cujusnam *statuti* ratio habenda, 102. — An sit titulus sufficiens ad recipiendum *auctarium*, etiam ubi non adfuit damnum, 296, 1201.

Sequestrum quid sit, et quotuplex, 916. De sequestro conventionali, *ibid.*; judiciario, 917. — Culpa in eo præstanda, 280.

Signature quatenus requiratur in testamento, 563.

Simonia quid sit, 220 et seq. Vid. *Spiritualis* (*res*).

Simulatio unius contractus pro alio, quomodo dignoscenda, et quandonam censeatur fraudulenta, 168. — Quid de *donatione sub specie venditionis*: 159 : si pro valida agnoscatur, sub quo titulo valeat, 170; an saltem non includat mendacium, 171 : si pro irrita haberetur, quænam esset vis nullitatis, *ibid.*

Sinistre quid sit, et quotuplex distinguatur in assecurationibus, 969.

Sixtus V : ejus Constitutio circa contractus societati adjunctos, 1208.

Societas ut contractus quid sit, 851; qualis contractus, 855; quomodo differat a cæteris, 856. Quænam possint in societatem conferri, 852. Finis est lucrum honestum, 853 : cur in definitione mentio non fiat de damno in communi perferendo, 854. Quo sensu efformet personam moralem, 857. Est via legitima lucri comparandi, 858. Est vel *universalis*, 859; hujus natura, 860 : potest esse universorum bonorum præsentium, 861; aut universorum quæstuum, 862 : vel *particularis*, quæ potest esse civilis, aut commercialis, 863. — *Commercii* potest iniri *en nom collectif*, 864; *en commandite*, 865; anonyma, 866; *association commerciale en participation*, 867. — Quandonam incipiat, et finem accipiat societas, 869. — *Obligationes sociorum erga societatem* : quoad partem a quolibet conferendam, 870; quoad lucrum per socium eductum e fundo communi, 871; quoad damnum per socios illatum societati, 872, 292 : de quanam culpa teneantur, 282. — *Obligationes societatis erga socios* : quoad partem a quolibet collatam, 873 : si hæc perierit, videndum an collata fuisset quoad fruitionem tantum, 874, 875, 269, an etiam quoad dominium, 876 : quid de rebus fungibilibus, 874; vel quæ usu deteriorantur, vel collatis ut vendantur, vel æstimatis, 875 : quoad compensationem aliquando sociis debitam, 877. — Quomodo facienda *partitio* inter socios, 878 : non potest unus e sociis omnino excludi a lucro, 879; an possit omnino eximi a damno ille qui confert tantum industriam, 880; an ille qui confert pecuniam, 881 : quid ex codice Civili, si assecuretur solummodo lucrum, vel solum ipsa sors, vel utrumque, *ibid.* Quænam vis nullitatis dispositione codicis Civilis inductæ, 882. — In *administratione* societatis, standum conventioni, si inita fuerit : administrator delegatus habetur generatim ut mandatarius societatis, 883, 884. Si nulla adfuerit conventio, quid jus statuat, 885. De sociis adjunctis, vulgo *Croupiers*, 886. — *Obligationes sociorum erga extraneos* : quando unus e sociis contraxit proprio et privato nomine, 887; quando sub nomine sociali, 888 et seq.; quando omnes socii contraxerunt proprio suo nomine, 891. De concursu creditorum societatis cum creditoribus singulorum sociorum, 892. De juribus sociorum erga extraneos, 893. — *Dissolvitur* : per lapsum temporis assignati, 894; per exstinctionem rei, vel consummationem negotii, 895; per mortem unius e sociis, nisi aliter conventum fuerit, 896; per mortem civilem, interdictionem, aut decoctionem, 897; per voluntatem unius e sociis, 898, 899. Dissoluta societate, supersunt communistæ, et instituuntur *liquidatores*, 900.

Solidaritas, quid sit et quotuplex, 362. — Quos *effectus* habeat solidaritas inter creditores, 363; inter de-

bitores, 364. — Quatenus *remissio* facta uni e debitoribus solidariis cæteros liberet, 426. Quid de *compensatione* inter debita, 428. — Non existit inter plures *mandatarios*, 833, bene vero inter plures *mandantes*, 837. — An existat inter *socios*, sive in societatibus civilibus, sive in commercialibus, 889, 891. — An inter plures *commodatarios* ejusdem rei, 1023. — An inter *hæredes* usurarii, 1321. — An inter varios *fidejussores*, 1367.

Solutio quid sit, 378. Regulariter *facienda* est *a debitore*, 379 : an debeat esse rei tradendæ dominus, *ibid.*, et 267. Quid, si facta fuerit ab incapaci, si res pereat, vel sit fungibilis, 380. — *Cui facienda*, si sit unus creditor, 381. Si plures sint, et omnibus satisfieri nequeat, quinam præferendi, 388. De creditoribus privilegiatis, 385, 386; vid. *Privilegium*; hypothecariis, 387; chirographariis, 388 : an præferendi creditores titulo oneroso, 389; an certi incertis, 390; an antiquiores, 391; an pauperes, 392. An possit debitor uni generatim solvere præ aliis, 393 et seq. Vid. *Faillite*. — Quoad *modum* solutionis, creditor non tenetur recipere nisi rem debitam, 402 : si hæc tradi nequeat, juxta quemnam valorem restituenda sit, *ibid.*, et 403. Creditor non potest regulariter cogi ad recipiendam solutionem per partes, 404. In quo statu, et cujusnam qualitatis res solvenda sit, 405. Si debeatur summa pecuniaria, cujusnam nummorum valoris ratio habenda sit, 406. De solutione facta cum chartis nummariis, 407. Vid. *Assignats*. — *Quandonam* facienda sit solutio, 499. — *Ubinam*, 410. — Vid. *Cessio bonorum*, *Imputatio*, *Subrogatio*. — Pretii in *venditione*, 726 et seq. Vid. *Pretium*. — *Ex indebito* efformat quasi-contractum, 16. An res sic accepta valide vendatur, 672. Qui rem sic accepit de qua culpa teneatur, 282.

Soulte in permutatione quid sit, 763.

Spes quatenus possit esse objectum contractus, 215. — *Lucri in mutuo* percipiendi an sufficiat ad usuram mentalem, 1159 : an et quatenus sit licita, 1190.

Spiritualis (*res*). Quid sit et quotuplex, 219. — Licet contractus in quo utrinque datur res spiritualis, 220 : non vero si detur temporale pro spirituali, 221, 222. Quid de re temporali annexa spirituali, antecedenter, 223; concomitanter, 224; consequenter, 225.

Sponsio. Quid sit, et quatenus contractus consensualis, 940. Utrum contractus sponsionis sit licitus, 941. Tres requiruntur conditiones, 942 et seq. Quatenus eventus debeat esse utrique incertus, 943. Quid ergo, si quis spondeat cum quatuor pro re aliqua obtinenda simul concurrentibus, 944. Quatenus sponsio debeat esse de re licita, 945. Quædam speciales legum prohibitiones, 946.

Statutum dicitur lex quæ regit contractus; quid sit, et quotuplex, 91. — Quomodo discernatur statutum reale a personali; quid in dubio, 92. — Cuinam statuto generatim standum, 93, 103 : cujus loci ratio habenda quoad statutum reale, 94; personale, 95 et seq.; attestatorium, 99 et seq.; quoad varia contractuum accessoria, 182.

Stellionatus quid sit : dat locum *apprehensioni corporali*, 1396.

Stipulatio quid sit, 229. De stipulatione *pro alio* ex jure naturali, 230; ex jure civili, 231 et seq.

Subhastatio quid sit, 756. Vid. *Auctio*.

Subrogatio, quid sit, et quotuplex, 411; distinguitur a solutione simplici, 379 : oritur vel ex conventione cum creditore, aut cum debitore, vel ex lege; quænam requirantur in variis hisce casibus conditiones, 411. Subrogationis *effectus*, 412. — Subrogatio *assecuratoris* in jura assecurati cui solvit pretium rei assecuratæ, qualis sit, et quousque extendatur, 1005. — *Acquirens credita* quibus annexum est auctarium, quatenus possit subrogari juri creditoris quoad illud auctarium, sive contrahat cum

debitore, 1241; sive cum creditore, 1242 et seq. Vid. *Credita*. — *Fidejussor* solvens subrogatur juribus creditoris, 1368 : si subrogatio impossibilis evadat ex facto creditoris, exstinguitur fidejussio, 1371.

Subrogatum *capit naturam subrogati* : est vetus axioma; hodie applicatur in conventionibus matrimonialibus, 763.

Substantia contractus quomodo dignoscatur, 52, 56 et seq. — Quo *statuto* regantur ea quæ spectant ad substantiam contractuum, 102; testamenti, *ibid.*

Substitutio quid sit et quotuplex, 620. Quid de substitutionibus fideicommissariis in jure Romano, Gallico veteri, et novo, 621. — In substitutione prohibita, irrita est etiam donatio; quandonam adsit substitutio *prohibita* in sensu legis, 622, 623, 627: qualiter inter se concurrere debeant duæ dispositiones quas includit, 624; quisnam requiratur tractus temporis, 625; an prohibitio attingat substitutiones conditionatas, 626; vel de eo quod supererit, 628; vel conventionem plurium ut pars præmorientium cæteris accrescat, 629. — In dubio, an substitutio præsumenda, 630. Quomodo de ejus existentia constare possit, 631. — *Permittuntur* quædam substitutiones, in gratiam cognatorum, 632 et seq. An bona sic gravata possint alienari, vel a tertio per præscriptionem acquiri, 635. Quando transeunt ad gravatum, quænam ei imponantur obligationes, 636. Quandonam incipiat jus vocatorum, 637. Quomodo exstinguantur illæ substitutiones, 638. Vid. etiam *Majoratus*.

Successio personæ viventis non potest esse objectum stipulationis, 214.

Suggestio quid sit, et an *testamentum* irritet, 506.

S. Sulpitii (*Presbyteri*) : referuntur articuli quos an. 1818 velut normam sibi constituerunt, 1348.

Supervenientia filiorum quandonam et quomodo det locum revocationi donationis, 610 et seq.

Synallagmaticus contractus quid sit, et quotuplex, 8.

T

Taleæ (*les tailles*) quid sint, et quomodo fidem faciant, 455.

Taxatio pretii in *venditione* obligat, 683. — In *censu* quomodo sit intelligenda, 1054 et seq. Vid. *Census*. Non respicit censum *vitalitium*, 1072. — Taxatio compensationis damnorum, item et auctarii in mutuo percipiendi quomodo apud nos per legem facta fuerit, 292, 1283. Facta est in gratiam solius mutuatarii, 1284. Conventio fieri debet scripto, *ibid.* Cum diversa sit taxatio in materia civili, et in materia commercii, quomodo hæc distinguantur, 1285 : quid, si mutuum simplex obtegatur sub velo cambii, 1286. An taxatio attingat mutuum *rerum fungibilium* a pecunia diversarum, 1287 : attingit usuras etiam palliatas, sive dissimuletur auctarium, 1289; sive titulus auctarii, 1290 : non vero conventiones in quibus adest titulus justus diversus a titulis ordinariis, v. g., *alea*, 1291; vel in quibus mutuans suscipit in se *onus extrinsecum*, ut in *fidejussione*, 1292. Quid de conventionibus matrimonialibus, 1293. De variis cambii speciebus, vulgo *Opérations de banque*, 1294 et seq. Vid. *Banque*. De auctario *ante legem* 3 sept. 1807 stipulato, 1297; vel in *regione extranea*, 1298.

Tempus. Quo tempore concurrere debeant variæ contractus conditiones, 245. De tempore respiciendo, quoad *habilitatem partium*, 246 : pro actibus inter vivos, si simul consentiant, 247, 248; si successive, 249 : pro testamentis, quoad testatorem, 250; quoad hæredem, 251 : pro donationibus in causa matrimonii, 654. — Quoad *materiæ capacitatem*, 252 : in dispositionibus irrevocabilibus, 253; revo-

cabilibus, 254 : de testamento facto in minoritate, 255. — Quoad *observationem formarum* legalium, 256 : in testamento, 257 ; in revalidatione actuum aliunde invalidorum, 258. — De actibus *conditionatis* eadem investigantur, 317 et seq.

Terminus quid sit, et quotuplex, 351. *Effectus* quoad creditorem, et debitorem, 352. Quandonam censeatur *elapsus*, 353. An solo facto elapsi termini debitor constituatur in *mora*, 288.

Testamentum quid sit : an sit, aut esse possit conventio, 492. — Illius *origo* an a jure naturali, an a jure civili tantum desumenda sit, an ab utroque et quatenus, 497, 498. — Cur circa testamenti *formam* multa exigant leges, 559. — Cujus *loci* ratio habenda sit in his formis, 101 ; cujusnam *temporis*, 257. Quid *in conscientia*, si servatæ non fuerint illæ formæ, 582 et seq. Vid. *Forma*. Quid speciatim de testamento ad pias causas, 586. — Utrum et quomodo testamentum irritum *confirmari* possit per hæredem naturalem, 139, 143 : quid ex jure Romano, et Gallico veteri, 583, 584. — *Olographum* quatenus esse debeat scriptum integre manu testatoris, 561 ; *daté*, 562 ; *signé*, 563. Quænam sit illius authenticitas coram lege, 564. An huic applicetur axioma : *Locus regit actum*, 101. *Solemne* quid requirat, 565. Quid testamentum *mysticum*, 566. Quid requiratur in quibusdam peculiaribus testamentis, 567. — Quænam dispositiones olim per testamentum fieri possent, 568. Hodie potest quilibet disponere quocumque titulo, modo constet eum voluisse testamentum condere, 569 ; et in cujus gratiam, 570 : semper standum regulis sancitis circa varia legatorum genera, 571. Vid. *Hæres, Legatarius*. — Quid in ordine ad materiæ capacitatem de testamento minoris qui moritur major, 255. — Est essentialiter *revocabile*, 492, 613 : quid, si testator juraverit se non revocaturum, 613. Quotuplici modo revocari possit, 614 et seq. Vid. *Revocatio*.

Testator habilis esse debet quando testatur ; item habilitate juris quando moritur ; sed non tempore intermedio, 250.

Testes (*probatio per*) non admittitur pro rebus quæ superant 150 fr., nec contra probationem scriptam, 458. Quatuor exceptiones duplici huic regulæ, 459. — An admitti possit in casu *commodati*, 1021.

Thesaurus inventus in fundo vendito cum pacto redimendi, ad quem pertineat, 739.

Titulus, ut *instrumentum probationis*, quid sit et quotuplex, 446. Titulus authenticus quis sit, 447 : per se ipsum plenam fidem facit, et quatenus, 448 ; aliquando tamen eliditur, vel per inscriptionem falsi, 449 ; vel per contrascripta, 450. — *Privatus* dicuntur vel actus sub signo privato, 451 et seq. Vid. *Seing privé* ; vel scripturæ non subscriptæ, ut libri rationum, instrumenta domestica, taleæ, etc., 454 et seq. — Quid sint titulus *originalis* et *exemplaris*, 456 ; *primarius, recognitivus, confirmativus*, 457. — Titulus, ut *ratio percipiendi lucrum* in mutuo, caute admittendus : debet esse extrinsecus, et pretio æstimabilis, 1168 ; quatenus debeat esse mutuanti notus, 1315. Plures dantur hujusmodi tituli, 1168. Vid. *Damnum emergens, Lucrum cessans, Destinatio lucrativa, Periculum, Donatio, Obligatio, Dilatio, Pœna conventionalis*. An necesse sit mutuatarium moneri de titulo, 1172.

Tontines quid sint, et unde sic dictæ : non sunt societates stricte sumptæ, 856. An sint licitæ, 629, 879, 962, 1070, 1266.

Traditio in jure Romano et Gallico veteri necessaria ad transferendum dominium, 266 : secus, in jure novo, 267 et seq. — Qualis requiratur ut valeat *donatio* absque solemnitate, 556. — Ad qualem traditionem obligetur *venditor*, 707. Quotuplex olim traditio distingueretur ; an hodie servata sit multiplex illa distinctio, et quomodo fieri debeat, sive agatur de immobilibus aut mobilibus, sive de juribus incorporeis, 708, 745 ; sive de venditione hæreditatis, 751 et seq.

— Quatenus sit necessaria in *locatione*, 777. — Necessaria est in *commodato* et *mutuo*, 1019, 1029.

Transactio. Quid sit, et quatenus pertineat ad contractus commutativos, vel aleatorios, 1014. Quinam transigere possint, 1015. De quibusnam transigi possit : quatenus res debeat esse dubia, in commercio, subjecta dispositioni transigentis, nec spectans ad ordinem publicum, 1016. Vis et effectus transactionis, 1017. An huic noceat *error juris*, 55. Quid, si addita fuerit *clausula pœnalis*, 368. Quibus modis solvatur, 1018.

Transcriptio quid sit, quatenus exigatur pro validitate donationum, et a quibusnam opponi possit, 551.

Trassans (*tireur*), trassatus (*tiré*) in cambio qui dicantur, 1088 : prioris obligationes, 1102; posterioris, 1107.

Trinus (*contractus*) quid sit, et quisnam illius inventor, 1208. Si tres contractus ineantur cum *diversis personis*, sunt liciti, 1209. Si *cum eadem* ineantur *simul*, quidam illos putant licitos, 1210; alii eos reprobant, 1211. Probabilior videtur ista opinio, 1212; quæ gravibus nititur auctoritatibus, licet non omnino definita, 1213. Quid ea de re statuat jus nostrum civile, 880 et seq., 1214, 1290. Si *duo tantum* contractus ineantur, videntur liciti, 1215 : item, si tres ineantur tantum *successive*, 1216.

Tutela est officiosa vel ordinaria; ista autem vel legitima, vel testamentaria, vel dativa seu nominativa, 183. — Qualis admittatur erga interdictum, 194.

Tutor quid possit circa bona *pupilli*, 184. De qua *culpa* teneatur in eorum administratione, 280. Si negligat formas specialiter præscriptas, actus sunt prorsus irriti, 189 : si agat legaliter, actus sunt validi, sed rescindibiles, saltem plerumque, in casu læsionis, 190. — Dandus *interdicto*, et quis, 194. — Inhabilis ad *donationem* recipiendam ab eo cujus tutelam gessit, ante redditam rationem, 513; item ad *pactum* cum eo ineundum, 514 : quid de tutoris hæredibus, 515; vis hujus nullitatis in foro conscientiæ, 516 : item ad *emendum* ejus bona, 664. — *Co-tutor*, et *Subrogatus tutor* qui dicantur, et quænam eorum munera, 183. An uterque subjiciatur iisdem inhabilitatibus ac ipse tutor, 513. — Tutoris obligationes de *minorum denariis*, 1301 : si nulla via suppetat lucrum educendi præter mutuum, an possit auctarium percipere, 1302; quatenus ad restitutionem teneri possit, 1303. — In *substitutionibus* permissis quomodo nominari debeat, et quænam ei incumbant obligationes, 636.

U

Unio creditorum quid sit, et quandonam locum habeat, 417.

Ultroneæ (*merces*) quatenus vilescant, et possint emi minori pretio, 695.

Usura. Expositio historica controversiæ, 1111 et seq. Quid sit usura : quoad nomen, 1120; quoad rem, 1121. Quotuplex, 1122. Ostenditur *prohibita jure divino* : ex decisione Benedicti XIV, 1125, 1126 : ex Scriptura Sacra Veteris Testamenti, 1128, 1129; et Novi, 1130, 1131 : ex Conciliis, 1132, 1133 : ex SS. Patribus, 1134 et seq.; quin obstent octo facta aut testimonia quæ opponunt adversarii, 1140 : ex summis Pontificibus, 1141 : ex Theologis, 1142. — Potuisset prohiberi jure divino, quamvis non esset absolute prohibita jure naturali, 1143. Sed ipso *jure naturali prohiberi* ostenditur : ex auctoritate, 1145; ad quam valde attendendum est in hac materia, 1144 : et ex rationibus theologorum, 1146 et seq.; quibus plura opponunt nonnulli recentiores, 1151 et seq.; sed nec nova, nec invicta, 1154 et seq. — An et quatenus liceat mutuum sub usura

postulare aut sumere, 1157. — Prohibetur et ipsa *usura mentalis:* in quo præcise consistat, 1159, 1160. — Prohibentur varia *pacta* quæ mutuo adjecta in usuram reciderent : quid, si mutuatarius se obliget ad aliquid ad quod jam tenebatur, 1161 ; ad frequentandam officinam mutuantis, etc., vel ad remutuandum, 1163 ; si in pactum deducatur amor seu benevolentia, 1162 ; vel lucrum ut debitum tantum ex gratitudine, 1166 ; vel ut mutuatarius pecuniam recuperet a debitore difficili, 1164 ; vel ut mutuum ante certum tempus reddi non possit, 1165. — Excusatur ab usura lucrum in mutuo perceptum, si adsit *titulus*, 1167 et seq. Vid. *Titulus.* — Sunt quidam *contractus* in quibus percipitur auctarium : cavendum ne recidant in mutuum usurarium, 1206. Vid. *Mohatra, Trinus contractus, Census* (*utrinque redimibilis*), *Pignus, Montes Pietatis, Credita, Chirographa, Bourse, Mutuum* (*negotiationis*). Quatenus ex his contractibus ad mutuum, vel vice versa, argumentari liceat quoad condemnationem, aut non condemnationem, 1271. — An prohibitio usuræ attingat auctarium *lege civili* permissum, 1275 et seq. Vid. *Lex.* — Usura inducit obligationem *restituendi*, 1309. Vid. *Restitutio.*

— An usurarius acquirat dominium usurarum, 1311. — *Summarium* totius *controversiæ* de usura, 1335 et seq. Ejus status præsens, 1338 et seq. Vid. *Responsa Romana.* — Regulæ servandæ in efformanda sibi opinione circa quæstiones de usuris, 1356 ; in ea propugnanda, 1357 ; in respondendo consulentibus, 1358 ; in dirigendis fidelibus circa hanc materiam, 1359.

Usufructus quatenus differat a locatione, 769.

Uxor generatim non potest disponere inter vivos, sine consensu speciali mariti, vel auctoritate judicis, 199. Qualis nullitas actuum quos sola elicit, ex jure Romano, et ex jure Gallico veteri, 200 ; ex jure novo Gallico, 201 : utrum sit juris publici, an privati, 202. Quid in *foro conscientiæ*, 203. — An possit obligatio uxoris esse objectum *fidejussionis*, 201, 1362. — Utrum possit per testamentum et donationem disponere, 504 ; donationem accipere, 544 : assecurationis contractum inire, 974 ; transigere, 1015 ; fidejubere, 1365. — Quandonam possit nullitatem venditionis *boni dotalis* invocare, 674. — An teneatur restituere pro *usuris* a marito perceptis, 1325.

V

Vectores (*voituriers*), qualis sit conventio cum ipsis inita : quid de ea statuatur, 807. Si res ipsis commissa deperdita fuerit, quodnam pretium debeant restituere, *ibid.*

Vendita (*res*) et tradita, sed non soluta, vel soluta et non tradita, an restituenda sit venditori, an tradenda emptori, præ cæteris creditoribus, 384.

Venditio. Origo, 655. Definitio, 656. An essentiale sit ut transferatur rei dominium, ex jure Romano, Gallico veteri et novo, 657. Est contractus juris naturalis, 658 ; non solemnis, 659 ; consensualis, quamvis in quibusdam casibus dominium statim non transferat, ubi de bonis mobilibus, de rebus venditis ad mensuram, *à l'essai*, vel quæ gustari solent, 660 ; bonæ fidei, 662. — Quinam sint speciatim incapaces vendendi aut emendi, 663 et seq. Vid. *Faillite, Saisi, Præpositi, Tutor, Judices, Conjuges.* — Quænam vendi possint, 666 et seq. Vid. *Aliena* (*res*), *Dos, Abusus, Solutio ex indebito.* — In venditione *pretium* essentiale, 677 : quale esse debeat, 678 et seq. Vid. *Pretium.* — Quænam obligationes venditoris, 706 et seq. Vid. *Traditio, Assecuratio:* emptoris, 726 et seq. Vid. *Pretium, Livraison.* — De quibusdam peculiaribus venditionis speciebus, 732 et seq. Vid. *Pactum, Jura incorporea, Auctio publica, Proxeneta.*

Vis quid sit, et quotuplex, 66. Vid. *Metus*.

Vitia rei venditæ *redhibitoria* quænam sint, 722. Ex iis conceditur emptori actio redhibitoria, vel quanti minoris : ad quid obligetur venditor, 723. — Vitia *non redhibitoria* actioni civili locum non dant : obligatur tamen venditor, si dolo usus fuerit, quod multis modis fieri potest, 724 : quatenus teneatur *manifestare* vitia rei, *ibid.* Obligatur etiam, si non minuat pretium, 725. — Quatenus de vitiis *rei locatæ* teneatur locator, 779. — Quatenus *commodans* teneatur aperire vitia rei, 1024 : et *mutuans*, 1035. — Quatenus *assecurator* excusetur a compensando damno quod oritur ex vitio proprio rei, 994.

Voluntarium quotuplex ; quale requiratur in contractibus, 47.

X

Xenodochia quatenus possint a pauperibus ibi degentibus summas pecuniæ accipere sub censu vitalitio, 1072. Vid. *Instituta utilitatis publicæ*.

FINIS INDICIS ALPHABETICI.